FR. THOMÆ MARIÆ CERBONI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI,

ET PROFESSORIS IN URBANO COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE

DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

TOMUS QUARTUS, ET ULTIMUS.



ROMÆ MDCCLXXVIII.

TYPIS SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

PRÆSIDUM FACULTATE.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci Epiſcopus Montisalti Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius, Ordinis Prædicatorum; Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SANCTO PAULO APOSTOLO,

VASI ELECTIONIS, DOCTORI GENTIUM, APUD OMNES NATIONES EVANGELICÆ LEGIS PRÆCONI PRÆCELLENTISSIMO, TUBÆ CÆLESTI, COPIOSIORI PRÆ CETERIS APOSTOLIS DIVINORUM ELOQUIORUM SCRIPTORI, OMNIUM ÆRUMNARUM PRO CHRISTI NOMINE VICTORI FORTISSIMO, ADHUC IN TERRIS VIVENTI IN PARADISUM RAPTO, IBIQUE AUDITORI FAUSTISSIMO ARCANORUM VERBORUM, QUÆ NON LICET HOMINI LOQUI.

TIBI, SANCTISSIME APOSTOLE, ultimum volumen hujus mei Operis jampridem Tibi ipsi destinatum, quoniam singulari beneficio Dei contigit, ut illud absolverim, nunc qua majori animi mei reverentia, atque veneratione possum, offero, consecro, & sub Tuo Nomine valde lætans emitto. Munus hoc meum est quidem omnino impar & pro ea copia meritorum, qua hìc in terris ornatus fuisti, & multo magis pro sublimi illo culmine gloriæ, qua modo lætaris in cœlis: verum nullo alio,

quod omnibus compertum eſſet, argumento prodere poteram, qua profundiori admiratione, & reverentia Te colam, atque ſuſpiciam. Tuo deinde patrocinio, Tuaque apud Jeſum Chriſtum interceſſione meritorum fieri poſſe videbam, ut fructum, quam mihi præſtitueram, ea omnia conſequerentur, quæ ſcripſi in hoc quarto volumine hujus mei Operis. Sunt illa quidem omnia propter imbecillitatem ingenii mei neque acute pertractata, neque diſputata ſubtiliter; tamen eiſdem quoddam robur ſemper adjungitur Sanctorum Eccleſiæ Doctorum auctoritate, quæ mihi, ut lux quædam præclariſſima, præluxit in cunctis, de quibus tum in aliis, tum in hoc volumine egi. Quare ſi quod ex parte mei deeſt, Tua apud Jeſum Chriſtum protectione ſuppleatur; hæc mea omnia, quamvis ab ingenio rudiori profecta fuerint, ut in utilitatem Eccleſiæ cedant, futurum eſſe confido. Tu ſane, SANCTISSIME APOSTOLE, accepiſti (1) *gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus* propter Jeſum Chriſtum, pro cujus gloria, atque propagatione nominis (2) præ ceteris graviora toleraſti (3), *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter:* Tu, inquam, vix dum (4) mirabili omnino prodigio a Chriſto voca-

(1) *Roman.* cap.1.v.5. (2) *I. Corinth.* cap.15.v.10. (3) *II.Corinth.* cap.11. v.29. & ſeqq. (4) Videatur S. Thomas lect. 1. in cap. 12. epiſt. II. *ad Corinth.*

vocatus, & in terram proſtratus, atque ita ex perſequutore vas electionis effectus, tanta, tamque ſingulari a Deo gratia fuiſti donatus, ut ad cœlum raptus, Divinæque gloriæ lumine colluſtratus, adhuc viator, Divinam Eſſentiam videris (1). Maximus ergo ſane fuit, & ſupra quam excogitari poſſit, Jeſu Chriſti in Te amor: maxima etiam ſub ipſum initium Apoſtolatus Tuorum copia meritorum: maximaque propterea gloria eſt, qua nunc in cœlo lætaris. Quare & bene mihi erit, & quem deſidero, tenuis meus iſte labor fructum habebit, ſi tum donum, tum oblatorem illius e cœlo benedictio Tua ſancta, atque copioſa proſequatur, & Tua comitante copia meritorum, ſcripta hæc, & ſimul etiam auctorem illorum Jeſu Chriſto offeras. In Tua protectione, SANCTISSIME APOSTOLE, confido plurimum, atque ita vehementer, ut in ea prorſus conquieſcam.

IN-

(1) Videatur S. Thomas citato loco, & 2.2. qu.175. art.3., S. Gregorius Magnus lib. 10. *Moralium* cap. 9., & S. Auguſtinus *De Geneſi ad litteram* cap. 56.

INDEX CAPITUM.

LIBER XXIV.

LIBER XXV.

II. De

LIBER XXVI.

LIBER XXVII.

LIBER XXVIII.

LIBER XXIX.

LIBER XXX.

DE

DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

LIBER XXIV.

DE SUPREMA JUDICII POTESTATE ROMANI PONTIFICIS CUJUSCUMQUE ALTERIUS SENTENTIÆ NULLO MODO SUBJECTA.

SUpremam judicii poteſtatem, cujuſcumque alterius ſententiæ nullo modo ſubjectam in Summo Pontifice admitti neceſſario debere, ex iis ſane, de quibus in ſuperioribus libris copioſe egimus, aperti ſſime conſequitur. Primatus enim non ſolum ordinis, & dignitatis, ſed etiam auctoritatis, & juriſdictionis, qualem Adverſarii quoque noſtri in Summo Pontifice agnoſcunt, atque tuentur, ut ſit in illo Suprema judicii poteſtas, cujuſcumque alterius ſententiæ nullo modo ſubjecta, neceſſario exigit. Nam ſi qua unquam in re poteſtas auctoritatis, & juriſdictionis, quæ ſit in aliquo, qui præeſt aliis, quam maxime relucet, atque ſeſe prodit, immo vero ſuas vires potiſſimum exerit, ea ſane eſt Suprema judiciorum auctoritas, alterius ſententiæ nullo modo ſubjecta. Hac enim fit, ut Supremum imperans

perans eam poteſtatem, quam a ſe ipſo habet, quatenus eſt Supremum imperans, ſuper omnes exerceat, omneſque propter illam ei ſubjiciantur. His accedit, & Supremam legislativam poteſtatem, quam Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam obtinet, & Monarchicum regimen illius, nulla prorſus Ariſtocratia contemperatum, & jus, quod habet Concilia Œcumenica convocandi, præſidendi illis, ut Supremum illorum caput, confirmandique, quæ in iiſdem ſancita fuerint, & auctoritatem conſtituendi judicium de illis omnibus, quæ a quocumque alio judice Eccleſiaſtico definita fuerint, & firmitatem infallibilitatis, quæ ineſt in ejus de fide judiciis, eſſe doctrinæ capita, pluribus jam oſtenſa a nobis, quæ cum Suprema judicii poteſtate, alterius ſententiæ nullo modo ſubjecta, neceſſariam connexionem habent. Quomodo enim Suprema legislativa poteſtas haberi poteſt, ſi etiam Suprema judicii poteſtas alterius ſententiæ nullo modo ſubjecta ſimul non habeatur? Quomodo abſolutum, perfectumque Supremum Monarchicum regimen, nulla non ſolum Democratia, ſed neque etiam Ariſtocratia contemperatum? Quomodo jus Supremum in convocatione, præfectura, & confirmatione Conciliorum Œcumenicorum? Quomodo Suprema auctoritas judicium inſtituendi de illis, quæ ab alio quovis Eccleſiaſtico judice jam definita fuerint? Quomodo demum firmitas infallibilitatis in omnibus de fide decretis? Tamen, quamvis hæc omnia, quæque deinde preſſius urgebimus, ita ſeſe habeant, indeque alicui ſupervacaneum fortaſſe videri poſſit, ut de hac judicii Suprema poteſtate agamus, operæ prætium nos eſſe ducimus, ſingularem diſputationem de hujuſmodi quoque doctrinæ capite inſtituere. Tam multa enim, eaque tum ab antiquis, tum etiam a non valde remotis repetita temporibus, Adverſarii noſtri nobis opponunt, ut nihil magis eis cordi fuiſſe videatur, quam abolere, & e medio tollere Supremam iſtam judicii rationem, quam nos in Summo Pontifice ineſſe oſtendendum aggredimur. Nolumus enim, ut quoad hoc doctrinæ caput vinctas eis manus nos dediſſe, ſuſpicari quiſpiam poſſit. Res ergo tota ita peragetur a nobis. In 1. capite de ipſo

ipſo jure, ſi ad hanc poteſtatem attendatur, diſputabimus: in 2. de hac poteſtate agemus, quatenus de ea conſtat auctoritate octo primorum Conciliorum Œcumenicorum: in 3. de eadem diſſeremus, habita ratione eorum, quæ Conſtantienſe Concilium proxime præceſſerunt: in 4. aliorum, quæ in eodem Conſtantienſi Concilio decreta fuiſſe legimus: in 5. ceterorum, quæ Conſtantienſe Concilium proxime ſequuta fuerunt.

CAPUT I.

DE EO JURE, QUO SUPREMA JUDICII POTESTAS, CUJUSCUMQUE ALTERIUS SENTENTIÆ NULLO MODO SUBJECTA, SUMMO PONTIFICI TRIBUI DEBET.

§. I. Ista lex: *Prima ſedes non judicatur a quoquam*, ita accipi debet, ut etiam ipſam perſonam Summi Pontificis complectatur.

Hanc ergo legem: *Prima ſedes non judicatur a quoquam*; uti commune effatum, quod ſemper receptum ſit ab omnibus, & modo etiam recipiatur, Boſſuetius conſentit *Defenſionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 20.: " Nunc (inquit) exponendum ſupereſt, quomodo cum Declaratione Gallicana conſentiat illud a prima antiquitate depromptum: *Prima ſedes non judicatur a quoquam*: vel quidquid dictum eſt in eam ſententiam. Id duplici modo intelligi poteſt: alter, ut perſona Pontificis eam ſedem tenentis a nemine judicetur: alter, ut lata ab eo ſententia a nemine retractetur ". In hoc citato capite 20. & ſeq. de communi iſto effato diſſerit juxta priorem acceptionem, atque contendit, ea quidem lege vetari, ne a perſonis, vel Synodis particularibus perſona Summi Pontificis judicetur, immo ne ab Œcumenica quidem, inquit ipſe, *niſi propter eas cauſas, quas in Concilio Conſtantienſi memoratas ſæpe retulimus*.

At vero qui eſt primus omnium, non ſolum ordinis, & dignitatis, ſed etiam poteſtatis, atque auctoritatis habita ratione, neminem alium ſupra ſe poſitum habere debet, a quo

judicari possit, juraque ipsa rationis pervertuntur, semel ac alterius ille judicio subjiciatur. Tunc enim a primo, atque Supremo statu potestatis, & auctoritatis detruderetur, & quod juris ipsi tantum competebat, út judicium exerceret in alios, aliis supra ipsum tribueretur. Si ergo recta ratio postulat, ut suum unicuique jus semper integrum deferatur; esse contra jura rationis, ut in personam ejus, qui primam sedem tenet, & quidem primam non solum ordine, & dignitate, sed etiam auctoritate, atque jurisdictione, aliquis cœtus hominum exercere judicium possit, nemo non videt. Quo ergo modo est ab ipsa ratione constitutum, ut rei alienæ nullus se dominum faciat, est id quoque determinatum, de quo nunc contendimus. Neque enim in minori, sed in majori pretio habenda sunt jura potestatis, atque jurisdictionis, quam eorum, quæ possidentur. Quare lex ista: *Prima sedes non judicatur a quoquam*, ita accipi debet, ut etiam ipsam personam Summi Pontificis complectatur.

§. II. Consonum quoque est ipsi rationi Principatus, personam Summi Pontificis nullorum judicio hominum subjectam esse.

„ Princeps (inquit S.Thomas 1. 2. qu. *96*. art. 5. ad 3.) „ dicitur esse solutus a lege quantum ad vim coactivam legis: „ nullus enim proprie cogitur a se ipso: lex autem non habet „ vim coactivam nisi ex Principis potestate. Sic igitur Prin„ ceps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest „ judicium condemnationis ferre, si contra legem agat". Quapropter ut aliquis cœtus hominum in personam Summi Pontificis judicium exercere posset, illud sane requireretur, ut vim coactivam in eum haberet: quod sane ipsius Principatus rationi repugnat.

Ei quoque rationi Principatus sane repugnat, quam Adversarii nostri in Summo Pontifice agnoscunt, atque reverentur. Volunt enim ipsi, falso tamen, quemadmodum jam ostendimus (1), Monarchicum Ecclesiæ regimen Aristocratia temperatum esse: hanc vero contemperationem talem dici posse

(1) Lib. 20. cap. 4.

posse nolunt, ut Aristocratia supra Monarchiam prævaleat, alioquin de Monarchico Ecclesiæ regimine, quod ipsi quoque tuentur, omnino actum foret. Si qua autem unquam in re Aristocratia supra Monarchiam prævalere non debet, ea sane sit oportet ipsa persona Summi Pontificis, qui regimen Monarchicum super universam Ecclesiam obtinet. Si enim quid Supremum, nulliusque potestati subjectum in hoc Monarchico regimine, habita ratione personæ Summi Pontificis, qui ipsum Monarchicum regimen tenet, non habeatur, non video sane, qua in re haberi possit. Dubitari ergo non potest, quin ipsi rationi Principatus consonum sit, ipsam personam Summi Pontificis nullorum judicio hominum subjectam esse. Id autem etiam Galli viderunt, atque confessi fuere: " Principem „ (inquit Petrus de Marca lib. 1. *De Concord. Sacerd.*, *& Imper.* cap. 11. num. 1.) legibus solutum esse eo sensu, ut etsi „ in leges impingat, pœnis legum coerceri non possit, com„ munis est Theologorum, & Jurisconsultorum sententia; ita „ ut subditi, qui de Principis statu aliquid decernere sibi li„ berum esse putaverint, lege Julia majestatis teneantur. In „ hunc quoque dignitatis gradum adscitum fuisse Romanum „ Pontificem, Galliarum Reges, & Episcopi una cum ceteris „ sæpissime censuerunt ".

§. III. Qui volunt, personam Summi Pontificis alterius judicio subjectam esse, agunt ii sane etiam contra rationem politici regiminis.

Si de quo unquam Supremo regimine ex Divino verbo tum scripto, tum tradito omnino perspectum habemus esse illud Supremum; si de qua unquam potestate uni alicui super omnes data ex eodem Divino verbo certissime comperimus, eam Supremam esse; & Ecclesiæ regimen istud est, & est ea Suprema potestas, quam Petrus a Christo super universam Ecclesiam recepit (1). Semel ac ergo admittatur, personam ejus, qui hoc Supremum regimen tenet, qui hac Suprema potestate super universam Ecclesiam potitur, alterius judicio subjectam esse, inde sane consequitur, eum quoque, qui politicum regimen habet, qui Supre-

(1) Toto lib. 18. & 20.

Supremam supra suos subditos potestatem obtinet, alterius judicio subjectum esse, quamvis in sacris Litteris habeatur, omnes illi subjectos esse debere, & ad illum, non vero ad subditos, spectare portare gladium. Est ergo manifestum, etiam contra ipsam rationem politici regiminis agere illos, qui personam Summi Pontificis alterius judicio subjectam volunt.

§. IV. Quæ in Symmachi causa in judicio contra ipsum instituto contigerunt, personam Summi Pontificis a nemine judicari posse ostendunt.

Quum Rex Theodoricus multa ad se contra Symmachum delata retulisset Patribus in III. Romano Concilio simul congregatis, ii " Suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impeti-„ tus, debuisse Synodum convocare ... ne antedictæ Sedis „ Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione „ simili facile aliqua forma testaretur (1)". Symmachi voluntatem esse, ut Synodus cogeretur, tunc Theodoricus reposuit, idemque etiam Symmachus protestatus fuit, *qui affectu purgationis suum culmen humilians*, ad suam causam in Synodo dicendam paratus accesserat, nisi cædibus Adversariorum prohibitus fuisset. Quare Theodoricus " Deo aspirante, respon-„ dit: in Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda „ præscribere, nec aliquid ad se de Ecclesiasticis negotiis „ præter reverentiam pertinere, committens etiam potestati „ Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, „ sive nollent, quod magis putarent utile deliberarent ". Patres autem *maxime quum illa, quæ* præmiserant, *inter alia de auctoritate Sedis obstarent*, *totam causam Dei judicio* reservarunt.

Ridiculum vero esse nomine *Minorum* Episcopos hic intelligi non debere, sicuti Launojus par. 1. epist. 9. ad Claudium Santeulium contendit, nobis quoque tacentibus, sub omnium oculos cadit. Patribus enim in III. Concilio Romano congregatis hujusmodi judicium, & quidem ipso Symmacho consentiente, delatum fuerat. Hi autem quum id negotii sibi commissum esse viderent, quod facultatem eorum excederet, statim negarunt: *Antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuis-*

(1) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 457.

jacuisse judicio. Et Episcopi ergo erant, qui hic minores dicuntur, & ipsi Episcopi se minores dicunt, habita ratione Summi Pontificis.

Qui hanc prærogativam Romani Pontificis, de qua nunc loquimur, ægre ferrent, tunc quoque non deerant. Quare Ennodius *Apologeticum* edidit, in quo ab aliorum obtrectationibus illam vindicavit. Ex eo ergo nonnulla modo nos in medium afferemus, quæ spectari non debent, ut sententiæ cujusdam auctoris singularis, sed Episcoporum Italiæ, qui Ennodii *Apologeticum*, quod in V. Romana Synodo lectum fuit, una cum Symmacho approbarunt, & vim decreti Synodalis habere voluerunt. " Libellus (ita Patres V. Romanæ Synodi) „ qui Synodali auctoritate contra eos, quæ adversus IV. nostram Synodum, quæ habita est Romæ, palam mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus „ deferatur, & in præsentia omnium legatur, atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus consona voce roborato, „ Sancta Synodus dixit: hæc futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus serventur. Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter IV., & V. Synodorum nostrarum actiones interponatur, & ita sicut harum Synodorum decreta habeatur: quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus. Ad quæ ter Beatissimus Papa respondit: juxta vestram omnium fiat voluntatem, & ut judicatis, Apostolica „ habeatur auctoritate, & inter Apostolica, quod dicitis, interponatur decreta ". Ita sane Patres (1). Ex quibus illud quoque constat, quam falso Launojus in citata epistola Ennodium imperitiæ arguerit, eumque, uti inscium Sedis Apostolicæ, traduxerit. Ennodii ergo liber ad id totus comparatus est, ut Romanum Pontificem a nemine judicari posse, perspectum sit omnibus. Nonnulla tantum nunc ex eo breviter delibabimus: " Aliorum forte causas (inquit Ennodius) Deus „ voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo „ sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli „ successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissi- „ mi

(1) Cit. tomo colum. 501.

„ mi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam ". Suam autem assertionem Ennodius confirmat tum Evangelii verbis, tum auctoritate veterum Pontificum: " Respondebo „ (inquit) uni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram* „ *ædificabo Ecclesiam meam*. Et: *Quæcumque solveris super ter-* „ *ram, erunt soluta & in cælis*. Et rursum Sanctorum voce „ Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venera- „ bilem, dum illi, quidquid Fidelium est, ubique submitti- „ tur, dum totius corporis caput esse designatur ". Unde postea ita concludit: " Dico latorem juris definitionis suæ, „ nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii „ summam moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus „ vocatur " (1).

§. V. Aviti, aliorumque Gallicanorum Præsulum auctoritate confirmatur, personam Summi Pontificis alterius judicio non subesse.

Illud ergo Avitus Viennensis Episcopus epist.31. (2) a se data ad Faustum, & Symmachum Senatores urbis primo monet, nomine Episcoporum Galliæ ad eos scripsisse. Deinde vero a Romana Synodo, & Episcopis Italiæ Symmachi causam Divino judicio reservatam fuisse, non solum valde probat, sed etiam eosdem modeste carpit, quia illam aliquo modo discutiendam susceperunt: " Dum de causa Romanæ Ec- „ clesiæ (inquit) anxii nimis, & trepidi essemus, utpote nu- „ tare statum nostrum in lacessito vertice sentientes: quos „ omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis per- „ cusserat, si statum Principis obruisset. Perlata est sollicitu- „ dini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma „ decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti „ Italiæ Antistites ediderunt. Quam constitutionem licet ob- „ servabilem numerosi, reverendique Concilii reddat assen- „ sus; intelligimus tamen, S. Symmachum Papam, si seculo „ primum fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium „ potius adsciscere, quam recipere debuisse judicium "; quoniam, uti infra superaddit: " Non facile datur intelligi qua „ vel

(1) Citato tomo colum. 491. (2) Juxta edit. Sirmondi.

„ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur". Hinc merito Thomassinus *Dissert.* 15. *in Concil. Roman. sub Symmacho* num. 5. " Conquerantur (inquit) ergo alii de Romanæ „ Synodi propensione, & reverentia in Symmachum, & in „ Apostolicum privilegium: expostulat ex adverso Ecclesia „ Gallicana de nimia pene Synodi Romanæ licentia: & pro„ fitetur 1. *in vertice suo* statum omnium Episcoporum lacessi, „ & nutare: statu, & criminatione *Principis* multitudinem „ omnium Episcoporum implicari. 2. Principe seculi in ju„ dicium vocante Symmachum, parere quidem debuisse Pon„ tificem, quum Christus, quum Apostolus sævituros in Ec„ clesiam Reges prædixerit: at Episcopos Pontifici ad sola„ tium, non ad judicium accurrere debuisse. 3. Præter ra„ tionem, præter leges esse, ab inferioribus eminentiorem „ judicari".

Alia quoque multa in rem eamdem Avitus in citata epistola persequitur, quæ summatim nos attingemus: 1. Illud monet, Romanam Synodum Dei judicio Symmachi causam non solum reservare debuisse, sed ne illam quidem expendendam suscipere: 2. Si Paulus accusationem in Presbyterum non esse admittendam censuit, multo magis *in præcipuum generalis Ecclesiæ* nullum criminationibus locum esse debere: 3. Non minus diligendam in Ecclesia Romana *Sedem Petri*, *quam in civitate apicem mundi*: 4. Exordium, & originem Episcopatus esse Petrum, Petrique Sedem: unde in Symmacho non *Episcopus*, sed *Episcopatus* periclitabatur: 5. Non esse *gregis pastorem proprium terrere, sed judicis*. Decretum autem Romanæ Synodi, quod ab Avito perstringitur, istud est: " Decernimus, „ ut Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul, quantum ad „ homines respicit, quia totum constat Divino arbitrio fuisse „ dimissum, sit immunis, & liber &c. "

Quæ Aviti, eadem & Ivonis Carnutensis Episcopi hac de re sententia fuit. Nam epistola 235. ita de Paschali habet, qui in laicorum investituras consenserat: " Eorum senten„ tiam, qui investituras laicorum defendere volunt, schisma„ ticam judicio ... Et quia verenda Patris debemus potius

„ velare, quam nudare, familiaribus, & charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat, tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice". Epistola autem 238. idem Ivo, nec non Vualo Parisiensis, Joannes Aurelianensis, aliique Episcopi Provinciæ Senonensis ad Joannem Lugdunensem Archiepiscopum, a quo invitati fuerant ad Synodum, ut in ea factum Paschalis discuteretur, ita habent: " Ad hæc non videtur nobis utile consilium, ad ea Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare: quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio ... Excusamus innocentiam nostram, qua & principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat". Suam profecto hac de re sententiam Gallicani Præsules & luculentius promere, & constantius propugnare non poterant. Alia sane in hanc rem superaddere possemus: ea tamen omittimus, quia ex his, quæ usque modo disseruimus, abunde constare arbitramur, avitam Gallicanorum Præsulum doctrinam esse, personam Summi Pontificis alterius judicio non subesse.

§. VI. Personam Summi Pontifici alterius judicio non subesse, auctoritate quoque VIII. Œcumenici Concilii confirmatum habemus.

Pluribus sane aliis monumentis Ecclesiasticæ antiquitatis, quæ tum apud Thomassinum *Differt.* 15. *in Concilium Romanum sub Symmacho*, tum apud Petrum de Marca *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii* lib. 1. cap. 11., atque Orsium *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.4. cap. 20. art. unico, & cap. 21. art. unico, legere est, personam Summi Pontificis alterius judicio non subesse, ulterius demonstrare possemus; verum ne nimis, quam par est, in longum progrediamur, id ultimo perficimus auctoritate

ritate Patrum VIII. Œcumenici Concilii . " Porro (inquiunt „ Patres can. 21.) si Synodus Universalis fuerit congregata, „ & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis „ ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum „ convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & „ solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, „ non tamen audacter sententiam dicere contra Summos se„ niores Romæ Pontifices " (1) . Hic autem est illud animadvertendum cum Thomassino *Dissertatione* 15. *in Romanum Concilium sub Symmacho* num.16., hujus Concilii *Actione* 7. lecta, ejusque actis inserta fuisse acta Concilii Romani sub Symmacho, in quibus id statutum habebatur, Romanum Pontificem judicare de Præsulibus omnium Ecclesiarum, ipsum autem a nemine judicari. Deinde sicuti Thomassinus monet, " In ca„ none isto quum Patriarchalium quinque sedium ordo, & „ privilegium sanciatur, solius Romanæ Sedis hæc adseritur „ prærogativa, ut non a Dioscoro, non a Photio, non a quo„ quam alio examinari possit. Ibidem nonnisi in Œcumenica „ Synodo disceptari finitur ambiguitas quælibet exorta circa „ primam Sedem, nempe ubi ipsa per Vicarios saltem suos „ aderit, & præerit, adeoque auctoritatem ipsa adversum se „ dabit. Nequaquam autem ceteris Patriarchalibus thronis „ id condonatur, ut in eos non inquiratur nisi in Œcumenica „ Synodo. Præluxerat autem Hadrianus II., ubi monuerat, „ Honorium Papam in VI. Synodo fuisse damnatum, sed tunc „ demum, quum ejusdem primæ Sedis Pontificum consensus, „ & auctoritas præcessisset. Denique in Œcumenica etiam Sy„ nodo si qua nascatur de prima Sede controversia ; *oportet* „ *venerabiliter, & cum convenienti reverentia sciscitari, & solu*„ *tionem accipere, & proficere, non audacter sententiam proferre* „ *contra primam Sedem &c.* Quod oro te, quid aliud est, quam „ ut prima sedes purget se, & satisfaciat, non judicetur: ut „ factitatum est a Sixto, Symmacho, Pelagio, Leone, Ha„ driano II. " Hisce vero omnibus alia a nobis superaddi necesse non est, ut de eo constet, quod modo volumus.

B 2 §. VII.

(1) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 646.

§. VII. Bossuetius frustra conatur eludere auctoritatem præcitati canonis.

Defensionis &c. lib. 10., alias 15., cap. 21., illud in hoc canone decretum affirmat, " Ne Synodo quidem Œcumenicæ „ licuerit sententiam dicere iis casibus, quibus Photius dixe- „ rat; nempe adversus Romanum Pontificem, Apostolicum „ officium exequentem ". Superaddit quoque, in hoc canone statuisse Patres, ne Romanus Pontifex in judicium vocaretur, " Aut si qua peculiaria adversus eum crimina, & jurgia „ fererentur, aut si forte moverentur aliquæ peculiares quæ- „ stiones, qualis tunc erat controversia de Bulgarorum parœ- „ ciis ". Demum contendit, Synodo Œcumenicæ silentium non imponi, " Si forte inciderent hujusmodi causæ, quæ Pa- „ tres VI. Synodi adversus Honorium concitarunt, aut etiam, „ quæ a Concilio Constantiensi memorantur ".

Verum, ut cum Cl. Orsio loquar lib. 4. *De Romani Pontificis Auctoritate* cap. 21. " Tam levis est Illustrissimi Adversarii „ in hoc capite disputatio, ut mirum sit, gravissimum virum „ iis, quæ adnotat, contentum esse potuisse. Prudentius ab „ hoc loco prorsus abstinuisset, quum ex eo emergere non „ posset ". Tria ergo sunt, quæ in hoc canone a Patribus Constantinopolitanis constituuntur, quemadmodum etiam Christianus Lupus in *Scholiis*, & *Notis* ad eumdem animadvertit: 1. decernitur, ut nullus Patriarcha, & præsertim Romanus Pontifex, regia violentia e suo throno dejiciatur: 2. ne quis Photium, aut Dioscorum imitatus audeat *conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ complicare, & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum*: 3. (hoc vero est, quod manifeste præseferunt ea verba canonis, quæ nos citavimus) ne Romanus Pontifex ab Œcumenico Concilio judicetur. Id Patres, nulla adjecta conditione, nullorumque singularium occasione criminum, & multo minus Dioscori, atque Photii sceleris, de quo antea pronuntiaverant, habita ratione, absolute statuerunt, volueruntque, ne etiam ab Œcumenica Synodo ulla de causa Romanus Pontifex in judicium vocaretur. Qua autem ducti ratione ita decreverint, ex eorum Ency-

Encyclica epiſtola conſtat, in qua ita habent (1): " Qui enim „ dixit ad ſanctos Diſcipulos, & Apoſtolos ſuos : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* ; & „ ait ad Petrum Apoſtolorum principaliſſimam ſummitatem : „ *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, „ *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* ". Singularium ergo cauſarum in hoc decreto haberi rationem, Boſſuetius & ſine ullo fundamento, & contra mentem Conſtantinopolitanorum Patrum ſtatuit.

Neque etiam alias exceptiones, quas Boſſuetius commemorat, in citatum canonem cadunt, & licet caderent, nihil tamen ex eis Boſſuetius proficeret. Nam Patres in VI. Œcumenica Synodo congregati anathema Honorio dixerunt propter hæreſim, de qua accuſatus fuerat, & muniti auctoritate primæ ſedis id fecere. " Siquidem Romanum Pontificem (hæc Ha- „ drianus II. in Synodo Romana, quæ relecta fuere in *Actione* 7. Concilii VIII. Œcumenici) de omnium Eccleſiarum „ Præſulibus judicaſſe legimus: de ea vero quemquam judicaſ- „ ſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt „ mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quia „ fuerat ſuper hæreſim accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel „ pravos ſenſus libere reſpuere. Quamvis ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet „ fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ ſedis „ præceſsiſſet auctoritas.

„ Ingens tamen eſt (ſicuti recte animadvertit Cl. Orſius „ *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 4. cap. 21. art. unico) inter Conſtantienſe decretum, & VIII. Synodi conſtituta diſcrimen : illud enim ſtatim ac promulgatum eſt, ac deinceps, de caſu ſchiſmatis graviſſimi Theologi interpretati „ ſunt; atque ita reapſe interpretandum eſt, ſi volumus illud cum tota retro antiquitate conciliare, quæ præter quam „ in cauſa hæreſis certum legitimumque Pontificem ulli neque Œcumenico Concilio ſubjecit. At vero Concilii gene- „ ralis

(1) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 668.

„ ralis canonem, qui deinceps floruerunt Patres, ac Theologi „ etiam in Galliis ad usque Synodi Constantiensis tempora, „ nulla nisi aperte violatæ fidei limitatione exercuerunt "(1). Unde merito Thomassinus quoad rem istam *Dissert.* 15.in Concil. Rom. sub Symmacho num. 20. hæc superaddit: " Ergo „ quum inter duos aliquos, vel plures de Pontificatu certan- „ tes, dubia nutat Ecclesia, consentaneum est, ut Synodico „ ipsa judicio his sese expediat ambagibus: & non de Aposto- „ lica, ac prima sede, sed de ejus incubatoribus sententiam „ ferat. Quod tunc autem extundit necessitas, nec extra ne- „ cessitatis metas effundi debet ". Verum de Constantiensis Concilii canonibus nos infra uberius agemus, interimque illud nobis sufficit, nihil ex iis Bossuetium pro se colligere posse.

§. VIII. Si admittatur, Summum Pontificem in apertam hæresim incidere posse, tunc sane Ecclesia in eum suum judicium exercere valeret, neque ex hoc aliquid contra ea consequeretur, quæ usque modo disputavimus.

Fieri ergo posse; ut Summus Pontifex in apertam, manifestamque hæresim incidat, gravissimi Theologi tenent, atque tuentur. Hoc autem non ita accipi debet, sicuti etiam neque ab iisdem accipitur, quasi Pontifex in publico judicio fidei contra fidem errare, sed ut ipse aliquem errorem contra fidem manifeste tenere possit. Illud enim pugnat contra promissiones Christi, non vero istud. Si ergo admittatur, Summum Pontificem errore personali in hæresim labi posse; tunc sane Ecclesia judicii in eum exercendi potestatem habet. Nam ex eo quod Summus Pontifex in apertam hæresim incidat, non pertinet amplius ad Ecclesiam, sed extra eam manet; quum una tantum sit fides Ecclesiæ Catholicæ. " Rectores vero (si- „ cuti inquit Melchior Canus lib. 4. *De Locis Theologicis* cap. „ ult.) ac Magistratus, & Reipublicæ omnino administros il- „ los esse, qui Reipublicæ hujusmodi partes non sint, ne co- „ gitatione quidem informari potest ". Quapropter quum Summus Pontifex, semel ac eum in hæresim incidisse suppo-

natur,

(1) Vide loca eorum hujus cap. §. 5., & alia quoque apud Orsium in hoc loco.

natur, ad Ecclesiam amplius non pertineat, sed extra eam sit, ab ea quoque dignitate, atque auctoritate omnino excidit, qua totius Ecclesiæ Supremam curam gerebat. Unde si accurate loqui velimus, tunc Ecclesia, seu Œcumenicum Concilium e Supremo dignitatis, atque auctoritatis fastigio eum revera non dejicit, sed ob manifestum errorem fidei ab illa, quam habebat, dignitate, atque auctoritate excidisse declarat, ac omnibus indicit. A nemine autem est Summo Pontifici deneganda subjectio, quoad usque hujusmodi publicum Ecclesiæ judicium non præcesserit. Hanc responsionem cum Bellarmino lib. 2. *De Romano Pontifice* cap. 30., Petro de Marca lib. *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii*, Serryo *Dissert.* 2. *De Romano Pontifice* cap. 4., & Orsio lib. 4. *De Rom. Pontif. Auctoritate* lib. 4. cap. 21. art. unico, nonnullis aliis, quæ a quibusdam afferuntur, ad hunc nodum solvendum aptiorem putamus.

Ex ea autem illud consequitur, quod nos modo volumus, hoc est, propter judicium, quod in hac circumstantia rerum in Summum Pontificem ab Ecclesia exerceretur, nihil offici iis, quæ supra disseruimus. Ex eo enim quod Summus Pontifex a sua dignitate, atque jurisdictione tunc exciderit, neque minores contra superiorem judicium exercent, neque oves suum pastorem judicant.

§. IX. Ut Summus Pontifex in suis decretis alterius judicio subjectus sit, ei regimini repugnat, quod super universam Ecclesiam ipse habet.

„ Ad secundum sensum (inquit Bossuetius *Defensionis &c.* „ lib. 10.; alias 15., cap. 22.) ejus dicti pergemus: *Prima sedes non judicatur a quoquam*: quo significari videtur, ne ejus „ sententia retractari possit". His præmissis statuit, dictum illud neque *ad Œcumenica Concilia*, neque *ad quoscumque casus* extendi posse. Unde in fine capitis ita habet: " Neque vero „ contendimus, omnia Sedis Apostolicæ quacumque de re „ decreta in Synodis Œcumenicis retractanda; ne in quibuscumque etiam privatis negotiis Christianum orbem sollicitari oporteat; sed tantum ea, quibus universalis Ecclesia „ conturbetur".

Pro-

Profecto si hi duo casus excipiantur, in quibus Œcumenici Concilii est, Ecclesiæ paci, atque bono prospicere, hoc est, ut vel duo, vel plures in Ecclesia sint, qui de Suprema in universam Ecclesiam præfectura inter se contendant; vel ille unus, qui eam legitime tenet, in apertam hæresim incidat (1), non video sane, neminemque videre posse arbitror, quænam tandem decreta a Sede Apostolica proficisci possint, *quibus universa Ecclesia conturbetur*, ac propterea ad hujusmodi conturbationem amovendam Concilii Œcumenici judicium necessarium sit. Nam semel ac non dicatur, quemadmodum a nemine dici debet, Christum suæ Ecclesiæ fundamentum in eo extruxisse, atque illi singulariter dedisse claves regni cœlorum, præcepisseque, ut tum oves, tum agnos pasceret, qui universam Ecclesiam conturbare posset; semel ac quispiam non contendat, pro fide illius, ne deficeret, Christum rogasse, ac postea ei mandavisse, ut confirmaret fratres, qui etiam perturbare eosdem in fide poterat, ab Apostolica Sede proficisci hujusmodi decreta posse, *quibus universa Ecclesia conturbetur*, omnino falso confingitur. Verum nunc non de ista re contra Bossuetium, sed de altera, hoc est, de decretis Apostolicæ Sedis, quæ alterius judicio subjecta non esse tuemur.

Sanctionem legum regiminis potissimam partem esse, nullus sane negaverit. Ea namque fit, ut dominii potestas ad cunctos subditos extendatur, cunctaque tempora complectatur. Quare sanctio legum etiam in Monarchico regimine inter alia unum sit oportet, quod solus Supremus Princeps retineat, nullusque subditorum sibi quovis modo vindicare possit. Si igitur in republica unus tantum sit, qui leges ferre possit, ceteri vero omnes iisdem obtemperare debeant; tunc procul dubio potestas regiminis quoad hanc sui potissimam partem monarchica est: si vero etiam optimates in sanctione legum aliquid possint; potestas regiminis, hujus juris, quod est penes optimates, habita ratione, monarchica esse desinit: demum id multo magis contingit, si quamvis optimates in ipsa sanctione

(1) Vide quæ ex Orsio, & Thomassino hujus cap. §. 6. animadvertimus, & præced. §.

ne legum nullam partem habeant; tamen promulgatæ leges sunt eorum judicio subjectæ, deque æquitate illarum decernere possunt. Nam est quidem sublata forma Monarchici regiminis, quando optimates ad sanctionem legum sua auctoritate concurrunt, quamvis tunc ab eis quoque leges solummodo ferantur, nullum vero judicium in illas leges exerceatur, quæ sint Superiori sibi auctoritate constitutæ: igitur multo magis eadem forma monarchici regiminis sublata sit oportet, semel ac demus, leges illius, apud quem regimen monarchicum esse supponitur, optimatum judicio subesse. Sed paucioribus, quod volo. Dum optimates leges simul cum eo condunt, qui in republica primum locum tenet, nullum sane judicium in istum exercent, sed eo tantum jure utuntur, quod in legibus condendis ipsi quoque habent; & tamen, omnibus consentientibus, semel ac id contingat, forma monarchici regiminis saltem quoad istam partem e medio tollitur. Multo ergo magis ratio ipsa monarchici regiminis omnino tollitur, dum vel illius leges, qui monarchicum regimen in republica tenet, vel supremi imperantis judicium, Optimatum judicio subjicitur. Quum igitur Summus Pontifex monarchicum regimen, & quidem perfectum, absolutumque, super universam Ecclesiam habeat (1), ipsa ratio regiminis, qua potitur, nullo modo patitur, ut ejus publica decreta, quæ haberi debeant, uti quædam leges ad universam Ecclesiam spectantes, alieno judicio subjecta sint, etiamsi ad Conciliorum Œcumenicorum auctoritatem attendatur, quia ipsius est, non minus Concilia Œcumenica convocare, illis præesse, uti caput, sed etiam eorum decreta confirmare, ut in universam Ecclesiam suam plenam auctoritatem habeant (2).

§. X. Etiam quæ est in Summo Pontifice Suprema legislativa potestas nullo modo finit, ut decreta ejus alterius judicio subjecta sint.

Supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam in Summo Pontifice admitti oportere, jam evicimus (3). Modo autem ita ex hoc principio. Semel ac decreta Summi Pon-

(1) Lib.20. cap.4. (2) Lib.21. cap.1. & seqq. (3) Lib.19. cap.3.

Pontificis, quæ instar quarumdam legum, pro universa Ecclesia editarum, haberi debeant, alterius judicio subjecta sint, corruit sane, atque omnino deficit ea Suprema legislativa potestas, qua idem Summus Pontifex super universam Ecclesiam potitur. Implicant enim hæc duo inter se, uti nemo non novit: Summum Pontificem præditum esse Suprema legislativa potestate super universam Ecclesiam, & decreta ejus, quæ instar quarumdam legum, pro universa Ecclesia editarum, haberi debeant, alterius judicio subjecta esse, etiamsi ad Concilia Œcumenica attendatur. Quandoquidem quum in Conciliis auctoritas quoque illorum, qui sub universa Ecclesia continentur, simul reperiatur, legislativa potestas, quæ universam Ecclesiam complectitur, ad Concilia quoque Œcumenica extendatur oportet. Hinc vero est, ut Patres congregati in Conciliis Œcumenicis Supremam legislativam potestatem Summi Pontificis agnoverint, atque professi fuerint (1).

§.XI. Ea loca Divinarum Scripturarum, ex quibus Supremam præfecturam S. Petri non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam auctoritatis, atque jurisdictionis omnino compertam habemus, ostendunt quoque decreta Summi Pontificis alterius judicio subjecta non esse.

Primus locus ille est, ut in iis tantum sistamus, quibus hanc Supremam Petri Præfecturam nos evicimus (2), ille est, inquam, qui *Matthæi* cap. 16. legitur, in quo traditum habemus, Petrum a Christo Domino totius Ecclesiæ fundamentum constitutum fuisse. Ex ipsa ergo fundamenti ratione manifestum esse contendimus, quod nos modo volumus. Nam fundamenti sane est, sustentare ædificium, nullo autem modo ædificii, sustentare fundamentum. Tota autem vis, & ratio fundamenti a Jesu Christo in Petro positi in eo consistit, ut ad Petrum universam Ecclesiam regere spectaret. Ecclesia autem, quæ constat ex cœtu Fidelium omnium, necesse sane est, ut promulgatione decretorum regatur. Neque enim fieri potest, ut ab ejus Supremo Capite voce singulis indicatur, quid ab eis credi, vel quacumque in re præstari debeat. Decre-

(1) Cit. loco §. 10. (2) Lib. 18. cap. 1.

creta igitur, quæ quoad hoc totum negotium ab ejus Supremo Capite proficiscuntur, nullius judicio subjecta sint oportet, ne affirmare cogamur, fundamentum sustentari ab ædificio, non vero ædificium a fundamento. Hoc autem, quod diximus de decretis Supremi Ecclesiæ capitis, verum est, etiamsi ad Concilia Œcumenica respiciatur. Nam præsentibus, & simul adstantibus discipulis, Christus Ecclesiæ fundamentum in Petro constituit. Unde S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 26.* „ Vides (inquit) quemadmodum ex Christi discipulis, magnis „ utique omnibus, & excelsis, & electione dignis, hic petra „ vocetur “. Tunc vero supremum Hierarchicum ordinem in discipulis contentum fuisse, sicuti nunc in Ecclesiarum sacris Præsulibus continetur, nullus sane negaverit. Petrus ergo quum, illorum quoque simul unitorum habita ratione, Ecclesiæ fundamentum fuerit, etiam Petri successor esse debet, si ad istos una simul unitos attendatur.

Quod nos modo volumus, ex illis quoque verbis consequitur, quibus Christus, prout *Lucæ* cap. 22. legimus, Petrum certiorem fecit, se rogasse, ne deficeret fides illius, eique mandavit, ut suos fratres confirmaret. Iisdem enim verbis judicio Petri omnes Fideles subjiciuntur, nullo autem modo Petrus subjicitur judicio Fidelium, & quidem etiamsi Fidelium potissima, atque præcellentissima pars respiciatur. Nam præsentibus, & simul adstantibus Apostolis, Christus Petro præcepit, ut fratres, nemine excepto, confirmaret. Quomodo vero ipse omnes fratres, nemine excepto, confirmare poterat, si decreta ejus, judicio fratrum quovis modo subjecta fuissent?

Tandem totius Christiani gregis pascendi curam Petrus a Christo recepit, dum ab eo sibi mandatum intellexit, ut tum oves, tum agnos pasceret, sicuti habetur *Joan.* cap. 21. Ob hujusmodi autem præceptum pascendi oves, & agnos supremum munus quoad ea omnia Petrus recepit, quæ ad illam religionem pertinerent, quam Christus Apostolis ubique terrarum promulgandam indixit. Si ergo pastoris est, pascere oves, & agnos; non vero ab iis pasci; decreta, quæ ab hoc supremo Pastore

proficiscuntur, ovium, agnorumque judicio subjecta esse nullo modo debent. Est igitur manifestum, quod ea loca Divinarum Scripturarum, ex quibus Supremam præfecturam S. Petri non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam auctoritatis, atque jurisdictionis, omnino compertam habemus, ostendunt quoque decreta Summi Pontificis alterius judicio subjecta non esse.

§.XII. Idem etiam consensione Sanctorum Patrum confirmatum habemus.

„ Ad hanc enim Ecclesiam (inquit S. Irenæus lib.3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 2.) propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique, Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio". Multa sane in hunc Irenæi locum animadverti possent; tamen illud tantum modo a nobis prætereundum non esse arbitramur, hanc potiorem Romanæ Ecclesiæ principalitatem Irenæum in ea successione reponere, quæ tunc temporis a S. Petro usque ad Eleutherium habebatur. Si ergo Irenæus sentit, omnem Ecclesiam cum Romana convenire debere ob ejus potiorem principalitatem, quæ ab illius capite proficiscitur; consequens inde est, Irenæum putasse, decretis a Summo Pontifice editis ab omnibus acquiescendum esse. S. Cyprianus epistola 49. ad Cornelium ab eo instructus se didicisse testatur, *docere, & instruere ceteros* contra Novatiani, & Novati errores. Et epist.67. ad eumdem Cornelium, certiorem illum facit, Novatianum, quum per legatos ab Episcopis Africæ petiisset, ut ab eis in suam communionem reciperetur, repulsum unanimi consensione fuisse, quia prophanum altare contra ipsum Cornelium erexerat: " Hinc a Concilio plurimorum Sacerdotum, (inquit) qui præsentes eramus, sententiam retulerit, se foris esse cœpisse, nec posse a quoquam nostrum sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei judicio, & Cleri, ac plebis suffragio ordinato prophanum altare erigere ..... tentaverit". S. Basilius epist. 69., alias 50., ad Athanasium data, num. 1., optimum sibi visum fuisse tradit, scribere ad Summum Pontificem, eumque rogare, ut

ut Orientalis Ecclesiæ malis occurreret, atque impios ab ea errores repelleret: " Nobis autem, (inquit) operæ pretium
" esse visum est, ad Episcopum Romæ scribere, ut res nostras
" invisat, & consilium dare, ut quum illinc communi, ac Sy-
" nodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium
" suo marte aggrediatur ".

Ad Augustinum modo veniamus, cujus hac de re testimonium ita exploratum est, ut nihil clarius desiderari possit. Celebres ergo hac de re sunt tres ad Innocentium primum epistolæ ab Augustino scriptæ, una quidem nomine Concilii Carthaginensis, altera Milevitani, tertia quinque Episcoporum Africæ, ex quibus de Suprema Pontificiorum judiciorum auctoritate constat. Carthaginensis itaque Concilii Patres & quæ adversus Pelagium Cælestiumque decreverant, Innocentii I. Romani Pontificis discussioni subjiciunt (1), & eorumdem decretorum ultimum judicium ab eo se expectare, hisce verbis profitentur (2): " Quæcumque autem alia eis objiciuntur,
" non dubitamus, venerationem tuam, quum gesta Episco-
" palia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta
" dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordia
" gaudeamus ". Ad hæc vero Innocentius (3) " Antiquæ tra-
" ditionis (inquit) exempla servantes, & Ecclesiasticæ memo-
" res disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minus nunc in
" consulendo, qua antea, quum pronuntiaretis, vera ratio-
" ne firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse ju-
" dicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, quum omnes hoc
" loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur ".

Milevitani Concilii Patres Carthaginensium Patrum exemplum sequuti, & ipsi quidem ad Innocentium epistolam dederunt, in qua eum deprecantur, ut *magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam* adhibeat, indeque se sperare affirmant, judicio ejus esse illos obsequuturos, qui perversa sentiunt (4): " Sed arbitramur (inquiunt)
" adjuvante misericordia Dei nostri ..... auctoritati Sanctita-
" tis

(1) Epist. 175., alias 90., num. 2. (2) Cit. epist. 6. (3) Apud Coustantium epist. 29. num. 1. (4) Epist. 176., alias 92., num. 4.

„ tis tuæ, de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, „ facilius eos, qui tam perversa, & perniciosa sentiunt, esse „ cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur, quam „ contristemur interitu". Hos Patres Innocentius laudat, quia ipsi quoque regulam antiquæ formæ sequuti essent (1): „ Diligenter ergo, & congrue (inquit) Apostolici consulitis „ honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem præter illa, „ quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesia„ rum) super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia: anti„ quæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab „ orbe mecum nostis esse servatam".

Tertia est ea epistola, quam Episcopi Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius, & Possidius hac eadem de re ad Innocentium dederunt. Hi autem postquam Romanam fidem esse fontem rectæ fidei dixerunt, illud superaddunt, fidem, de qua ad eum referunt, rectam esse non posse, nisi tamquam rivus ex illo fonte derivetur, & ex illo fonte revera derivari, Innocentii auctoritate probatum volunt (2): " Non enim „ (ajunt) rivulum nostrum tam largo fonti augendo refundi„ mus; sed in hac non tam parva tentatione temporis..... „ utrum etiam noster, licet exiguus, eodem quo etiam tuus „ abundans emanet capite fluentorum, hoc a te probari vo„ lumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius „ gratiæ consolari". Ad hæc Innocentius quid de Pelagianorum perfidia, & errore judicaret, in responsione ad alias duas epistolas Carthaginensium, & Milevitanorum Patrum a se missas sese aperuisse respondit (3).

Verum enim vero quæ mens Augustini hac de re fuerit, magis magisque elucescit, si attendatur, quid ipse tenuerit, atque ab omnibus tenendum affirmaverit, postquam Innocentius suam sententiam de iis protulit, quæ ad illum delata fuerant. Nam S. Doctor nullum amplius defensioni, aut excusationi locum Pelagianis superesse posse affirmavit, judiciumque finitum esse, postquam Innocentius suam de eis sententiam tule-

(1) Apud Coustantium epist. 30. num. 2. (2) Epist. 177., alias 95. num. 19. (3) Apud Coustantium epist. 31. num. 1.

tulerat: « Jam enim (ait *serm.* 132. num. 2., alias *serm.* 2. *De* „ *Verbis Apostoli*) de hac causa duo Concilia missa sunt ad Se„ dem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa „ finita est: utinam aliquando finiatur error «. Lib. autem 2. *Contra duas epistolas Pelagianorum* num. 5. litteris beatæ memoriæ Innocentii *totam dubitationem* sublatam fuisse affirmat. Contra vero antequam Innocentius damnaret Pelagianos, hæresim illorum *nondum evidenter ab Ecclesia separatam* tradit epistol. 94., quamvis eam duo Africana Concilia jam prædamnassent. Cur vero Augustinus dixerit, & quidem in publica concione, esse finitam causam Pelagianorum, postquam Innocentius eam damnavit, antea vero, licet a duobus Africanis Conciliis illa proscripta fuisset, ab Ecclesia nondum evidenter separatam tradiderit, in cujuslibet per se mentem statim cadit. Unde non est, cur confingatur (1), Innocentii decreto causam Pelagianorum finitam esse, Augustinum affirmasse *ob apertam perniciem*, *&* *paucitatem Pelagianorum*: nam eadem erat & aperta pernicies, & paucitas Pelagianorum, etiam quando illa duo Africana Concilia habita fuerunt, quorum definitionem Innocentius confirmavit: tamen, habita ratione definitionis, quam hæc duo Concilia ediderant, hæresim Pelagianorum *nondum evidenter ab Ecclesia separatam*, Augustinus dixit, esse vero *finitam causam illius*, & *totam dubitationem sublatam*, postquam Innocentius de ea suum judicium tulit. Augustinum post decretum Innocentii causam inde finitam dixisse, quia Innocentius Conciliis Africanis responderat, *quod antiquitus Apostolica Sedes cum ceteris tenet perseveranter Ecclesiis*, Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 3. §. 8. num. 4. animadvertit, ut ex Augustino non constare concludat, quod nos volumus: quasi vero dum Summus Pontifex quidquam rectæ fidei contrarium esse definit, quod non tenet antiquitus Apostolica Sedes cum ceteris Ecclesiis statuere possit, aut quidquam de ultima ejus judicii ratione ex eo detrahatur, quia decernit, quod antiquitus Apostolica Sedes cum ceteris tenet Ecclesiis.

Quæ

(1) Vide Bossuetium *Defensionis &c.* lib. 9., alias 14., cap. 2.

Quæ Febronius superaddit, ad rem nostram modo non faciunt, quum de Augustini sententia tantum agamus.

Scripsit quidem S. Augustinus lib. 3. *De Baptismo* num. 16. & lib. 2. num. 5., dum de ea quæstione ageret, quæ de rebaptizandis, vel non rebaptizandis hæreticis inter Stephanum, & Cyprianum exarsit, se quoque iturum fuisse in Cypriani sententiam, neque ausurum asserere contrarium ejus, nisi Ecclesiæ toto orbe diffusæ, plenariique Concilii auctoritate teneretur. Ex his autem illud constare videtur, nullam ab Augustino rationem ejus decreti habitam fuisse, quod Stephanus hac de re jam tulerat. Verum refellere Donatistas, hoc vero est, quod S. Augustinus in his libris sibi proposuerat. Unde contra Donatistas, qui Cypriani auctoritate abutebantur, 1. animadvertit, eorum tempore quæstionem de rebaptizandis hæreticis ita discussam esse, ut nihil amplius desiderari posset: 2. Cypriani ætate illam nondum finitam auctoritate Concilii plenarii: 3. Cyprianum nunquam se sejunxisse a communione Catholicorum, sicut Donatistæ fecerant. Discussionem ergo illam, quæ in Concilio plenario facta erat, quæque Cypriani tempore nondum habita fuerat, ejusque unionem cum Ecclesia Catholica, Augustinus Donatistis opposuit, ut eorum, & Cypriani causam diversam esse evinceret. At Stephani decretum non opposuit: ita sane, id autem ideo facere omisit 1. quia non accusare, sed excusare in eo, in quo poterat, Cyprianum sibi proposuerat, ut ostenderet Donatistis, quam præter omnem rationem illius auctoritate abuterentur: 2. quia Donatistæ jam separati erant ab Ecclesia Catholica, ac propterea Stephani decretum nihili fecissent. Verum, inquies, quia separati ab Ecclesia Catholica nihili quoque facere debuissent decretum plenarii Concilii, & tamen illud eis Augustinus objecit. Sane objecit, non eo tamen ex capite, quia, sicut Christus promisit, Ecclesia in Conciliis Œcumenicis simul legitime congregata in suis de fide decretis errare non potest, sed quia nunquam moraliter contingit, ut locus falsitati supersit, postquam aliqua res in multis diversisque

fisque regionibus a pluribus, & gravissimis viris diligenter expensa, a multis Episcopis, atque etiam Synodis singularibus discussa, ac tandem ad plenarium Concilium delata consensione Episcoporum certum de ea judicium latum fuerit.
„ Quomodo enim potuit (inquit Augustinus lib.2. *De Baptismo* num.5.) ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam confirmationem illustrationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret "? Quapropter Non debuit Augustinus (quemadmodum Cl. Orsius *De Rom. Pont. Auctoritate* lib.3. cap.3. art.2. monet) in hac de hæreticorum baptismate adversus Donatistas disputatione, ut Conciliorum generalium, ita Stephani auctoritatem urgere: nam rem humano more æstimando, ut absurdum est, totius orbis Episcoporum post diutinas de aliquo argumento conflictationes in unam eamdemque sententiam in plenaria Synodo conspirantium multitudini refragari; ita rationi consonum non esse videtur, ut unius hominis auctoritati, & judicio in re multis adhuc altercationum nebulis involuta universus orbis cedere debeat". Humanum ergo morem sequutus Augustinus, & auctoritatem plenarii Concilii Donatistis objecit, & de se ita pronunciavit in lib.2. *De Baptismo* num.5. " Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere (contra Cypriani sententiam) nisi Ecclesiæ Catholicæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur ". Insistit ergo semper Augustinus eidem naturali ratiocinandi modo, & nullo habito respectu decreti ipsius Stephani, cujus sane, juxta hanc ratiocinandi rationem habere non debebat, se quoque non adversaturum Cypriano tradit, si Ecclesiæ Catholicæ concordissimam auctoritatem pro se non haberet. Quare non ea ratione, qua Bossuetius vellet *Defensionis &c.* lib.9., alias 14., cap.3., Concilii plenarii auctoritatem contra Do-

natiſtas urget, ſed omnino diverſa, quæ ad id, quod ipſe contendit, nullo modo conducit.

Sicuti vero *Miltiadis Papæ ſententia judicium clauſum* eſſe in controverſia Donatiſtarum Optatus Milevitanus lib. 1. *Contra Parmenianum* affirmavit (1); ita etiam Proſper Aquitanus in 2. par. *Chronici* auctoritate Zoſimi per totum mundum hæreſim Pelagianam damnatam fuiſſe affirmavit: " Concilio (inquit) apud Carthaginem habito ducentorum ſexdecim Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata ſunt, quibus probatis, per totum mundum Pelagiana hæreſis damnata eſt ". S. Gregorius Magnus lib. 5. indict. 13. epiſt. 54. ad Epiſcopos Galliæ, alias 52., judicium de rebus fidei, aliiſque negotiis gravioribus a Sede Apoſtolica finiendum hiſce verbis tradit: " Si quam vero contentionem, quod longe faciat Divina potentia, de fidei cauſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſua magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem: quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari ".

His omnibus, quamvis multos alios poſſemus, unum tantum S. Thomam adjungimus, qui & ultimum de rebus fidei judicium ad Summum Pontificem pertinere indubitanter affirmavit, ſuæque aſſertionis eam rationem poſuit, quam Adverſarii nunquam eludere poterunt. Quærit S. Doctor 2. 2. qu. 1. art. 10. ad quem ſpectet ordinare Symbolum fidei, atque id ſpectare ad Summum Pontificem ideo decernit, quia " Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur ".

Hac

(1) A Melchiade *ultimam ſententiam* prolatam dixit etiam Auguſtinus epiſt. 43., alias 162., num. 16: unde Febronius *De Statu Eccleſiæ* cap. 2. §. 7. num. 8. fruſtra opponit, Auguſtinum in eadem epiſt. num. 19. hæc dixiſſe: " Reſtabat adhuc (Donatiſtis) plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari ". Id enim ſuperfuiſſe dicit ad pleniorem convictionem Donatiſtarum ob eam rationem, quam ſupra expoſuimus.

Hac vero ratione ostendit, *finaliter determinare ea, quæ sunt fidei*, Summo Pontifici convenire: " Hoc autem (inquit) pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores „ & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in „ *Decretalibus* extra *De Baptismo* cap. *Majores*. Unde & Dominus *Lucæ* 22. 32. Petro dicit, quem Summum Pontificem „ constituit: *Ego rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat fides* „ *tua*: *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et hu„ jus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ se„ cundum illud 1. *Corint.* 1. 10. *id ipsum dicatis omnes*, *& non* „ *sint in vobis schismata*: quod servari non posset, nisi quæstio „ fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest; „ ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur ". Omnem hic lapidem Bossuetius movet *Defensionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 16., ut evincat, in ea S. Thomam sententia fuisse, ut putaverit, non in solo Summo Pontifice hujusmodi auctoritatem residere, sed in eo, quatenus Concilio utitur, & adjutorium universalis Ecclesiæ requirit. Id S. Antonini Angelicum Doctorem explicantis auctoritate confirmat. Quo autem sensu S. Antoninus *Summæ* 3. par. tit. 23. cap. 3. §. 4. dicat, quod Summus Pontifex sit infallibilis *utens Concilio*, *& requirens adjutorium universalis Ecclesiæ*, nunc non est explicandum a nobis, & ex dictis res ipsa constat; neque enim id paucis præstari posset, sed solummodo doctrinæ S. Thomæ contra Bossuetium insistendum. Quod ergo ipse vult, inde se colligere posse putat, quia S. Thomas art. 9. ejusdem quæstionis 1. tradit, universalem Ecclesiam errare non posse: 2. auctoritate universalis Ecclesiæ symbolum editum fuisse: 3. confessionem fidei in symbolo fieri *quasi ex persona totius Ecclesiæ*, *quæ per fidem unitur*. Nonnulla quoque alia hoc eodem in capite Bossuetius animadvertit, ut S. Thomam in sua placita trahat, quæ utpote aliena ab eo, de quo nunc agimus, a nobis expendi non debent. Sacrarum ergo Scripturarum, Sanctorumque auctoritate Patrum S. Thomas edoctus Ecclesiam errare non posse tenet, atque firmissime quidem tenet: verum anne cum hoc fortasse pugnat, ultimum de rebus fidei judicium

ad Summum Pontificem ſpectare ? Ejus profecto Eccleſiæ, quæ errare non poteſt, unam fidem eſſe oportet: hæc autem unitas, ſicuti hic habet S. Thomas, " Servari non poſſet, „ niſi quæſtio fidei exorta determinetur per eum, qui toti „ Eccleſiæ præeſt ". Tantum ergo abeſt, ut hæc inter ſe duo pugnent, hoc eſt, Eccleſiam errare non poſſe, & ultimum de rebus fidei judicium ſpectare ad Summum Pontificem, ut, auctore S. Thoma, unum cum altero neceſſario connexum ſit. Eccleſia namque in ipſa fide deficeret, ſi fidei unitatem non haberet: ad hanc autem requiritur, ut, quæ fidei ſunt, per eum determinentur, qui toti Eccleſiæ præeſt: indefectibilitas ergo fidei ipſius Eccleſiæ cum eo ſupremo judicio connexa eſt, quod de rebus fidei ſpectat ad Summum Pontificem.

Auctoritate autem univerſalis Eccleſiæ ſymbolum editum eſſe, S. Thomas in citata quæſtione art. 9. affirmat: at anne fortaſſe ſibi contradicit, dum ad Summum Pontificem ſpectare dicit, ordinare ſymbolum fidei ? Symbolum ergo fidei in Conciliis generalibus editum fuiſſe, atque ad hanc formam redactum S. Thomas confitetur; indeque eſt, ut illud univerſalis Eccleſiæ auctoritate editum dicat: verum nonne & congregare Synodos, & eorum decreta confirmare ſpectat ad Summum Pontificem? nonne ex hoc tribui primo debere Summo Pontifici eas definitiones fidei, quæ fiunt in Conciliis, S. Thomas diſſertiſſime tradit? Nam in hoc eodem art. 10. quæſt. 1., in quo tuetur, ad Summum Pontificem ſpectare ordinare ſymbolum fidei, hanc ſibi objectionem ſecundo loco proponit: novam editionem ſymboli ab univerſali Eccleſia ſub anathemate interdictam eſſe, indeque fieri, ut ea neque etiam ad Summum Pontificem ſpectare poſſit. Huic autem difficultati ita reſpondet: " Sententia Synodi (Epheſinæ) ſe extendit ad privatas perſonas, quarum non eſt determinare „ de fide. Non enim per hujuſmodi ſententiam Synodi generalis ablata eſt poteſtas ſequenti Synodo novam editionem ſymboli facere, non quidem aliam fidem continentem, „ ſed eamdem magis expoſitam ". Ex his autem ita colligit: „ Unde pertinet ad Summum Pontificem (ſcilicet ordinare „ ſym-

„ ſymbolum fidei) cujus auctoritate Synodus congregatur, „ & ejus ſententia confirmatur ".

Fidei confeſſio in ſymbolo quidem fit, *quaſi ex perſona totius Eccleſiæ, quæ per fidem unitur*, ſicuti affirmat S. Thomas in 9. art. ad 3., indeque recte colligit, *non inconvenienter* fidei ſymbolum tradi ſub hac forma verborum: *credo in Deum*, quamvis non omnes Fideles utiliter ad ſalutem credant in Deum, ſed illi, qui fidem formatam habent. Ex his autem conſequi poſſe, quod Boſſuetius vellet, nemo unquam ſibi finxerit. Verum uſque modo de conſenſione Patrum in hanc rem, de qua agimus.

§. XIII. Boſſuetius fruſtra conatur eludere, quod de ſuis decretis non retractandis Summi Pontifices tradiderunt.

Illud Bonifacii I. ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem in II. Romano Concilio repetitum (1): " Nunquam enim „ licuit de eo rurſum, quod ſemel ſtatutum eſt ab Apoſtolica „ Sede, tractari ": ſicut etiam hoc alterum Nicolai I. in epiſt. ad Imperatorem ex eodem Bonifacio deſumptum (2): " Nemo unquam Apoſtolico culmini, de cujus judicio non licet „ retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc re„ bellis extitit, niſi qui de ſe voluerit judicari " ita accipienda dicit *Defenſionis &c.* lib.10., alias 15., cap.22., ut *ad Concilia etiam generalia non protendantur*. Hoc autem inde affirmat, quia uti certum aſſumit, ſynodos Œcumenicas III., IV., VI., VII., VIII., de decretis Romanorum Pontificum judicium inſtituiſſe. Id autem in ſequenti capite refutabitur a nobis.

Hæc autem alia, quæ Gelaſius habet in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ (3) " Quod (Sedes Apoſtolica) de omni Ec„ cleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat „ judicare judicio "; intelligi non debere dicit de Conciliis Œcumenicis, in quibus ſententias Romanorum Pontificum *retractatas* fuiſſe, rurſus confidenter affirmat, adeoque vult, Gela-

(1) Tom.2. Concil. edit. Harduini colum.1125. (2) Tom.5. Concil. ejuſdem edit. col.167. (3) Tom.2. Conc. ejuſdem edit. epiſt. 7. colum.909.

Gelasium, dum affirmavit, Sedi Apostolicæ tributam facultatem de omni Ecclesia judicandi, exposuisse " Omnem per
" partes; ut scilicet ab ejus judicio nulla pars orbis immunem
" se putaret ". Id autem inferendum esse affirmat ex hisce sequentibus Gelasii verbis: " Siquidem ad illam de qualibet
" mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem
" nemo sit appellare permissus ". Unde ipse superaddit:
" Quod erat *omnem* per partes, *non omnem* collectim judica-
" re ". Verum expositio, quam Gelasii verbis ipse tribuit, ex eodem Gelasio refutatur: hæc enim Gelasius præmittit:
" Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Ec-
" clesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum
" Sedes B. Apostoli Petri jus habeat resolvendi ". Deinde vero superaddit: " Utpote quod de omni Ecclesia fas habeat ju-
" dicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio ".
Pluribus postea commemoratis, quibus constat de jure Apostolicæ Sedis super Ecclesiam quaquaversum diffusam, ita statuit: " Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probaverat,
" constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum,
" Ecclesia tota suscepit ". Et in tomo de vinculo anathematis (1): " Totum (inquit), ut dictum est, in Sedis Apostо-
" licæ positum est potestate: ita quod firmavit in Synodo
" (Chalcedonensi) Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit:
" quod refutavit, habere non potuit firmitatem: & sola re-
" scidit, quod præter ordinem congregatio Synodica putave-
" rat usurpandum ". Anne cum Bossuetiana interpretatione ista consentiunt?

Dum vero Gelasius hæc habet in epistola ad Episcopos Dardaniæ: " Siquidem ad illam (Sedem Apostolicam) de qua-
" libet mundi parte Canoues appellari voluerint, ab illa au-
" tem nemo sit appellare permissus "; confirmat sane, quod nos modo volumus: nam si judicio Apostolicæ Sedis ad alterum judicium nemo appellare potest, judicium Apostolicæ Sedis ultimum, atque omnium supremum esse consequitur.

CA-

(1) Cit. tomo colum. 933.

CAPUT II.

DE SUPREMA JUDICII POTESTATE, QUÆ SUMMO PONTIFICI TRIBUI DEBET, HABITA RATIONE OCTO PRIMORUM CONCILIORUM ŒCUMENICORUM.

§. I. Nicæni Concilii, Œcumenici I., auctoritate probatur, Supremam judicii potestatem Summo Pontifici tribuendam esse.

Quæ de hisce octo primis Conciliis Œcumenicis, habita ratione illius Supremi judicii, quam Summo Pontifici tribuendam tuemur, nunc disputaturi sumus, non solum magna ex parte, sed omnino pendent ex iis, quæ lib. 21. cap. 2., & 3. fuse disseruimus, dum ea de potestate ageremus, quam habet Summus Pontifex, quatenus supremam præfecturam super universam Ecclesiam obtinet, tum præsidendi Conciliis Œcumenicis, tum confirmandi, ultimamque firmitatem superaddendi decretis eorum. His enim in capitibus, dum de hac utraque potestate disseruimus, non solum si ad ipsum jus attendatur, palam fecimus, Summo Pontifici tribui oportere potestatem præsidendi Conciliis Œcumenicis, & eorum decreta confirmandi, quemadmodum etiam in præcedenti capite præstitimus, in quo de illius suprema judicii auctoritate pertractavimus, sed etiam ea de potestate ex octo primis Œcumenicis Conciliis perspectum esse ostendimus. Quo sane semel posito, quod nos modo volumus, ex se ultro consequitur. Nam si dum de judicio ferendo agitur, ultima judicii ratio ei non tribuatur, qui cum auctoritate præest cœtui judicium ferenti, ejusque definitiones confirmando, ultimam firmitatem illis confert, non video sane, cuinam tribui debeat. Quapropter in hac tota nostra disputatione, ne rem actam agamus, ex illis Ecclesiasticæ historiæ monumentis, quæ in duobus prædictis capitibus, & præcipue in tertio, in medium protulimus, argumentando colligemus, quod nos modo volumus, atque aliquando, prout disputatio feret, vel postulare videbitur, ea superaddemus, quibus Supremam judicii rationem Summo Pontifici tribui debere,

bere, magis magisque constabit. Hac ergo de re modo ex Nicæno Concilio.

Huic Concilio Summus Pontifex præfuit, atque ita quidem, ut definitiones illius rexerit, moderatusque fuerit (1): ratas quoque suo judicio easdem habuit, atque ita ultimam firmitatem illis tribuit (2). Quapropter si quoties multi ad aliquid definiendum, atque constituendum simul in unum conveniunt, ultima judicii sententia ad eum pertinet, qui ita præest omnibus, ut non solum definitiones eorum regat, sed etiam easdem sua auctoritate confirmet, indeque fit, ut suam plenam firmitatem illæ habeant; est sane dicendum ex Nicæno Concilio nobis compertum esse, ultimum judicium ad Apostolicam Sedem pertinere. Hinc vero est, ut a Theodorito lib. 2. *Hist. Ecclesiast.* cap. 22. traditum habeamus, Damasum, & Romani Concilii Patres in epistola Synodica ad Episcopos Illyrici fidei Nicænam formulam *Apostolorum*, seu *Apostolica* auctoritate firmatam agnovisse, & hac de causa facta inter se comparatione formulæ Nicænæ, & Ariminensis, hanc rejecisse, quamvis ei maximus numerus Episcoporum suffragatus fuisset, quia absque sententia Romani Pontificis condita erat: " Neque " enim præjudicium aliquod nasci potuit (inquiunt) ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: quum constet, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos illibate servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse ..... Unde advertit sinceritas vestra, hanc solam fidem, quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam ".

§.II. Bossuetius frustra nititur reponere robur decreti Concilii Nicæni in Episcopalis tantum collegii consensione.

Defensionis &c. lib. 7., alias 12., cap. 7. illud opponit, nihil a Sylvestro decretum fuisse, quod Synodi sententiam vel præcesserit, vel confirmarit: " Ceterum (inquit) neque ante, neque post Concilium Nicænum, adversus Arianos quidquam decretum esse legimus a Sylvestro Papa, quod Synodi

(1) Lib. 21. cap. 2. §. 13. & 14. (2) Cit. lib. cap. 3. §.

„ di sententiam vel præcederet, vel firmaret"; indeque colligit, " Decreti robur in Episcopalis collegii consensione positum fuisse". Verum præter omnem rationem id sane colligit. Uti enim inter alios etiam Natalis ab Alexandro advertit in *Hist. Ecclesiast.* seculi 4. differt. 12. art. unico: " Qui Romani Pontificis in Synodo vices gerit, eum tenet in Synodo locum, muniaque illa obit, quæ iniret Pontifex Romanus, si inibi præsens esset". Hoc autem tunc contingit, quando qui ab Apostolica Sede, ut Concilio præsideant, Legati mittuntur, iique prius ab Apostolica Sede in iis omnibus instituti, quæ in controversiam veniunt, atque in Concilio definienda sunt, dum Concilio præsunt, Conciliique decreta confirmant, quam acceperunt, institutionem sequuntur. Id ergo si habeatur; tunc sane quod Legati Apostolicæ Sedis in Concilio egerint, in eodem pretio habendum erit, ac si ab Apostolica Sede actum fuisset. Hinc S. Leo in epistola data ad Patres Chalcedonenses (1) eos monet, ut se in persona suorum Legatorum Concilio adesse, atque præsidere putent: " Tamen (inquit) in his fratribus, Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas æstimet præsidere, non adjuncta vobis præsentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum". Quum ergo Nicænæ Synodo S. Sylvester per suos Legatos præfuerit (2), ejusdemque decreta confirmaverit (3); dicendum sane est, etiam in hoc Concilio *decreti robur in Episcopalis collegii consensione* solummodo positum non fuisse, sed in consensione Episcoporum, quatenus cum Romano Pontifice per Legatos illius, veluti cum suo capite, conjungebantur: " Eo plane modo, (sicut inquit Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 7. art. 2.) quo salus, & vita, motusque corporis ita in integritate sita sunt, & mutua membrorum consensione, ut tamen ex eorum cum „ capi-

(1) Juxta edit. Cacciarii 73. (2) Lib. 21. cap. 2. §. 13. (3) Cit. lib. cap. 3. §. 20.

„ capite conjunctione, atque ex ipso capite defluant, atque „ originem ducant".

§. III. Constantinopolitani I. Concilii, Œcumenici II., auctoritate confirmatur, ultimum judicium spectare ad Summum Pontificem.

Huic sane Concilio Damasus neque per se ipsum, neque per suos Legatos præfuit. Ob posteriorem ergo consensionem Romani Pontificis uti Œcumenicum habitum fuit, quemadmodum jam animadvertimus (1). Hujus tamen Concilii Patres in epistola Synodica ad Damasum, aliosque Episcopos data, quæ a se constituta erant, comprobari, atque confirmari petierunt. Facta enim commemoratione eorum, quæ decreverant, hunc epistolæ finem imponunt (2): " Quibus tamquam „ legitime, & canonice apud nos constitutis, vestram quoque „ reverentiam gratulari obsecramus, intercedente spiritali „ charitate, & Domini timore humanum omnem affectum „ coercente, Ecclesiarumque ædificationem pluris faciente, „ quam privatam erga unumquemque voluntatem, & gra„ tiam. Sic enim & fidei doctrina consonante, & Christiana „ in nobis charitate confirmata, desinemus illud dicere, quod „ ab Apostolis damnatum est: *Ego quidem sum Pauli*: *ego au*„ *tem Apollo*, *ego vero Cephæ*: atque omnes nos Christi esse „ ostendentes, qui in nobis divisus non est, indiscerptum, „ Deo favente, corpus Ecclesiæ conservabimus". Quid vero ad hæc Damasus in epistola Synodica reposuit? " Quod „ debitam (2) Apostolicæ Sedi reverentiam exhibet charitas „ vestra, in eo vobis ipsis plurimum præstatis, filii charissimi. „ Etsi enim in sancta Ecclesia, in qua Sanctus Apostolus se„ dens

(1) Lib. 21. cap. 1. §. 7. (2) Hanc epistolam, quæ legitur apud Theodoritum *Hist. Ecclesiast.* lib. 5. cap. 9., non a Concilio Constantinopolitano, Œcumenico II., scriptam fuisse, sed ab altero, quod sequenti anno Constantinopoli habitum fuit, Natalis ab Alexandro *Hist. Ecclesiast.* sec. 4. cap. 3. art. 11. §. 2. putavit. Contra Thomassinus sentit *Dissert.* 6. in II. Oecumenicam Synodum, & etiam Bossuetius lib. 7. *Defensionis*, alias 12., cap. 8., & alii plerique. In eo tamen omnes conveniunt, ut in hac Synodica epistola de iis ratio habeatur, quæ in II. Oecumenica Synodo constituta fuerat. (3) Ita apud Theodoritum *Hist. Ecclesiast.* lib. 5. cap. 10.

„ dens docuit, decet nos præcipue quodammodo clavum te-
„ nere, quem regendum suscepimus; tamen hoc honore in-
„ feriores nos esse profitemur". Certiores eos deinde facit, Timotheum Apollinaris hæretici discipulum a se damnatum esse, atque monet, *formam* se dedisse, quam sequi eorum unusquisque deberet, qui se esse Christianum profiteretur, atque ultimo superaddit, illos a se frustra petere, ut Timotheum deponat, qui judicio Apostolicæ Sedis jam damnatus fuerat: "Quid igitur (inquit) depositionem Timothei a me
„ denuo postulatis? Qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præ-
„ sente etiam Petro urbis Alexandrinorum Episcopo, deposi-
„ tus est, una cum magistro suo Apollinare, & in die judicii
„ debita supplicia, & tormenta patietur". His autem si illud superaddatur, quemadmodum etiam Bossuetius citato loco consentit, hanc Synodum *nonnisi consensu Occidentis, & maxime Apostolicæ Sedis, pro Œcumenica haberi potuisse*, est ex ea omnino perspectum, quod nos modo volumus.

§. IV. De consensu Ecclesiæ Patres Constantinopolitanos sollicitos fuisse, non vero de ultimo judicio Summi Pontificis, quo sua decreta firmarentur, Bossuetius falso contendit.

Id deducit lib.7. *Defensionis &c.*, alias 12., cap.8. ex illis verbis Synodicæ epistolæ Constantinopolitanorum Patrum, quibus futurum ajunt, ut "Quum verbum Dei communi sen-
„ su stabilitum, & Christiana inter nos charitas confirmata
„ fuerit, dicere desinamus: *Ego quidem sum Apollo, ego autem*
„ *Cephæ*". At vero ad quemnam tandem potissimum recurrunt, ut, interveniente communi consensu, nemo amplius dicat: *Ego quidem sum Apollo, ego autem Cephæ*? An fortasse ad Episcopos ubique locorum degentes? An ad singulares quasque Ecclesias? Ad Damasum sane præcipue recurrunt, ac propterea, eo consentiente, constare etiam de communi consensu arbitrantur, quia eum talem agnoverunt, qualem se esse in responsione ad illos data Damasus professus fuit. Unde quod non omnino esse perspicuum ex epistola Patrum ad Damasum concedere possumus, est sane prorsus evidens ex epistola Damasi ad Patres. In ea enim Damasus affirmat, Patres

debitam reverentiam Apostolicæ Sedi exhibuisse, quod consensum illius exquisierant, quum in Ecclesia clavum ipse teneret, indeque eosdem fecit certiores, eam se *formam* dedisse, quam unusquisque Christianus sequi deberet. Rogatus deinde a Patribus, ut Timotheum discipulum Apollinaris deponeret, eis respondit, non esse, cur id a se peterent, quia Timotheum una cum Apollinare magistro illius jam damnaverat. Hæc autem sunt sane ejus, qui Supremam judicii rationem habet. Hinc est, ut quæstionem de Divinitate Spiritus Sancti, quamvis de ea judicium latum fuerit in Canone 1. Concilii Constantinopolitani (1), auctoritate Romani Pontificis finitam fuisse, Sozomenum lib.6. *Hist. Ecclesiast.* cap.21. testem locupletissimum habeamus. Nam, eorum mentione facta, qui in hoc dogmate fidei dissentiebant: " Quæ controversia (inquit) ,, quum contendendi studio, uti credibile est, in dies magis ,, magisque cresceret, Episcopus Romanus de ea certior fa- ,, ctus, scripsit ad Orientis Ecclesias litteras, ut una cum Sa- ,, cerdotibus, & Episcopis Occidentis Trinitatem & consub- ,, stantialem esse, & gloria æqualem existimarent. Quo facto, ,, utpote controversia judicio Romanæ Ecclesiæ terminata, ,, singuli quievere, eaque quæstio finem tandem accepisse vi- ,, debatur ".

Ex hisce postremis verbis Bossuetius citato loco infert, quod nemini in mentem cadere posse videtur, hoc est, finem hujus quæstionis in Ecclesiæ consensione ponendum esse, quia post sententiam Damasi *Synodi generalis*, *orbisque adunati consensione* opus fuit. Nam quænam tandem Synodus generalis necessaria fuit, si, ipso quoque sentiente, Constantinopolitana I. Synodus non fuit generalis, sed, sicut ille inquit, *consensu maxime Apostolicæ Sedis pro Œcumenica* haberi potuit? Quanam orbis adunati consensione opus erat, si prædicta Synodus non erat generalis? anne orbis adunati consensio in Synodo etiam non Œcumenica haberi potest? Verum qua de causa juxta obvium sensum dixerit Sozomenus: *eaque quæstio finem tandem accepisse videbatur*, nunc videamus: profecto non alia, nisi

(1) Tom.1. Concil. edit. Harduini colum.809.

nisi quia judicio Romanæ Ecclesiæ terminata erat, indeque nihil supra expectari poterat. Hinc etiam ipse Damasus hanc quæstionem suo judicio terminatam esse semel, atque iterum pronuntiavit. Nam in epistola Synodica Concilii Romani 93. Episcoporum habiti anno circiter 369. ad Episcopos Illyrici, postquam Damasus definivit, Spiritum Sanctum habere unam substantiam cum Patre, & Filio, contra sentientes a suo consortio alienos esse absolute pronuntiat, uti legimus apud Theodoritum lib. 6. cap. 22. Alteram quoque idem Damasus Synodicam epistolam, seu fidei confessionem post habitam alteram Romæ Synodum anno 378. ad Paulinum Antiochenum Episcopum dedit, in qua, uti legitur apud Theodoritum lib. 5. cap. 11. anathema iis omnibus dicit, « Qui non libere prædicant, Spiritum Sanctum unius, & ejusdem tum essentiæ, tum potestatis cum Patre, & Filio ». Romani ergo Pontificis auctoritate quæstio terminata jam fuerat; tamen quemadmodum aliquando contigit, ut Concilia convocarentur ad eos quoque errores proscribendos, quos Summus Pontifex, lata sententia, damnaverat; ita etiam idem quoque usuvenit, erroris Macedonianorum habita ratione. Qua autem de causa factum quandoque fuerit, ut in Conciliis iterum ii errores damnarentur, qui supremo judicio Romani Pontificis jam proscripti erant, in fine hujus capitis explicabimus.

§. V. Etiam ex Concilio Ephesino, Œcumenico III., constat de ea ultima judicii ratione, quæ Summo Pontifici convenit.

Quæ ad rem nostram modo faciunt, summatim perstringemus. Cælestinus iis Legatis, quos ad Ephesinam Synodum misit, ut in ea sui vices gererent, in mandatis dedit, ut Sedis Apostolicæ auctoritatem sartam tectamque servari curarent, ac propterea, si res in disputationem veniret, ipsi cum aliis non congrederentur, sed de sententiis aliorum judicarent (1). Ephesinos autem Patres epistola ad eos data monuit, Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum se ad illos misisse, ut interessent iis, quæ fierent, atque exe-

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 1347.

exequerentur, quæ a se statuta fuerant, iisque non dubitabat, quin Patres suum assensum præberent (1). Concilii Ephesini Patres supremo Cælestini judicio obsequuti sententiam in Nestorium protulerunt, *coacti*, sicuti ipsi protestati fuere, non minus per sacros Canones, quam per epistolam ejusdem Cælestini (2). Eam Legati Sedis Apostolicæ confirmarunt, volueruntque Patres, ut Synodi Actis subscriberent: quod sane illi fecerunt (3). Quapropter si ad eam agendi rationem attendamus, quam Cælestinus præscripsit, Legati sequuti fuere, Concilii Patres in sua definitione tenuerunt, nemini dubium superesse potest, quin ex hoc Concilio omnino constet de ea Suprema judicii ratione, quam nunc propugnamus (4).

§. VI. Suspensum remansisse decretum Cælestini contra Nestorium antequam haberetur Ephesina Synodus, Bossuetius falso contendit.

Suum ille omne ingenii acumen profecto exercet, nihilque intentatum relinquit, ut evincat, quod a Cælestino contra Nestorium decretum fuerat, Ephesinos Patres ad examen revocasse, eorumque judicio quæstioni finem ultimum impositum. *Defensionis &c.* lib.7., alias 12.; cap.10. ut ostendat Cælestini decretum contra Nestorium, antequam Synodus haberetur, suspensum remansisse, animadvertit, a Monachis Orthodoxis Imperatorem rogatum fuisse, ut Œcumenica Synodus haberetur (5), atque Imperatorem ductum precibus eorum Synodum convocari præcepisse, uti ex his constat, quæ scripsit ad Cyrillum (6): " Pietatis doctrinam in sacra Synodo „ discuti, & examinari volumus, & ratum esse, quod rectæ „ fidei consonum videbitur: sive illi, qui victi discedent, ve„ niam impetraturi essent a Patribus, sive non ": superadditque, " Judices hujus rei oportere esse eos, qui Sacerdotiis „ ubique præsunt, & per quos ipsi in veritatis sententia su„ mus,

(1) Cit. tomo col.1467. (2) Ibid. col.1422. (3) Ibid. col.1478. Vide hæc loca lib.21. cap.2. §.15. (4) Vide, quæ de confirmatione hujus Concilii a Cælestino facta disseruimus lib.21. cap.3. §.23.

(5) Tom.1. Conc. edit. Harduini col.1338. (6) Cit. to. col.1342.

„ mus, & erimus ". Tria vero ex his Bossuetius colligit: 1. post Cælestini judicium exquisitum fuisse alterum Synodale judicium: 2. in Patrum potestate positum judicare de doctrina, atque personis: 3. ratum id futurum, quod Patres decrevissent. In hoc autem etiam Jacobus Basnagius lib. 10. *Histor. Ecclesiast.* cap. 4. num. 9. cum eo consentit.

Hæc sane omnia, quæ Bossuetius cap. 10. opponit, nullius momenti sunt, quia falso principio innituntur, atque tum Monachis, tum Theodosio eam sententiam jam innotuisse supponitur, quam Cælestinus contra Nestorium tulerat. Quoad Monachos hac de re constat, quia dum ab Imperatore petierunt, ut Œcumenicam Synodum indiceret, simul eum fecere certiorem, hæresim Nestorianorum jam prædamnatam esse traditione Patrum, & facta commemoratione nonnullorum antiquiorum, sicut etiam Antiochenæ, & Nicænæ Synodi, Cyrilli quoque auctoritatem superaddunt, *qui*, uti ajebant, *etiamnum superstes est*, *nostræ pietatis legem observat*. Profecto si Nestorium a Cælestino damnatum esse novissent, id quoque in mentem Imperatoris revocare, immo quam maxime urgere non destitissent, quia ex eo constabat, sibi hac in re præeuntem illum esse, qui totius Ecclesiæ regimen tenebat. Hujus rei nullam mentionem fecerunt: argumento igitur est, Cælestini sententiam contra Nestorium eis perspectam non fuisse. His accedit, Monachos Theodosium fecisse certiorem de multis malis, quæ fretus potentia ministrorum ejus Nestorius patrabat: " Non Deum timet, (inquiebant) nullum hominem „ veretur, nullum Episcopum veneratur, nullum Sacerdotem, „ aut Clerum, aut sanctum Monachum, aut Religiosum laicum „ honorat: nullam pœnam iniquis decretam formidat, nullam „ denique legem ministrorum iræ Divinæ in ejus provocato- „ res: sed superbia, qua omnes parvipendet, pecuniisque, „ & corruptorum quorumdam hominum potentia fretus, & „ ut libere, quod res est, dicamus, vestra quoque domina- „ ne fretus hæc facit ". Anne in hac tota accusatione contra Nestorium Monachi orthodoxi illud commemorare omissuri fuissent, quod idem Nestorius etiam decreta a Supremo Ecclesiæ capite contra se lata contemneret? Si-

Sicuti Monachi fuerunt, ita etiam Theodosius in ejus sententiæ ignoratione fuit, quam Cælestinus contra Nestorium tulerat. Id autem ex utraque *Sacra*, quam Theodosius ad Cyrillum dedit, aperte colligitur. Nam in priori *Sacra*, in qua Theodosius Cyrillum acrius carpit, illud inter cetera ei objicit, quod (1) *despectis Sacerdotibus*, *quotquot circumquaque degunt*, *turbas*, *&* *discordias inter Ecclesias concitasset*. Quare postquam illum monuit, Ecclesiam, & imperium sibi mutuo adhærere, ne se ob doctrinam pietatis in reprehensionem incidisse causaretur, determinasse superaddit, ut hujusmodi pietatis doctrina in sacra Synodo discuteretur, atque examinaretur, & propterea velle " Ratum esse, quod rectæ fidei con„ sonum videbitur; sive illi, qui victi discedant, veniam im„ petraturi sint a Patribus, sive non. Ceterum nos civitates, & „ Ecclesias conturbari nequaquam sinemus; sed nec eam quo„ que doctrinam indiscussam manere patiemur, cujus oportet „ eos esse judices, qui Sacerdotiis ubique præsunt, & per „ quos ipsi in veritatis sententia sumus, & erimus". Etiam me tacente, nemo non videt, propter rationem omnino diversem ab ea, quam Bossuetius vellet, Theodosium constituisse, ut quod sentiebat Cyrillus, in Synodo discuteretur. Falso enim judicio contra Cyrillum præoccupatus aliorum Sacerdotum judicium ab eo neglectum fuisse putabat, & doctrinæ pietatem prætexendo omnia turbata, indeque constituit, ut hæc doctrina pietatis in Concilio expenderetur. Quod ergo examen illius antea in Alexandrina Synodo factum fuerat, & postea in Romano Concilio Damasus fecit, & sententiam, quam contra Nestorium tulerat, Theodosium ignorasse, dicatur oportet; alioquin non affirmasset, aliorum Sacerdotum judicium neglectum a Cyrillo fuisse. In altera autem *Sacra* nihil contra eas turbas constitutum supponit, quæ ex multis dissidiis, & concertationibus natæ erant, indeque præcipit, ut nulla (2) " Interim „ ante sanctissimam coactam Synodum, communemque ejus„ dem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, privatim a „ quibuscumque innovatio fiat". Hæc autem confirmant quæ usque

(1) Cit. tomo colum. 1342. (2) Ibid. colum.

usque modo animadvertimus. Nam Theodosius supponere non potuisset, nihil contra prædictas turbas fuisse constitutum, semel ac Cælestini decretum rescivisset.

At ipsum factum nunc expendamus cum Cl. Garnerio 2. parte Operum Marii Mercatoris in *Appendice ad Notas* in epistolam Nestorii ad Cælestinum, seu *Dissertatiuncula de Illustrissimi Marcæ sententia, qua putat, suspensam a Theodosio Sedis Apostolicæ in Nestorium sententiam &c.* " Opinatur (inquit Garnerius) eruditissimus Præsul, Nestorio prius significatam fuisse utriusque Synodi (Romanæ, & Alexandrinæ) sententiam, quam vel quereretur apud Imperatorem, vel Concilium ipsius rogatu indiceretur: nisi enim in ea mente sit, non video, quomodo ex isto facto id concluderet, propter quod maxime laborat: *Princeps nempe aliquando, Synodo indicta ad controversias dirimendas, prioris sententiæ in judicio Ecclesiastico latæ exequutionem suspendisse*. Verum (Garnerius superaddit) opinioni, qua vir doctissimus ratiocinium suum niti voluit, repugnat partim ipsamet *Sacra* Imperatoris Theodosii, partim Mercatoris auctoritas, partim ipse Nestorius. *Sacra* enim consignatur XIII. Kal. Decembris, & Mercator scribit, Synodorum litteras Nestorio redditas VII. Idus Decembris. Nestorius autem quum Summo Pontifici scriberet post indictionem Concilii, scripsit tamen perinde, ac si nihil de sententia Sedis Apostolicæ rescivisset. Igitur neque Nestorius appellavit Imperatorem, postquam legitime novit a Synodis se damnatum, neque denuntiatam Sedis Apostolicæ sententiam Theodosius edicto suspendit. Nemo enim, credo, vel a sententia judicis nondum legitime denuntiata jure appellat, nec appellationem tueri potest, nisi postquam exhibita est sententia, cujus querelam movet. Nestorius, fateor, cogi Synodum postulavit privatis precibus ab amante Theodosio; non postulavit ex præscripto juris ab Imperatore judicium exercente. Quare sententia Sedis Apostolicæ quum denuntiata non fuerit nisi post indictam Synodum, præventa potius videri debet, quam edicto suspensa, si modo proprie loqui oporteat ".

Garnerii ratiocinationem confutare Baluzius aggreſſus fuit ad cap. 4. lib. 4. Petri de Marca *De Concordia Sacerdotii, & Imperii*: verum irrito ſane conatu, quemadmodum Cl. Orſius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 10. art. 2. oſtendit, atque contra eum animadvertit, ex eo quod, ſicuti ille etiam contendit, Theodoſius in ſua *Sacra* nullam Neſtorii mentionem faciat, eſſe inde colligendum recte infert, Imperatori non innotuiſſe ſententiam contra Neſtorium latam, eamque propterea ſuſpenſam velle non potuiſſe. Illud quoque contra eumdem Baluzium evincit, Garnerii ratiocinium firmum ſubſiſtere, quamvis litteræ Neſtorio redditæ fuerint non VII. Idus Decembris, ſicuti Garnerius putat, ſed pridie Kalendas Decembris quemadmodum ipſe Baluzius vult.

§.VII. Suam ſententiam confirmari ex iis, quæ in *Actione I.* Synodi Epheſinæ geſta fuiſſe legimus, Boſſuetius fruſtra nititur.

Defenſionis &c. lib.7., alias 12., cap.11. illud urget *Actione I.* Concilii Epheſini litteras Imperatoris, quibus illud indicebatur, lectas fuiſſe, & Neſtorium pro religioſiſſimo Epiſcopo habitum interimque ſuſpenſam decretorum Cæleſtini contra Neſtorium exequutionem, quoad uſque Patres ſuam ſententiam ferrent: habitam deinde de fide quæſtionem, &, auctore ipſo Cyrillo, tum epiſtolam ejus, quam Cæleſtinus ſuo decreto probaverat, tum Neſtorii alteram, quam Cæleſtinus uti impiam, atque blaſphemam damnaverat, Concilii Patres ad examen revocaſſe.

Cap. 12. ea proſequitur, quæ *Actione I.* de perſona Neſtorii Patres pronuntiarunt, atque ex ipſis verbis decreti auctoritatem canonum cum Cæleſtini litteris ad commendandam majeſtatem Apoſtolicæ Sedis Patres conjunxiſſe primo animadvertit, deinde vero in Neſtorium ſententiam dixiſſe, & quem ante eam *religioſiſſimum Epiſcopum* vocaverant, poſt ſententiam *impiiſſimum, & novum Judam* appellaſſe. Ex his autem ita concludit: "Sic maxima res maxima conſenſione perfecta eſt, qua
„ nempe omnia in Eccleſia ſtare diximus; & ordo judicii ex
„ ſe perſpicuus: nempe a Cæleſtino ſententia profertur; Con-
„ cilii Generalis convocatione ſuſpenditur; cognitione exa-
„ mina-

„ minatur, novo, & irretractabili judicio roboratur, totius „ Ecclesiæ auctoritate conjuncta ".

At vero Theodosius de Synodo Œcumenica habenda *Sacram* jam emiserat, quando Episcopi ex Alexandrina Synodo a Cyrillo ad Nestorium missi, ut illi indicerent sententiam Apostolicæ Sedis, Constantinopolim pervenerunt (1). Tamen quamvis Synodus Œcumenica jam indicta fuisset, illi Episcopi ab exequutione sui muneris non destiterunt, sed die Dominico, dum sacra Synaxis ageretur, spectante Clero, adstantibusque etiam præter plebem multis principibus ipsius civitatis, Cælestini, & Cyrilli epistolas Nestorio reddiderunt. Nam uti habetur par. 2. *Actione I.* Synodi Ephesinæ (2), Petrus Presbyter Alexandrinus Primicerius Notariorum utrasque tum Cælestini, tum Cyrilli epistolas Nestorio redditas fuisse, coram omnibus testatus fuit, idque Theopempus Causaborum Episcopus, & Daniel Dardensium Episcopus, a quibus illæ epistolæ redditæ fuerant, confirmarunt, qui quum a Flaviano Episcopo Philippensium rogati essent, quid ad eas Nestorius respondisset, esse responsum dixerunt, ut altera die ad se venirent: quod quum fecissent, sibi prohibitum fuisse, ne ad eum accederent. His autem evincitur indictione Synodi Cælestini sententiam contra Nestorium suspensam non fuisse. Nam, hac semel suspensione posita, quomodo fieri potuisset, ut Episcopi Legati Synodi Alexandrinæ eas litteras Nestorio redderent, in quibus illius condemnatio continebatur? Ut Clerus, Populus, & Principes civitatis siluerint, quamvis Imperatoris edictum violaretur, atque contemneretur? Ipse Imperator in Legatos, sicuti in contemptores suæ legis, non animadverterit? vel saltem de iis graviter conquestus non fuerit? Cur Nestorius in Synodo accusatus, quod Cælestino non paruisset (3), in sui defensionem non adduxit, quoniam nihil aliud adducere poterat, Cælestini litteras tunc sibi redditas fuisse, quando sententia contra se lata indictione Synodi jam suspensa fuerat? Tandem quomodo

(1) Vide Synodicam Concilii Alexandrini ad Nestorium missam cit. tomo colum. 1283. & seq. (2) Citato tomo colum. 1395. & seq. (3) Cit. tomo colum. 1434.

modo Patres Neſtorio crimini vertere potuerunt, quod Cæleſtino non obtemperaſſet, ſi lata a Cæleſtino ſententia ſuum effectum habere non potuit?

Deinde nonne Cyrillus a Cæleſtino quæſivit, utrum in Synodo Epheſina Neſtorius admitti deberet, atque ſententia contra eum lata adhuc ſubſiſteret, jam elapſo eo intervallo temporis, quod illi ad reſipiſcentiam conceſſum fuerat (1)? Præter omnem vero rationem utraque de re Cyrillus a Cæleſtino quæſiiſſet, ſi ob indictionem Synodi cauſa Neſtorii uti indefinita habenda erat. Quid autem Cæleſtinus Cyrillo iſta quærenti repoſuerit, nunc videamus. Repoſuit ſane quod ſententiam noſtram magis magiſque confirmat (2): " Super hac " utique conſultatione communi (inquit Cæleſtinus) com- " munem Dominum conſulamus: nonne nobis reſpondet illi- " co per Prophetam, mortem ſe nolle morientis: & per Pau- " lum Apoſtolum velle omnem hominem ſalvum fieri, & ve- " nire ad ſcientiam veritatis"? Et infra: " Studeo quieti ca- " tholicæ, ſtudeo pereuntis ſaluti; ſi tamen voluerit ægritu- " dinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti ſe corrige- " re, forſitan deeſſe videamur. Nam ſi & nobis ſuſtinentibus " uvam, ſpinas ſibi addiderit; impleatur, manentibus ſtatu- " tis prioribus, ſui fructu judicii: colligat quod ſulco diabo- " lico ſeminavit, non noſtro conſilio, ſed ſe periturus aucto- " re. Probet nos veloces pedes ad effundendum ſanguinem " non habere, quando ſibi etiam remedium cognoſcat obla- " tum". Cæleſtinus ergo non eo jure, quo poterat, ſed maxima benignitate in Neſtorium uſus, paſſus fuit, ut quod in illum jam decreverat, ſuſpenſum remaneret, voluitque ut Neſtorius oblata occaſione Synodi ad ſui correctionem uteretur. Hinc vero eſt, ut Legati Apoſtolicæ Sedis in ſua ſententia contra Neſtorium, Sedis Apoſtolicæ benignitatem commendaverint, qua Neſtorium ſuſtinuerat, ut ipſe indicta Synodo ſicuti quodam ſpirituali remedio uteretur; contra autem Neſtorio crimini dederint, quod Cæleſtini longanimitatem contempſiſſet. Quapropter mirandum non eſt, ſi *Sacra* Imperatoris, qua Syno-

(1) Cit. tomo colum. 1474. (2) Citato loco.

Synodus indicebatur, præcipiebaturque, ut doctrina pietatis discuteretur, in sacra Synodo probata, & in acta ejus relata fuerit; si lectæ tum Cyrilli, tum Nestorii epistolæ; si Nestorius religiosissimus Episcopus vocatus. Nam nihil horum, non annuente, atque per indulgentiam probante Apostolica Sede, peractum fuit, uti constat ex iis, quæ disseruimus. Est tamen illud animadvertendum in Synodo *Actione I.* lectam quoque fuisse non minus Synodicam epistolam Synodi Alexandrinæ cum anathematismis contra Nestorium, quam alteram Cælestini ad Cyrillum, in qua Cælestinus suam contra Nestorium sententiam tulerat (1). Quibus sane confirmatur, quod nos contendimus.

Bossuetius ex *Actione I.* Ephesini Concilii cap.12. colligere prosequitur, quod nullo modo colligi potest. Nam Patres tum auctoritate Canonum, tum Cælestini litteris se *coactos* dicunt ad sententiam ferendam contra Nestorium, quemadmodum etiam Bossuetius consentit. Nemo autem cogitur auctoritate ejus, cujus ipse decreta suæ sententiæ subjecta habet, expendere, confirmare, & *irretractabili judicio* roborare debet. Hoc ergo juris sibi Patres supra Cælestini epistolam non tribuisse dicendum est, quia illa se coactos professi fuere ad sententiam contra Nestorium ferendam. Auctoritatem vero Canonum cum Cælestini litteris conjunxerunt, quia una, & eadem tum illorum, tum istarum erat. Nam quod in Nicæna Synodo decretum erat, Cyrillus Nestorio opposuit (2). Nicænorum vero Canonum auctoritas, quia a Summo Pontifice confirmati fuerant (3) eadem erat, ac Cælestini epistolarum; indeque est, ut Patres utraque auctoritate æque se coactos dicant. Eam ergo simul non conjunxerunt ad commendandam majestatem Apostolicæ Sedis, sed ad ejus supremam auctoritatem profitendam.

Nestorium, quem antea *religiosissimum Episcopum* Patres vocaverant, *impiissimum, & novum Judam* postea quidem dixerunt:

(1) Vide cit. tomum colum.1282. & seqq., colum.1323. & seq.
(2) Vide Synodicam Alexandrini Concilii ad Nestorium cit. tomo col.1283. & seqq. col.1313. & seqq. (3) Lib.21. cap.2. §.13.

xerunt: verum hoc dum fecerunt, proteſtati fuere, ſe *coactos per ſacros Canones, & Romani Pontificis epiſtolam ad hanc ſententiam neceſſario veniſſe*. Hinc Patres in ſua ſententia contra Neſtorium ſe ſequutos eſſe declararunt eam formam, quam Cæleſtinus eiſdem dederat: inquit enim Firmus Cæſaræ in Cappadocia Epiſcopus *Actione II.* (1): " Apoſtolica, & ſancta
„ Sedes Cæleſtini ſanctiſſimi Epiſcopi per litteras, quas ad
„ religioſiſſimos Epiſcopos ..., & ad ſanctas Conſtantinopo-
„ lis, & Antiochiæ Eccleſias miſit, etiam ante de præſenti
„ negotio ſententiam regulamque præſcripſit: quam nos quo-
„ que ſequuti (quum terminus Neſtorio ad emendationem
„ datus dudum jam præteriiſſet .... quoniam Neſtorius a no-
„ bis citatus non paruit) formam illam exequutioni mandavi-
„ mus, Canonicum, Apoſtolicumque judicium in illum pro-
„ ferentes ". Quibus Philippus Presbyter, & Legatus Apoſtolicæ Sedis ſtatim ſuperaddidit: " Gratias agimus ſanctæ ve-
„ nerandæque Synodo, quod litteris Sancti Beatique Papæ
„ noſtri vobis recitatis, ſancta membra ſanctis veſtris vocibus,
„ ſancto capiti, ſanctis etiam veſtris exclamationibus vos ad-
„ junxeritis. Non enim ignorat veſtra Beatitudo totius fidei,
„ vel etiam Apoſtolorum, Caput eſſe Beatum Apoſtolum Pe-
„ trum ". Cum his autem omnibus ſimul ſtare nullo modo poſſe, quæ in fine 12. capitis Boſſuetius uti certa, atque indubitata infert, non eſt; cur commemoremus.

§. VIII. Quæ ex Actione II. Epheſinæ Synodi Boſſuetius pro ſe in medium adducit, contra eum faciunt.

Tandem 13. cap. in iis deſcribendis ipſe verſatur, quæ *Actione II.* geſta fuere: quibus ſane nihil clarius contra ipſum afferri poteſt. Primo itaque obſervat, illis Cæleſtini verbis in epiſtola ad Synodum (2): " Direximus ſanctos fratres, & Con-
„ ſacerdotes noſtros ... qui iis, quæ aguntur, interſint, &
„ quæ antea a nobis ſtatuta ſunt, exequantur, " non indicari obedientiam a Synodo præſtandam iis, quæ Cæleſtinus decreverat, ſed eorum inquiſitionem, ſeu examen a Synodo faciendum. Hoc autem inde probare contendit, quia Projectus

(1) Cit. tomo colum. 1471. (2) Ibid. colum. 1467.

ctus Legatus Apostolicæ Sedis inter alia ad Patres hæc habuit (1): " Ut ea, quæ & dudum ante definire, & nunc in memoriam revocare dignatus est (Cælestinus) juxta communis fidei regulam, Catholicæque Ecclesiæ utilitatem ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubeatis ". Ex his autem infert, Legatos Apostolicæ Sedis in Patribus agnovisse potestatem imponendi finem quæstionibus fidei. Hinc, inquit ipse, Firmum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum nomine totius Synodi ita respondisse legimus (2): " Apostolica, & sancta Sedes Cælestini sanctissimi Episcopi ... etiam ante de præsenti negotio sententiam, regulamque præscripsit ... formam illam exsequutioni mandavimus, Canonicum Apostolicumque judicium in illum proferentes " . Hujusmodi vero judicium ad Actionem I. Bossuetius refert, in qua, sicuti ipse contendit, *facto examine*, *& quæstione habita*, *Cælestini decretum firmatum* fuit. Pergit deinde Bossuetius, suumque ingenium torquet, ut explicet, & qua ratione Legati, quæ in I. Actione contra Nestorium definita fuerant, quando ipsi non aderant, sibi communicari petierint, ut ea confirmarent (3), & quomodo iidem decreverint, *omnia canonice*, *& ex Ecclesiastica disciplina* judicata esse (4), & cur, postquam acta in Nestorium sibi communicata probaverunt, petiere, ut, omnibus adstantibus, cetera legerentur, quæ ab initio Ephesi gesta fuerant, ut ea juxta commissionem sibi a Cælestino datam probarent (5), & quare Cyrillus, lectis hisce omnibus, petierit, totaque Synodus consenserit, ut Legati *sua obsignatione planam*, *& manifestam* facerent *canonicam cum Synodo assensionem suam*. In hisce ergo ultimis verbis potissimum sistit, cunctaque hæc peracta dicit, ut Legatorum *plana*, & *manifesta assensio* haberetur. Ad consensionem vero Ecclesiarum cetera omnia refert, quæ in hac Synodo Ephesina subinde gesta fuere.

Verum Bossuetius primum in eo fallitur, quod verbis epistolæ Cælestini ad Synodum significari non quidem obedientiam a Synodo præstandam, sed examen ab eadem faciendum

(1) Cit. tomo colum.1467. (2) Cit. colum. (3) Cit. tomo colum.1474. (4) Colum.1475. (5) Cit. colum.

dum, inde velit, quia *ad finem numeris omnibus absolutum* a Concilii Patribus deducendum erat, quod Cælestinus decreverat. Ejus enim conjectura facile refellitur, quia Cælestinus suos confratres ad Synodum misit, ut quæ ipse decreverat, ejus auctoritate exequerentur (1). Hoc autem in Synodo, præsentibus Patribus, præstare debebant. Repugnat autem fuisse in Patribus potestatem ultimi judicii ferendi, &, præsentibus iis, Legatos Apostolicæ Sedis exequutioni mandare debuisse, quod Cælestinus jam decreverat. Quid? Nonne Legatos a Cælestino præmonitos fuisse legimus, ut auctoritatem Apostolicæ Sedis sartam tectamque servarent, ac propterea si res in disceptationem veniret, ipsi de sententiis aliorum judicium ferre deberent, non vero aliquod certamen subire (2)? Hoc autem si non sit ejus, qui ultimum de re proposita judicium in aliquo cœtu ferre debet, non video sane, cujusnam esse possit. Projectus vero Legatus Apostolicæ Sedis monuit quidem Patres, ad finem numeris omnibus absolutum rem ab eis deducendam esse; verumtamen secundum *formam* litterarum Sancti, & Venerandi Papæ Cælestini (3): quam quidem formam se exsequutioni mandasse Patres per Firmum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum publice protestati fuere (4). Inde ergo ultimum finem quæstioni a Patribus imponendum dicitur, quia ipsi exequutioni mandare debebant, quod a Cælestino definitum habebatur. Sit sane hoc judicium referendum ad illud, quod *Actione I.* Patres de Nestorio jam tulerant. Quid inde? Nonne in illo judicio Patres professi fuerant, se *coactos per Sacros Canones, & Romani Pontificis epistolam, ad hanc sententiam necessario venisse*?

Dum vero *in plena quadam, & manifesta assensione* Bossuetius eam confirmationem reponit, qua, petentibus Patribus, Legati sententiam Synodi firmarunt, contra veritatem gestorum aperte pugnat. Nam, uti modo dicebamus, suis Legatis Cælestinus præceperat, ut de sententiis aliorum judicium ipsi ferrent: Legati quando Cælestini epistolam legerunt, unanimi

(1) Cit. tomo colum. 1467. (2) Colum. 1347. (3) Col. 1471.
(4) Eodem loco.

mi consensione Patres clamarunt: *hoc justum judicium*, atque uti *custodi fidei* Cælestino gratias egerunt (1): Philippus Legatus Apostolicæ Sedis tunc adgratulatus fuit cum eis, quod uti sancta membra sancto capiti unirentur (2). Priora Synodi Acta jam edita, quando ipsi non interfuerant, ut sibi communicarentur, quum Legati ad ea confirmanda petiissent, justum id esse, Patribus consentientibus, Theodotus Episcopus Ancyranus reposuit, atque tunc Legati, compertis iis, quæ in *Actione I.* decreta fuerant, *omnia Canonice, & ex Ecclesiastica disciplina judicata esse* decreverunt (3). His omnibus peractis, ad Nestorii condemnationem devenerunt, atque ita quidem, ut *auctoritate Legationis Apostolicæ* se uti dixerint, judicumque omnino personam sese agere, manifestissime præsetulerint (4). Quod ergo Legati Apostolicæ Sedis in Synodo Ephesina egerunt, ad *plenam* quamdam, & *manifestam assensionem* detorqueri nullo modo potest, uti nemo non videt, sed veram judicii rationem illud habuit.

Tandem ut alia omittam, quæ sunt levioris momenti, frustra Bossuetius in citato 13. cap. hæc Cælestini verba, quibus suam epistolam ad Synodum auspicatur: *tandem malorum fine gaudendum est*; in defensionem suæ causæ in medium adducit; sicut etiam hæc alia: *hujus rei tam fideliter peractæ vos exequutores videmus nobiscum fuisse*: nam ab ea profecto Synodo finem malis impositum gaudendum esse dicit, quæ ejus judicii formam sequuta fuerat, eamque Legati auctoritate Apostolica confirmaverant. Exequutores autem ejus, quod gestum fuerat, Patres dicendi erant, quia judicium, quod Cælestinus jam tulerat, ipsi sequuti in Nestorii condemnationem, qua pollebant auctoritate usi fuerunt.

§. IX. Suprema judicii potestas, quæ est in Romano Pontifice confirmatur iis, quæ in Synodo Chalcedonensi, Œcumenica IV., gesta fuisse legimus.

Multa, quæ in hanc quoque rem faciunt, jam disputata sunt a nobis (5): nunc ergo nonnulla tantum delibabimus, quæ

(1) Cit. tomo colum. 1471. (2) Citato loco. (3) Cit. tomo colum. 1474., & seq. (4) Cit. tom. col. 1478. (5) Lib. 21. cap. 3. §. 25.

quæ illam propius attingunt. Quum *Actione II.* lecta fuisset epistola dogmatica Leonis ad Flavianum, Patres clamarunt (1): „ Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides ... Petrus per „ Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt “. *Actione III.* Patres, expensis iis omnibus, quæ ad Dioscori causam spectabant, Legatos Apostolicæ Sedis ita compellarunt (2): “ Petimus igitur vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem „ qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis, promulgare in „ eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. „ Omnes enim, & tota universalis Synodus concors efficitur „ vestræ Sanctitatis sententiæ “. Ii autem, commemoratis a se antea Dioscori iniquitatibus, in hunc modum sententiam in eum protulerunt (3): “ Unde sanctissimus, & beatissimus „ Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo per nos, & „ per præsentem sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, „ & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, „ & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, „ nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab „ omni Sacerdotali alienavit ministerio “. Huic sententiæ omnes Patres Concilii deinde unanimiter subscripserunt, pluresque eorum etiam aperta contestatione professi sunt, se sequi quod a Summo Pontifice Leone contra Dioscorum decretum erat, omnisque etiam Synodus idem fecit in epistola ad Valentinianum, & Marcianum Augustos (4). Etiam epistolæ Leonis contra Nestorium, & Eutychetem tota sacra Synodus subscripsit (5): ac tandem, ut alia omittamus, eadem sacra Synodus tam in *Alloquutione* ad Marcianum (6), quam in *Relatione* ad Leonem (7) agnoscunt, atque profitentur, Leonem in Nestorii condemnatione sibi præivisse *vocis B. Petri omnibus constitutum interpretem*: unde etiam in fine suæ *Relationis* ad Leonem ita habent: “ Et sicut nos capiti in bonis adjecimus „ consonantiam; sic & summitas tua filiis, quod decet, ad„ impleat “.

§. X. Id

(1) Tom 2. Concil. edit. Harduini colum. 306. (2) Cit. tomo colum. 343. (3) Colum. seq. (4) Cit. tomo col. 379. (5) Cit. tomo col. 387. (6) Cit. tomo colum. 643. (7) Colum. 655.

§. X. Id discriminis intercedere inter decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum Œcumenicorum, ut illa in Concilio ad examen revocari possint, ista autem nullo examini amplius subjecta sint, Bossuetius frustra probare nititur ex iis, quæ Chalcedonense Concilium proxime præcesserunt.

Lib.7. *Defensionis &c.*, alias 12., cap.15. illud animadvertit, S. Leonem, postquam consentit, ut II. Ephesina Synodus haberetur, ad eam dedisse litteras, in quibus Imperatorem laudat, quod Episcopale Concilium haberi voluerit (1), *ut pleniori judicio omnis error aboleri posset*, indeque Legatos a se ad illud mitti dicit, qui sua vice *communi sententia* cum Patribus, *quæ Domino sint placitura*, constituerent. Ex quibus colligit, non refugisse Leonem, ut post causam a se judicatam Synodale judicium fieret, in quo & *pleniore judicio* error aboleri posset, & quæstio a Sede Apostolica finiretur *communi sententia* cum Episcopis. Id adnotandum deinde Bossuetius monet, postquam factum fuit, ut fraude, atque violentia Dioscori Alexandrini Episcopi II. Ephesina Synodus in apertum latrocinium degeneraverit, totaque Ecclesia perturbata remanserit, Leonem a Theodosio petiisse, ut Synodus Generalis in Italia haberetur, quæ, sicuti ipse inquit (2): " Omnes „ offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra „ sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum ". Postremo observat, Imperatorem Theodosium, quia putabat in II. Ephesina Synodo nihil secundum ordinem non actum fuisse, ad Eudoxiam, quæ, instante Leone, ab illo petierat, ut Œcumenica Synodus haberetur, in hæc verba respondisse (3): „ Nihil ulterius post hæc definire possibile est, quum jam ista „ semel decisa sint ". Ex hoc autem infert Bossuetius peti debere eam differentiam, quæ interest inter judicia Summorum Pontificum, & Conciliorum Œcumenicorum: " Quum judi„ cium (inquit) quidem Romani Pontificis in Synodo retra„ ctetur: post Synodum vero, quandiu ea legitime habeatur, „ nihil retractari, nihil audiri liceat ".

 Hæc

(1) Epist.30. cap.2. juxta edit. Cacciarii. (2) Juxta eamdem edit. epist.40. cap.3. (3) Epist. post 48. S. Leonis juxta edit. Cacciarii.

Hæc omnia modo expendamus. S. Leo in citata epiſtola Patres Epheſinos cap. 1. monet, Imperatorem Theodoſium *hanc reverentiam Divinis detuliſſe inſtitutis, ut ad ſanctæ diſpoſitionis effectum auctoritatem Apoſtolicæ Sedis* adhibuerit, & a ſe veluti *ab ipſo Beatiſſimo Petro* declaratum voluerit, quid de Divinitate Chriſti ſentiendum eſſet. Quum ergo Leo ob oculos Patrum Epheſinorum ponat, ſecundum Divina inſtituta ad ſanctæ diſponſitionis effectum auctoritatem Apoſtolicæ Sedis Theodoſium adhibuiſſe; ſua auctoritate eiſdem ſecundum Divina inſtituta, non ſecus ac Petrum, præeſſe, apertiſſime ſignificat. Quia tamen curatio Eutychetis negligenda non erat, Concilium Epiſcopale haberi pie, ac religioſe Imperatorem voluiſſe dicit, ut pleniori judicio error aboleri poſſet: hac vero de cauſa Julium Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarium Diaconum ad eos ſe miſiſſe dicit, qui ſua vice cœtui intereſſent, communique ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituerent. Quapropter plenius judicium, quod habendum erat, S. Leo refert ad reſipiſcentiam ejus, qui a vera fide defecerat, non autem ad examen eorum, quæ ipſe jam definierat. Hinc judicio Patrum condemnationem Eutychetis non relinquit, ſed ut de ejus reſtitutione agant, ſolummodo patitur, ſi tamen ille doctrinam veritatis amplectatur. Facta enim mentione de iis, quæ a Patribus una cum Legatis communi conſenſione peragenda erant, ita habet in cap. 2. ejuſdem epiſtolæ: " Hoc eſt, ut primitus peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur; ſi tamen doctrinam veritatis amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene, aperteque propria voce, & ſubſcriptione damnaverit ". Examini ergo rei a ſe definitæ nullum locum relinquit, ſed vult, ut, damnato prius errore, agant Patres de reſtitutione Eutychetis, illiſque præſcribit, quo ſe modo in ea gerere debeant. Idem confirmat S. Leo in epiſtola ad Julianum Epiſcopum Coenſem (1) cap. 2. " Quia tamen (inquit) non debemus partes miſerationis omittere, congrua moderatione credidimus ſan-

(1) Juxta cit. edit. epiſt. 32.

„ fanciendum, ut si condemnatus Presbyter plena satisfactione corrigitur, sententia, qua obstrictus est, relaxetur. Si „ vero in eodem insipientiæ suæ luto jacere delegerit, statuta „ permaneant; & cum eis habeat sortem, quorum est sequutus errorem“. Eadem scripsit etiam ad Pulcheriam Augustam (1). Hinc, sicuti Thomassinus *Differt.*12. in *Concilium Chalcedonense* num.14. monet, “ Minime necessariam fuisse „ Synodum in re tam dilucida idem (Leo) alibi scribit. Sed „ confitetur hìc tamen *pleniore judicio* Ecclesiam rursus uti „ posse, non quasi ancipitem consilii, & fidei incertam suæ, „ non quasi Flaviani, nedum Leonis sententiam fortassis recantatura sit: sed pleniore judicum numero, & pompa majore eamdem suam fidem, sententiamque invariabilem, & „ irretractabilem promulgatura “.

Ex his autem illud quoque constat, qua de causa post latrocinium Ephesinum ut Synodus Œcumenica in Italia haberetur, S. Leo a Theodosio petierit, hoc est, ut *pleniori judicum numero, & pompa majori* promulgaretur, quod immutabiliter jam definitum erat. Nam noluisse S. Leonem, ut in Synodo Chalcedonensi, quæ loco ejus habita fuit, quam ipse in Italia fieri petierat, de re a se definita aliquod examen institueretur, tam manifestum est, quam quod maxime: ita enim in epistola (2) ad Marcianum Imperatorem: “ Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disputationum bella revocemur: tamquam, reparata disputatione, tractandum „ sit, utrum Eutyches impie senserit, & utrum perverse Dioscorus judicarit ... Non cujusmodi sit fides tenenda tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum “: Eorum scilicet, qui ab Eutychete, & Dioscoro seducti fuerant. S. Leo rem eamdem rursus urget & in altera epistola (3) ad Marcianum, & in aliis tam ad Pulcheriam Augustam, quam ad Patres Synodi Chalcedonensis (4). “ Ea ergo de causa Synodum Œcumenicam in Italia convocari S. Leo poscebat, „ non

(1) Juxta eamdem edit. epist.31. (2) Juxta eamdem edit. epist.63.
(3) Juxta eamdem edit. epist.74. (4) Juxta eamd. edit. ep.73. & 76.

„ non quia apud aliquem dubium esse posset, quid de Filii Di-
„ vinitate sentiendum, sed ut resipiscerent ii, qui perterriti
„ minis a tramite veritatis deviaverant, & quorum causa du-
„ rior erat, melioribus consiliis acquiescentes, ab Ecclesiæ
„ unitate non exciderent". Unde in citata epistola ad Theodosium post ea verba: ne aliquid *ultra sit vel in fide dubium*, *vel in charitate divisum*, hæc statim superaddit: " Convenienti-
„ bus utique Orientalium Provinciarum Episcopis, quorum
„ si qui superati minis, atque injuriis a veritatis tramite de-
„ viarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur: ipsi-
„ que, quorum est causa durior, si consiliis melioribus ac-
„ quiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant".

Qua vero ratione ex illis verbis epistolæ Theodosii ad Eudoxiam: *nihil ulterius post hæc definire possibile est*, *quum jam ista semel decisa sint*, Bossuetius sibi inferendum esse duxerit, judicium quidem Romani Pontificis in Synodo retractari posse, post Synodum autem, quandiu ea legitima habeatur, nihil retractari posse, sane non video. Nam quod Theodosius ea servari voluerit, quæ in Ephesino latrocinio non minus per summam impietatem, quam cum violentia decreta fuerant, atque in Flaviani sanctissimi viri depositionem consenserit, illius sane, ne quid gravius dicam, vel maxima obstinatio, vel obcæcatio fuit. Quo ergo jure Bossuetius ex hac facti ratione duos illos Canones deducere potuit?

§. XI. Decretorum *irrevocabile robur* haberi à Concilio, non a Summo Pontifice, ex gestis Concilii Chalcedonensis colligendum esse, Bossuetius falso contendit.

Cap. 16. ejusdem libri *consensione communi Episcoporum* factum fuisse, ut sententia lata contra Dioscorum *in summam vim deduceretur*, Bossuetius inde colligit, quia Legati Apostolicæ Sedis antequam illam ferrent, consensum Patrum exquisierunt. Unde Valentinianum Augustum ad Theodosium Augustum illud quidem scripsisse animadvertit (1), esse Romani Pontificis *de fide*, *& Episcopis judicare*, ea tamen conditione, ut in his causis, quæ fidem, & universalem Ecclesiæ statum

(1) Juxta eamdem edit. post 48. epist. S. Leonis.

tum tangunt, *congregatis ex omni orbe Sacerdotibus sententiam ferat*. Eamdem fuisse mentem dicit tam Pulcheriæ Augustæ scribentis ad Leonem de Conciliis convocandis (1), *ut facto Concilio, de Catholica confessione, & de Episcopis, te auctore, judicent*, & Valentiniani, atque Marciani Augustorum affirmantium (2), *auctore Leone*, Synodum habendam esse. " Hinc „ liquido constat (inquit Bossuetius) consueto ordine & Pa- „ pam auctorem esse debere, & Episcopos assidentes cum ipso „ esse judices, & ipsum irrevocabilis decreti robur in consen- „ sione esse positum ".

Cap.17. epistolæ Leonis Patres subscripsisse animadvertit, postquam, prout Synodi judices proposuerant, Symbolo CCCXVIII. Patrum, & CL. Patrum eam consonam esse repererunt (3). Gallicanos quoque Episcopos, immo & Italos ejusdem epistolæ judices facit. Superaddit tandem, peracta Synodo, omnem disputationem de Religione ab Imperatore prohibitam fuisse (4), ac etiam Leonis auctoritatem opponit, qui in epistola ad Episcopos Gallicanos (5) affirmat *post habitam Synodum Chalcedonensem excusationis refugium de ignorantiæ inscitia, vel de intelligentiæ difficultate*, nemini superesse.

Iis autem omnibus, quæ in Dioscori condemnatione peracta fuisse legimus, nihil evidentius contra Bossuetium afferri potest: unde non erat sane, cur iisdem in capite 16. contra nos pugnaret. Legati profecto Apostolicæ Sedis, ut Dioscorus inter alios Episcopos suum in Synodo locum teneret, nullo modo passi fuere, sed voluerunt, ut tamquam reus in medio Synodi sederet. Id autem, Leone jubente, expetierunt, nulla expectata consensione Patrum (6). Paschasinus vero Legatus Apostolicæ Sedis, dum de Dioscori causa ageretur, Patrum quidem de ea sententiam rogavit; at quomodo rogaverit, hoc est, utrum, ut per eam Apostolica sententia in

(1) Juxta eamdem edit. post epist. 59. S. Leonis. (2) Ibid. post epist.58. S. Leonis. (3) Id urget etiam Jacobus Basnagius in *Hist. Ecclesiast.* lib.10. cap.5. num.7. (4) Valentinianus, & Marcianus in suo Edicto Tom.2. Concil. edit. Harduini colum.659. (5) Juxta editionem Cacciari epist.78. cap.2. (6) Tom.2. Concil. edit. Harduini colum.67.

in summam vim deduceretur, an vero ut de eorum in eamdem assensione constaret, Concilii Acta declarant (1). Nam postquam Dioscorus ter vocatus judicio Patrum sese subjicere recusavit, Julianus Episcopus Hypæpensis Paschasinum rogantem Patres quid sentirent, ita affatus fuit: " Nunc vestra San-
" ctitas Primatum tenet sanctissimi Leonis ... Petimus igitur
" vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis
" locum sanctissimi Leonis promulgare in eum, & regulis in-
" sitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim, & to-
" ta universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis
" sententiæ. *Paschasinus Episcopus dixit*: iterum dico: Quid
" placet Beatitudini vestræ? *Maximus Episcopus magnæ Antio-*
" *chenæ Civitatis dixit*: Quod videtur Sanctitati vestræ, &
" nos concordes efficimur ". Tunc vero Paschasinus una cum aliis duobus Legatis Apostolicæ Sedis, Dioscori sceleribus antea commemoratis, sententiam in eumdem hac ratione pronuntiavit: " Unde Sanctissimus, & Beatissimus Archiepisco-
" pus magnæ, & senioris Romæ Leo per nos, & per præsen-
" tem Sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni
" laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepi-
" do Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nuda-
" vit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni
" Sacerdotali ministerio ostendit alienum ". A Legatis ergo Primatum teneri, eorumque propterea esse sententiam ferre, Patrum consensio fuit: quo potiebantur jure, Legati usi fuere, & nomine Leonis Nestorium dignitate Episcopali, atque Sacerdotali ministerio privatum esse pronuntiarunt coram omnibus. Hinc iidem Patres in sua *Relatione* ad Leonem (2):
" Quibus tu quidem (inquiunt) sicut membris caput præ-
" eras in his, qui tuum tenebant ordinem ... Sicut nos capiti
" in bonis adjecimus consonantiam; sic & summitas tua filiis,
" quod deceat, adimpleat ". Quemadmodum autem habet Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 16. art. 2.
" Porro jure naturæ, seu naturali ordine caput dirigere mem-
" bra

(1) Par. 2. Act. 3. cit. tomo colum. 343., & seq. (2) Cit. tomo colum. 655.

„ bra debet, & pater filios, penes quem tota gubernandæ „ familiæ auctoritas est; quomodo & in capite vis tota residet „ ad regendum corpus. Et quidem filiorum cum patre, mem„ brorum cum capite consonantia efficit, ut pax familiæ flo„ reat, & sanum vividumque sit corpus. Perperam tamen in„ de conficeretur, aut regendæ familiæ auctoritatem non to„ tam residere in Patre, sed in universa familia, aut vim mem„ brorum directricem non in solo capite, sed in universo cor„ pore esse constitutam “. Multoque etiam magis, addo ego, perperam conficeretur, vim directricem capitis ob consensionem membrorum, & regendæ familiæ auctoritatem ob consensionem ipsius familiæ *in summam vim* deduci. Hinc vero est, ut Patres non id juris sibi sumpserint, ut expenderent, atque ad examen revocarent, quæ Legati in Nestorium decernerent, sed sententiæ eorum se conformes futuros spoponderunt.

Neque est, cur Bossuetius auctoritatem Valentiniani nobis opponat. Valentinianus quum ad Urbem accessisset, S.Leo una cum aliis Episcopis eum rogavit, ut Theodosium ad indicendum in Italia Synodum Œcumenicam induceret. Horum precibus Valentinianus annuit, atque hac de re ad Theodosium patrem suum scripsit. Illud ergo in memoriam ejus primo revocavit, fidem perturbatam esse, quam ejus sane erat (1), „ Defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apo„ stolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conserva„ re “. Quomodo autem id ab eo præstandum foret, statim ostendit dicens: “ Quatenus Beatissimus Romanæ civitatis „ Episcopus, cui Primatum Sacerdotii super omnes antiqui„ tas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sa„ cerdotibus judicare... Hujus enim rei gratia secundum so„ lemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episco„ pus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ „ orta est de fide “. Hisce constitutis, quorum nihil contra Bossuetium non facit, Leonis preces exponit: “ Huic itaque „ postulanti, & conjuranti salutem nostram communem, an„ nue-

(1) Cit. tomo colum.35.

„ nuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam
„ petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos, congrega-
„ tis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam,
„ omni præjudicio submoto, a principio omnem causam,
„ quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens sententiam
„ ferat, quam fides, & ratio veræ Divinitatis expostulat “.
Hoc ergo in Concilio a Leone sententiam ferendam esse, Valentinianus quidem dicit, non tamen eidem Concilio alligat, sicuti Bossuetius vellet, auctoritatem definiendi res fidei, quam in Leone agnoscit. Quin immo antequam ejus judicii mentionem faciat, quod a Leone in Concilio ferendum erat, illius esse absolute statuit de fide, & Sacerdotibus judicare.

Concilium vero Chalcedonense, auctore Leone, ita habendum erat, ut Patres suo decreto constituerent, quod ipse Leo jam definierat. Nam Marcianus in epistola ad Leonem de Concilio habendo scribens, hunc suæ epistolæ finem imponit (1): “ Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has par-
„ tes advenias; hoc ipsum nobis propriis litteris tua Sanctitas
„ manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam
„ Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, ut
„ ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes
„ sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christiano-
„ rum, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua se-
„ cundum Ecclesiasticas regulas definiverit, sua dispositione
„ declarent “. Dispositione ergo Patrum declarandum quidem erat, quæ Christianorum religioni, & Catholicæ fidei prodessent; tamen juxta id, quod Leo secundum Ecclesiasticas regulas definivisset: ipsum ergo irrevocabilis decreti robur non in consensione Patrum positum est, sed ad Leonem referatur oportet, quoniam ad definitionem ejus est quoque illa declaratio referenda, quam Patres facere debebant. Unde præter omnem rationem Bossuetium intulisse, *ipsum irrevocabilis decreti robur in consensione esse positum*, quia Pulcheria Augusta, Valentinianus, atque Marcianus, Concilium, auctore Leone, habendum dixerunt, nemo non videt.

Ad

(1) Cit. tomo colum. 43.

Ad ea tandem, quæ Bossuetius cap. 17. contra nos habet, nunc deveniamus (1). Est ergo animadvertendum, Patres Chalcedonenses epistolam Leonis pro certa, atque nullo modo amplius discutienda fidei regula habuisse, cui nihil adjungi posset, ac propterea obstitisse, ne alia definitio fieret. Nam quum Actione II. Judices, atque Senatus ab Episcopis petiissent, ut veram fidem stabilirent, omnemque ambiguitatem e medio tollerent, Episcopi ita iis reposuerunt (2): " Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, & in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita ". De Nicænis autem, Constantinopolitanis, & Ephesinis Patribus loquuntur, qui Arium, Eunomium, atque Nestorium damnaverant. Horum autem auctoritati Patrum adjungunt auctoritatem Leonis, qui errorem Eutychetis jam confixerat. Statim enim superaddidit Cecropius Sebastopolitanus Episcopus: " Emerserunt, quæ ad Eutychem pertinebant, & super iis forma data est a Sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, & sequimur eum, & epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ista omnes dicimus: sufficiunt quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri ". Contra tamen nitentibus Judicibus, atque Senatu, inter se convenerunt, ut inter alia legeretur expositio fidei in Synodo Nicæna, & Constantinopolitana edita, sicut etiam epistola dogmatica Leonis ad Flavianum. Quemadmodum autem post lectionem Nicænæ, & Constantinopolitanæ fidei, Patres clamaverunt: *hæc vera fides: omnes sic credimus*; ita etiam post lectionem epistolæ Leonis conclamarunt (3): " Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: orthodoxi ita credunt: anathema ei, qui ita non credit: Petrus per Leonem ita loquutus est ". Quia vero dum Leonis epistola legeretur, de nonnullis quidam Illyriciani, & Palæstini Episcopi dubitaverant, illis satisfactum fuit, quibusdam S. Cy-

 rilli

(1) Eadem fere opponit etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 6. §. 6. num. 1., quæ hac una eademque responsione nostra refutantur.

(2) Cit. tomo colum. 286. & seq. (3) Cit. tomo colum. 306.

rilli locis in medium allatis (1), & quum Atticus Nicopolitanus, aliique Illyriciani Episcopi inducias decem dierum ad rem totam maturius perscrutandam petiissent, easque a Judicibus, & Senatu obtinuissent, id reliqua Synodus ægre tulit, clamavitque: " Nos ita credimus; sicut Leo, ita credimus: " nostrum nullus dubitat: nos jam subscripsimus ". Judices tamen, & Senatus *conveniens* esse putarunt, ut eas inducias, quas petierant, Illyricianis concederentur, atque ut sibi hac in re indulgerent (quod sane animadvertendum est) Episcopi Illyriciani a ceteris Patribus petierunt. Quum præteriissent illi dies, qui concessi erant Illyricianis ad conferendum cum Anatolio, aliisque, qui epistolæ Leonis jam subscripserant, Actio IV. habita fuit. In ea ergo Judices, atque Senatus doceri voluerunt, quænam esset fides Patrum: quibus Paschasinus, aliique Legati Apostolicæ Sedis responderunt, sanctam Synodum amplecti, & profiteri Symbolum Nicænorum Patrum cum omni eo, quod illi in Constantinopolitano Concilio superadditum fuerat, ejusdemque Symboli expositionem juxta Cyrilli epistolas ab Ephesinis Patribus confirmatas (2), " Tertio vero Beatissimi, atque Apostolici viri universalis Ecclesiæ Papæ Leonis, Nestorii, & Eutychetis hæresim damnantis directa scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter vero & sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur: nihil amplius nec addere potest, nec minuere ". His tamen Judices, & Senatus non acquieverunt, sed ultra voluere, ut conceptis verbis declararetur a Patribus, utrum epistolam S. Leonis Nicæno, & Constantinopolitano Symbolo consonam putarent (3). Ex hoc autem Bossuetius infert, Synodicum examen de epistola Leonis institutum fuisse. Falso tamen: nam, sicuti jam animadvertimus, omnes Patres epistolæ Leonis se subscribere Actione II. protestati fuerant, nullamque aliam expositionem necessariam esse dixerant, dum Judices, & Senatus ab eis quærerent, ut veram fidem stabilirent. Deinde in eadem Actione lecto Symbolo Nicæno, & nulla adhuc commemoratione facta epistolæ Leonis, Patres clama-

(1) Cit. tomo col. 307. (2) Cit. tomo col. 386. (3) Cit. column.

clamaverunt: *Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit: Papa Leo ita interpretatus est* (1). Post lectionem quoque factam Symboli Constantinopolitati, duarumque Cyrilli epistolarum, quæ in Synodo Ephesina approbatæ, & confirmatæ fuerant, nullo modo adhuc lecta epistola Leonis, *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: omnes sic credimus: Papa Leo sic credit: anathema ei, qui partit, & qui dividit: hæc fides Leonis Archiepiscopi* (2). Epistola tandem Leonis post hæc omnia perlecta, quod in ea Leo, uti interpres S. Petri, decreverat, sese sequi ulla sine dubitatione palam edixerunt (3). Hæc autem omnia neminem dubitare sinunt, nihil minus voluisse Patres, quam de epistola Leonis examen instituere. In Actione autem IV. dum Indices, & Senatus postquam a Patribus intellexerunt, illos sequi eam fidem, quæ in epistola Leonis exposita erat, nihilque aliud addi, vel minui posse, ab iisdem quæsierunt, ut distincte docerent, utrum epistola Leonis Nicænorum, & Constantinopolitanorum Patrum expositioni consona esset; tunc sane Patres neque ad deliberandum, neque ad expendendam epistolam Leonis aliquo postulato tempore, neque iterum lecta epistola ejus, aut ejusdem facta comparatione cum iis, quæ in Nicæno, & Constantinopolitano Concilio decreta fuerant, contenti semel habita lectione in Actione II. Symboli Nicæni, Constantinopolitani, & duarum epistolarum Cyrilli, sicut etiam epistolæ Leonis, non solum prout in hac eadem Actione II. fecerant, epistolæ Leonis, uti certæ regulæ fidei in Actione IV. subscripserunt, sed etiam eam consonam esse definitioni Patrum Nicænorum, atque Constantinopolitanorum edixere. Sibi ergo conformes semper perstiterunt, atque epistolam Leonis, uti certam regulam, cui suam fidem accomodarent, sequuti fuere. Hæc semper omnium Patrum una sententia fuit, paucis quibusdam exceptis, cum quibus ceteri omnes in Actione II. indulgentiam adhibuerunt, id petentibus Judicibus, atque Senatu (4).

Gallicani vero Patres, etiam antequam de Synodo Chalcedo-

(1) Cit. tomo colum 287. (2) Cit. tomo colum. 290. (3) Vide locum supracitatum. (4) Vide cit. tomum colum. 307. & seq.

cedonenſi quidquam audiviſſent, quum epiſtolam S. Leonis, ut Symbolum fidei ab omnibus, qui Redemptionis ſacramenta non negligunt, haberi confeſſi fuerint; non video ſane, qua ratione auctoritatem illorum Boſſuetius nobis opponere poſſit (1): " Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta (inquiunt) ita ut „ Symbolum fidei, quiſquis Redemptionis ſacramenta non „ negligit, tabulis cordis adſcribit, & tenaci, quo ad con- „ fundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ com- „ mendavit ". Quæ vero in hac epiſtola ſequuntur, quæque etiam, quod ſane mirandum eſt, etiam Boſſuetius exſcribit, rem eamdem confirmant, ſicut unicuique conſtare ex eorum lectione poterit.

Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus in epiſtola Synodica ad Leonem (2), proteſtatur quidem, ſicut Boſſuetius urget, ejuſdem epiſtolam ad Flavianum ſe inveniſſe conſonam *Prophetarum aſſertionibus*, *Evangelicis auctoritatibus*, *omnibuſque ſenſibus*, quos S. Ambroſius de myſterio Incarnationis in ſuis libris inſeruit; attamen & illud ejuſdem epiſtolæ cap.3. dicit, *auctoritate ſententia ejus* ſibi, ceteriſque Epiſcopis placuiſſe, illos, qui de myſterio Dominicæ Incarnationis impie ſentiunt, ſuo etiam conſenſu *damnatione congrua perſequendos*: " Litterarum „ ergo veſtrarum (inquit) formam ſequuti, modum prædictæ „ ordinationis nos ſervaſſe, his per fratrem, & Coepiſcopum „ meum Cyriacum miſſis oſtendimus ".

Præcepit vero Marcianus, ut nulla amplius poſt Synodum Chalcedonenſem de fide diſputatio haberetur, non ſolum ductus ea pietate, qua præditus erat, ſed etiam ut paci, atque tranquillitati populorum proſpiceret, quia nonnulli adhuc *conventicula* colligere (3) perſiſtebant. Et re quidem vera quum tantorum, tamque multorum auctoritate Patrum, qui formam a Leone ſibi traditam ſequuti erant, quid de fide ſentiendum jam definitum haberetur, non poterat ſane a quoquam non minus ſine maxima temeritate, quam ſine offenſione aliorum, diſputatio de fide inſtitui. Leo-

(1) Juxta edit. Cacciarii in epiſt. Synodica cap. 2. poſt epiſt. 77. S. Leonis. (2) Juxta eamdem edit. poſt 78. S. Leonis. (3) Tom.2. Concil. edit. Harduini colum.666.

Leonem autem curasse, Synodum Œcumenicam haberi, non ut per eam, quæ ipse definierat, confirmarentur, sed ut facilius qui erraverant, resipiscerent, jam ostendimus. Unde mirandum non est, si post habitam Synodum Chalcedonensem *excusationis refugium de ignorantia inscitia, vel de intelligentia difficultate* nemini relictum dixerit (1).

§. XII. Auctoritate quoque Concilii Constantinopolitani II., Œcumenici V., confirmatum habemus, supremam judicii rationem in Summo Pontifice admitti oportere.

Nam Justinianus in sua epistola ad Patres Synodi, Vigilii Papæ auctoritatem, uti certam regulam, quam sequantur, eisdem proponit (2): " Vigilio enim (inquit) antiquissimo " Papæ senioris Romæ, quum pervenisset ad hanc civitatem, " de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus: & interrogavimus eum, quid sapit de hoc: & ipse non semel, " nec bis, sed etiam sæpius in scriptis anathematizavit impia " tria Capitula. Quod vero ejusdem voluntatis semper fuit " trium Capitulorum & per plurima alia declaravit,& per condemnationem Rustici, & Sebastiani ". Rem eamdem urgere non destitit etiam Quæstor Sacri Palatii ab Imperatore missus ad Patres simul congregatos (3). Nihil sane magis Justiniano curæ fuisse, quam ut tria Capitula condemnarentur, neminem dubitare sinunt tam multa, quæ ille in hunc finem gessit. Quum ergo Patres ad id facilius induci posse Justinianus putaverit, si ob eorum oculos Vigilii auctoritatem poneret, argumento id est, eum censuisse, Patres esse sequuturos uti certam regulam, quod Summus Pontifex hac de re constituerat. Et re quidem vera quamvis Patres doluerint una secum Vigilium adesse noluisse; tamen antequam devenirent ad expressam damnationem trium Capitulorum, convicti remanserunt, in eam Vigilium consensisse (4); eumque Patribus simul congregatis fuisse præfuturum, si una simul cum illis adesse

(1) Juxta edit. Cacciarii epist.78. cap.2. (2) Tom.3. Concil. edit. Harduini colum.56. (3) Cit. tomo colum.171. (4) Cit. tomo colum.188.

esse voluisset. Quæ sane omnia ostendunt, ex hoc quoque Concilio perspectum esse, quod nos modo volumus.

§. XIII. Bossuetius contrarium non evincit ex iis, quæ, hujus Concilii habita ratione, a se animadvertenda esse censuit.

Quum in hac Synodo de epistola Ibæ ad Marim judicium ferendum esset, decrevisse Patres, Bossuetius animadvertit *Defensionis &c.* lib.7., alias 12. cap.19., recitari Acta Synodi III., & IV., ut ex lectione eorum compertum fieret, *quo ritu probari scripta de fide consuessent in Synodis anterioribus*. Unde hæc ex Collatione VI. refert: " Sancta Synodus dixit: ex " his, quæ recitata sunt, manifestum est, quomodo sanctæ " Synodi ea, quæ apud eas proferuntur, probare solent. Quum " enim illi sancti viri, qui recitatas epistolas scripserant, sic " splenduerint; tamen epistolarum earum comprobationem " non simpliciter, nec sine inquisitione fecerunt, nisi per " omnia cognovissent, consonare eas expositioni, & doctrinæ " Sanctorum Patrum, ad quam collatio facta est ". Ex quibus ita colligit: " Sic igitur certum est ex III., & IV. Synodis, ita definiente, & intelligente V., epistolas a Sede Apostolica comprobatas, qualis Cyrilli fuit, aut etiam ab ea profectas, qualis Leonis fuit, non simpliciter, nec sine inquisitione a sanctis Conciliis receptas fuisse ".

Verum res contra se habet, ac Bossuetius vellet. Patres ergo Collatione VI. quamvis jam multa in eadem Collatione perlecta novissent, quibus Ibam contra rectam fidem sensisse constabat; attamen a judicio in eum ferendo supersedendum censuere, volueruntque prius, ut nonnulla ex Synodo Ephesina, & Chalcedonensi sibi relegerentur (1): " Tamen (dixerunt) cautius æstimantes talia judicare ex his, quæ in " antecedentibus sanctis Synodis disposita sunt; & scientes " quod & in Ephesina prima sancta Synodo de epistolis S. Cy" rilli, & in ipso Chalcedonensi Concilio de epistola sanctæ " memoriæ Papæ Leonis quædam mota sunt; necessarium esse " putavimus ex his, quæ in prædictis sanctis Synodis gesta " sunt, partes illas, quæ hæc continent, manifestari: ut pro " amplio-

(1) Cit. tom. colum. 147.

„ ampliore subtilitate & inde instructi sic propositorum discc-„ ptationem faciamus “. Tunc sane Callonymus Diaconus, „ & Notarius legit *partem gestorum*, *quæ in I. Ephesina sancta Synodo habita sunt pro epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli*, & quædam *ex III. Actione eorum*, *quæ Chalcedone sunt acta*, nonnullaque alia. Hisce auditis, tunc Patres ea reposuerunt (1), quæ Bossuetius in medium adducit. Exploratum ergo habebant V. Synodi Patres epistolam Ibæ contrariam esse definitioni Concilii Chalcedonensis, quemadmodum ex Theodoro Cappadociæ, & ex aliis Episcopis noverant (2); attamen pro *ampliori subtilitate*, & ad veritatis semel cognitæ pleniorem inquisitionem formam sequi voluerunt in præcedentibus Synodis institutam, eam scilicet, quam servavit Ephesina Synodus, dum Cyrilli, & Nestorii litteras cum Symbolo Nicæno contulit, & Chalcedonensis, quæ epistolam Leonis cum doctrina Patrum Nicænorum, & Constantinopolitanorum contulit. Quomodo autem, & qua de causa factum fuerit, ut epistola Cyrilli ab Apostolica Sede jam probata, item epistola Nestorii ab eadem Sede jam damnata in Synodo Ephesina legerentur, simulque inter se conferrentur, est jam explicatum a nobis (3); sicuti etiam qua ratione Patres Synodi Chalcedonensis judicaverint epistolam Leonis consonam esse expositioni fidei Patrum Nicænorum, atque Constantinopolitanorum (4), simulque contra Bossuetium evicimus, ex tota hujus facti ratione nihil minus colligi posse, quam quod ipse vellet. Quare, prout ad rem nostram attinet, nunc dicimus, V. Synodi Patres ut omnibus suam agendi rationem probarent, ostenderentque aliorum se Conciliorum exempla sequi, antequam Ibæ epistolam damnarent, voluisse, ut sibi legeretur, quod in Synodo Ephesina Cyrilli epistolæ, & in Chalcedonensi epistolæ S.Leonis habita ratione, servatum fuerat. Inde vero recte intulerunt, a se potiori jure Ibæ epistolam expendendam fore, atque comparandam cum iis, quæ jam sancita fuerant, si epistolæ quoque Sanctorum virorum non sine inquisitione in Synodis receptæ fuerunt. Non sine in qui-

(1) Cit. tom. colum. 164. (2) Cit. tom. colum. 144. & seqq.
(3) Hujus cap. §. 6. (4) Hujus cap. §. 8.

quisitione, inquam, quæ ad ampliorem elucidationem veritatis conferret, non vero quæ ex dubitatione proficisceretur, semel ac de epistolis Romanorum Pontificum, aut aliorum, quæ tamen ab Apostolica Sede probatæ forent, agendum erat, quemadmodum hoc in capite jam ostendimus.

Ex his autem constat, quam falso Bossuetius non minus ex III., & IV., quam ex hac V. Synodo colligat, *non simpliciter*, *& sine inquisitione* (ea, inquam, inquisitione, de qua ipse contendit) receptas fuisse epistolas Romanorum Pontificum, aut aliorum, quas tamen illi probassent. Verum hìc non sistit Bossuetius, sed ultra pergit. Nam quamvis *præsumptum fuisse* dicat *pro Pontificum orthodoxorum decretis* in Conciliis Œcumenicis; tamen in his, in quibus de fide judicandum est, *præsumptionibus agi non oportere* dicit, ac propterea superaddit Patres, " Quas legunt epistolas sive Catholicorum, sive
" hæreticorum, sive etiam Romanorum Pontificum etiam de
" fide scriptas, eodem ritu orthodoxas, vel hæreticas pro-
" nuntiant, legitima cognitione veritate inquisita, ac deinde
" perspecta, tum de his dato judicio ". Ita ne vero? Si igitur ad illud judicium attendatur, quod in Œcumenico Concilio fertur, eadem ratio erit Supremi totius Ecclesiæ Capitis, quod ad fidei unitatem tuendam Primatum jurisdictionis super universam Ecclesiam recepisse etiam Bossuetius (1), & alii, qui cum ipso hac in re idem sentiunt, ulla sine dubitatione concedunt, ac cujusvis Catholici viri, immo etiam cujusvis hæretici hominis? Quisquam tandem id dederit? immo vero quisnam ferre ullo modo poterit?

Citati libri capite 20. inter alia illud quoque, quod ad rem nostram modo facit, Bossuetius urget, *solutum* fuisse a Patribus Vigilii Constitutum, in quo contenta contra fidem in tribus Capitulis damnabantur, sancitumque habebatur, ne ulla de iisdem amplius quæstio moveretur, indeque colligit, *Pontificis decretis sacrorum Conciliorum decreta prævalere*. At vero Justinianum nihil magis cordi habuisse, quam ut tria Capitula damnarentur, atque hoc ut facilius assequeretur, omni

(1) Lib. 20. cap. 4. §. 15.

omni ope contendisse suadere Patribus, tria Capitula a Vigilio prædamnata esse, jam animadvertimus (1). Quomodo autem Justinianus id æquo jure contendere potuisset, si Patres ex ipso Vigilii Constituto perspectum habebant, ab eo decretum fuisse, ut de iisdem nulla amplius quæstio moveretur? Dicendum ergo est, Vigilii Constitutum nondum promulgatum fuisse, quando tria Capitula condemnarunt, sicuti omnino suadent illa multa, quæ Petrus de Marca *Dissertatione de Epistola Vigilii* num.12. in medium protulit, eaque Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.1. cap.20. art.2. probavit. Nam hoc Constitutum in Acta referri debuisset, si in Synodo promulgatum esset, quum multa alia minoris momenti in Acta relata legamus. " Deinde (sicuti animadvertit Petrus de Marca) promulgatio Constituti aliena fuisset " ab instituto, & prudentia Imperatoris, qui damnationi trium " Capitulorum quum totus incumberet, non debuit suis vo- " tis efficere, Vigilii auctoritate prolata, quæ desiderium il- " lius improbaret. Immo vero ut facilius obtineret, quem " sibi proposuerat eventum, neu quis expectaret, quid Prin- " cipi Vigilius respondisset, quemadmodum pollicitus erat se " facturum, per Constantinum sacri palatii Quæstorem Justi- " nianus Synodo suggessit, Vigilii mentem satis explicatam esse " ex iis, quæ sæpius hac de re docuerat quum scriptis, tum " viva voce. Et, ut sacrum conventum ad damnationem trium " Capitulorum animaret, litteras ea de re a Vigilio præscri- " ptas ad Aurelianum Arelatensem, & ad Valentinianum Sci- " thiæ Episcopum, & sententiam ab eodem Pontifice latam " adversus Rusticum, & Sebastianum Diaconos suos trium " Capitulorum fautores e latina in græcam linguam versas, " legendas exhiberi ab eodem Quæstore curavit (2) ". Illud ergo semper Justinianus Patribus omnino persuasum voluit, Vigilium in condemnatione trium Capitulorum eis præivisse, ut illos facilius ad eamdem induceret, ab ea autem retraxisset, si quod ad se Vigilius Constitutum miserat, illis prodidisset.

I 2 Ne-

(1) Præced. §. (2) Videatur tom.3. Concil. edit. Harduini Collatio 7.

Neque ex eo quod in VI. Collatione refellantur illæ rationes, quæ in eodem Constituto pro epistola Ibæ afferuntur, contrarium evincitur: sicut enim animadvetere pergit idem Petrus de Marca, " Vulgares enim eæ erant, utpote quæ a sex, vel septem annis summo studio contorquerentur ab adversariis, etiam scriptis copiosissimis libris, quemadmodum factum est a Facundo Hermianensi, ut necessum non sit confugere ad Constitutum Vigilii, quasi inde illa excerpi, necessarium omnino foret ".

Garnerius *Dissertatione de V. Synodo* cap.5. §.10. Constitutum missum fuisse autumat non quidem ad Patres in Concilio congregatos, sed ad eos, numero sane pauciores, qui una cum Eutychio singulariter congregati concinnabant decreta in VIII. Collatione promulganda. Verum conjecturam ejus nullo fundamento nixam esse Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.1. cap.20. art.2. plenissime ostendit, neque est, cur modo nos hac de re alia superaddamus. Illud etiam vir Cl. art.3. animadvertit, inter apocrypha rejiciendam esse *Sacram* Imperatoris missam ad Synodum, & Collationi VII. Synodi V. a Baluzio adjectam, qua præcipiebatur, ut Vigilii nomen e sacris Dypticis expungeretur, propterea quod Vigilius trium Capitulorum defensionem suscepisset. Hoc autem argumentis ex chronologia petitis primo probat: deinde recte observat, nemini probabile videri posse, Justinianum, qui, Vigilii exemplo proposito, Patres ad condemnationem trium Capitulorum promptiores reddere curaverat, & tum per se, tum per suum Quæstorem illis persuadere conatus fuerat, Vigilium in condemnatione trium Capitulorum iisdem præivisse, simul eodemque tempore Vigilium tria Capitula probantem iisdem Patribus exhibuerit, ejusque propterea nomen e sacris Dypticis expungi præceperit. Inde enim futurum esse, non perspicere non poterat, ut Patres a damnatione trium Capitulorum vel omnino revocarentur, vel saltem retardarentur: quo sane nihil ipsi magis displicere debebat. Ad hæc illud accedit, in VIII. Collatione conquestos quidem fuisse Patres, Vigilium una secum convenire noluisse, simulque cum

eis

eis controversiæ finem imponere; tamen trium Capitulorum defensionem ab eo susceptam, ne tacite quidem innuisse (1).

§. XIV. Supremam judicii rationem in Summo Pontifice agnoverunt etiam Patres VI. Concilii Œcumenici, Constantinopolitani III.

Hujus Synodi Patres non contenti in suis definitionibus judicium Agathonis esse sequutos, adhuc voluerunt, ut illæ ab Agathone comprobarentur, atque ab eo petierunt, ut *iterum per honorabilia scripta confirmaret*, quod ipsi decreverant. Inde autem ut *iterum* confirmarentur, recte petierunt, quia Summus Pontifex a se antea definita voluit a suis Legatis in Concilio proferri ut *certa*, *immutabilia compendiosa definitione*, jamque idem Summus Pontifex declaraverat, *ut Consacerdotes, ut comministros ejusdem fidei*, *ut spirituales fratres*, *ut Coepiscopos*, se suscipere eos, qui amplecterentur, quæ ipse definiisset; contra autem alios, qui id facere renuerent, ut *infestos Catholicæ*, *& Apostolicæ confessioni*, atque Patres Agathonem sequuti fuerant, ut *fautorem*, *& Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras*. Hanc vero confirmationem quum Agatho morte præventus adhibere non potuisset, adhibuit sane Leo II. a Constantino Imperatore rogatus, & ea quidem efficacia verborum, ut ad illam Supremam judicii rationem, de qua nunc agimus, nihil supra desiderari possit (2). Modo ita paucis. Constantinopolitani Patres in tota sua judicii ratione ut *certa*, & immutabilia receperunt, quæ, ut sequerentur, Summus Pontifex sibi constituerat: suum deinde judicium ab eodem Summo Pontifice comprobatum, confirmatumque voluere: Summus vero Pontifex dum rem istam præstitit, Suprema judicii potestate, qua pollebat, usus fuit: est ergo perspectum, Patres III. Constantinopolitani Concilii, Œcumenici VI., Supremam judicii rationem in Summo Pontifice agnovisse.

§. XV. Bossuetius a rei veritate longe aberrat, dum hujus Concilii auctoritate in rem suam utitur.

Defensionis &c. lib.7., alias 12., cap.24. illud primo opponit,

(1) Vide in cit. tomo Collat. VIII. (2) Vide horum omnium Ecclesiastica monumenta lib.21. cap.3. §.27.

ponit, hanc Synodum, & eam quidem Œcumenicam, habitam fuiſſe ad eum errorem proſcribendum, quem S. Martinus in Lateranenſi Concilio jam damnaverat. Deinde vero in id totus incumbit, ut evincat, epiſtolas Agathonis poſt examen de iis factum a Patribus fuiſſe probatas. Id autem inde ſe inferre poſſe putat, quia Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſicuti in VIII. Collatione habetur (1), quæ in epiſtolis Agathonis, & Synodi Occidentalis continebantur, ſe credere, & profiteri dixit, quia *conſona* eſſe repererat *libris Sanctorum probabilium* Patrum. Alii vero hanc formam in ſua ſubſcriptione ſequuti fuerint: *inveni in nullo eas a Sanctis Patribus diſcrepare*, *& conſentio* (2). Unde, inquit Boſſuetius, Agatho, & Occidentales ita ſua dogmata proferebant (3), " Ut „ qui vellent de iis, non tamquam de incertis contendere, „ ſed ut certa, & immutabilia compendioſa definitione proferre "; verumtamen Patres, quantum in ipſis erat, rem definiebant. Demum ſuperaddit, Concilii Patres de Pontificiis decretis quæſtionem habuiſſe, quamvis audiverint, atque ſuſceperint, quæ de ſua ſede S.Agato *præclare*, *ac magnifice*, *& vere* ſcripſerat. Cap. ſeq. Honorii condemnationem nobis opponit.

Ad hæc omnia non multis. Etiam ante VI. Synodum Œcumenicam hæreſim Monothelitarum profligatam fuiſſe auctoritate Romanorum Pontificum, atque Monothelitas ab omnibus Eccleſiis, quæ Catholicam communionem retinebant, pro hæreticis habitos, Cl. Orſius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.1. cap.20. art.1. pleniſſime oſtendit. Quapropter, prout ad rem noſtram pertinet, nunc animadvertimus, Agathonem in ſua epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, & Tiberium Imperatores doctrinam a ſe expoſitam vocare (4): *regulam veritatis*: *irreprehenſibilem Apoſtolici dogmatis regulam*: *regulam veritatis Orthodoxæ*, *atque Apoſtolicæ noſtræ fidei*: *Apoſtolicam*, *atque Evangelicam rectæ fidei regulam*. Non minus autem *præclare*, & *magnifice*, quam *vere*, etiam Boſſuetio ſentiente, hæc

(1) Tom.3. Concil. edit. Harduini col.1159. & ſeq. (2) Cit. tomo colum.1123. (3) Hæc urget etiam Febronius *De Statu Eccleſiæ &c.* cap.6. §.6. num.2. (4) Cit. tomo colum.1075. & ſeqq.

hæc ab Agathone ſcripta fuere. Si autem etiam *vere* Agatho hæc ſcripſit, quomodo ipſe contendere poteſt, Patres ſuo examini ſubjeciſſe, quod ut certa orthodoxæ fidei regula ab Agathone eis proponebatur? Eadem, quæ in priori, etiam in altera epiſtola ejuſdem Agathonis, & Synodi Romanæ 125. Epiſcoporum non minus luculenter inculcantur: inter alia enim in ea legimus, ſemel conſtituto hoc fidei articulo, quid certa fide tenendum ſit ab omnibus de duabus in Chriſto voluntatibus, atque operationibus, ab illis miſſos ad Synodum eos, qui, ſicuti jam monuimus (1), *ut certa*, *& immutabilia compendioſa definitione* proferre deberent, quæ a ſe decreta fuerant. At enim: Patres tamen de epiſtolis Agathonis examen inſtituerunt: igitur non *vere* Agatho de ſua ſede ſcripſit: inſtituerunt ergo quidem, non tamen ut de iis judicium ferrent, ſed ut ſuam iiſdem ſententiam accomodarent: quod ſane ipſi omnibus palam fecere, dum affirmarunt in *Proſphonetico* ab Imperatorem (2) ſe habuiſſe Agathonem *fautorem*, *& Divini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras*, eaſque in epiſtola ad Agathonem ut *a ſummo Apoſtolorum vertice divine præſcriptas* ſuſcepiſſe teſtati fuere, ſimulque Agathonem exorarunt, ut ſua auctoritate, quod ipſi definierant, confirmaret (3). Inſtituerunt, inquam, examen: verum, & Summo Pontifice conſentiente, & ad majorem declarationem veritatis, & ad eos, qui in errore pervicaces perſiſtebant, etiam Synodi Œcumenicæ auctoritate revincendos. Hinc Agatho, & Epiſcopi Occidentales ad Imperatores (4) inquiunt: " Pietatis itaque zelo, atque amore veræ Apoſtolicæ confeſſionis, „ veſtræ ſerenitatis benignitas mota, amplius declarare eam „ (Apoſtolicam confeſſionem) ut regali fomite multo magis „ fulgeat, elaborare procuret: cujus votum, quia a Deo eſt, „ a Deo perficitur ". Hæc autem tendere ad majorem manifeſtationem veritatis miniſterio Patrum faciendam nemo non videt. Superaddunt: " Et ut veritas adhuc in ancipiti poſitis „ clareat, & eam ſimpliciter amplectentibus robur accreſcat; „ & zi-

(1) Cit. tomo colum. 1123. (2) Cit. tomo colum. 1422.
(3) Cit. tomo colum. 1438. (4) Cit. tomo colum. 1122.

„ & zizaniorum genimina ſpirituali falce, ut offenſionis, ac „ deceptionis occaſio de medio Chriſti Eccleſiarum tollatur, „ abſcindantur ". Ut ergo veritas omnino clareſceret iis, qui in aliqua adhuc dubitatione verſabantur, & magis, ac magis in veritate alii confirmarentur, tandemque ad pleniorem condemnationem erroris quadam ſpirituali falce zizaniorum genimina abſcinderentur; hæc vero ſunt, propter quæ a ſe definita veritas ut in Concilio Œcumenico iterum definiretur, Agatho conſenſit. Hinc vero eſt, ut jam ex illo tempore, antequam Synodus Œcumenica haberetur, ut *Apoſtolicæ fidei concordes*, *ut Conſacerdotes*, *ut Comminiſtros ejuſdem fidei*, *ut ſpirituales fratres*, *& Coepiſcopos* Agatho eos receperit, qui a ſe definita amplecterentur, alios autem, qui id facere detrectarent, habuerit uti *infeſtos Catholicæ*, *atque Apoſtolicæ confeſſioni*, *& perpetuæ condemnationis reos* eſſe decreverit.

Non eſt ergo, cur Boſſuetius illud animadvertat, nonnullos Epiſcopos in Actione VIII., dum epiſtolis Agathonis ſubſcripſerunt, teſtatos fuiſſe, eas ſe adinveniſſe *conſonas libris Sanctorum probabilium Patrum*. Nam ad hoc ſane tendebat illud examen, quod fieri a Patribus ob prædictas rationes a Summo Pontifice concedebatur. Ceterum hac de conſonantia in ſua ſubſcriptione mentionem fecerunt Georgius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, & Siſinnius Epiſcopus Heraclææ Thraciæ, alii vero omnes proteſtati fuere, *ſe credere*, *quemadmodum habent ſuggeſtiones Sanctiſſimi Papæ*: *ſecundum virtutem ſuggeſtionum directarum*: *ſuſcipere ea*, *quæ ſuggeſta ſunt ab Agathone*, *tamquam ex Spiritu Sancto dictata per os Sancti*, *ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri*, *& digito ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcripta* (1). De Honorio nunc paucis.

Noſtrum modo non eſt, illud ſtatuere, utrum Honorius in hæreſim inciderit, vel non inciderit: neque eſt etiam definire, utrum in VI. Synodo propter hæreſim damnatus fuerit, an vero quia ſua ſcribendi ratione favere hæreticis præſetulerit. De his Petri de Marca epiſtola ad Philippum Labbeum videatur apud Baluzium in vita illius §.6., Natalis ab Alexandro

(1) Cit. tomo colum.1158. & ſeqq.

dro *Hist. Ecclesiast.* seculo 7., Garnerius in Appendice ad notas cap.2 *libri diurni Romanorum Pontificum* Dissert.2. §.6., & noster Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.1. cap.21. art.1. & seq. Est ergo animadvertendum 1. Honorium in suo *Rescripto* ad Sergium sua auctoritate non fuisse usum, & ejus nunquam partes sibi tribuisse, cujus sit universam Ecclesiam regere, cunctosque in recta fidei ratione informare. 2. Œconomiam quidem Sergii Honorius laudat; tamen sentientes contra eum neque condemnat, neque anathemate percellit. 3. Quæ in suo *Rescripto* ad Sergium exposuit, ad instructionem ejus sese exposuisse testatur (1). His accedit etiam Patres Concilii Œcumenici VI. *Rescriptum* Honorii ad Sergium habuisse loco cujusdam epistolæ, quæ privatim ad Sergium ab Honorio scripta fuisset (2). Quid ergo ab omnibus sentiendum, tenendumque esset, hac in epistola Honorius nullo modo statuebat: judicium ad omnes Fideles non referebatur: partes non agebat Supremi Ecclesiæ capitis, quod cunctos Fideles regeret, atque moderaretur in iis, quæ fidei, morum, & communis disciplinæ esse possunt. Quare non fuit istud tale judicii genus, quod judicio aliorum subjectum esse non posse, nunc tuemur. Non est ergo, cur Honorium in VI. Synodo damnatum fuisse, Bossuetius nobis opponat, ut quod vellet, assequatur.

§. XVI. Ex Concilio Œcumenico VII., Nicæno II., comprobatam habemus eam Supremam judicii rationem, quam Summo Pontifici tribuendam dicimus.

Quemadmodum ergo S. Agatho, quæ in suis duabus epistolis de duabus Christi voluntatibus, atque operationibus definivit, uti certa, immutabilia, & amplius non discutienda, a tota Ecclesia voluit, ut reciperentur, etiam antequam VI. Œcumenica Synodus haberetur, eique hujus Concilii Patres omnino assensi fuere, sicut jam ostendimus; ita etiam Hadrianus I. in suis litteris ad Tarasium, Synodo Œcumenica VII. nondum habita, jussit, ut Copronymi Pseudo-Synodus damnaretur, aperteque declaravit, non alia ratione eumdem Tara-

 sium

(1) Vide *Rescriptum* cit. tomo colum.1319. (2) Vide Actionem 13. cit. tomo colum.1331.

sium cum ipso communionem habere posse, nisi doctrinæ formam ab Ecclesia Romana propositam amplecteretur, & ex animo curaret, ut sacræ Imagines in suum locum restituerentur, omnibusque colendæ exhiberentur (1): " Sed vestra Sanctitas " (inquit) eisdem piissimis Imperatoribus, & triumphatoribus alacriter suggerat, ut in primis pseudosyllogus ille, " qui sine Apostolica Sede inordinate, & insyllogistice factus " est adversus venerabilium Patrum traditionem contra Divinas Imagines, anathematizetur, præsentibus Apocrisariis " nostris; & omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, & Domini nostri Jesu Christi sermo compleatur: Quia *porta inferi non prævalebunt adversus eam*. Et rursus: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Cujus sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Ecclesiarum Dei consistit ... Cui si adhærere cupit vestra Sanctitas, " & nostræ Apostolicæ Sedis, quæ est Caput omnium Ecclesiarum Dei, sacram, & orthodoxam formam incorrupte, " ac incontaminate ex profundo cordis, & sinceritate mentis " custodire studet, ut revera orthodoxa, & Dei cultrix consistens; hoc primum Omnipotenti Deo offerat sacrificium, " ut ex persona nostra prædictorum piissimorum, & a Deo coronatorum magnorum Imperatorum nostrorum sublimia vestigia obsecret, & in conspectu Dei per terribile illos adjuret judicium, ut sacras Imagines in ipsa Deo conservanda, & regia urbe, & in omni loco in antiquum statum restituere, & stabilire jubeant: conservantes traditionem hujus sacræ, & sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, & persequentes, ac abominantes malignorum, & hæreticorum errorem per certamen vestrum, & fidelem sollicitudinem ". Nihil sane in hisce omnibus occurrit, quo non evidentissime præseferatur, Hadrianum Supremo judicio damnasse hæresim Iconoclastarum, etiam antequam VII. Œcumenica Synodus haberetur. In epistola quoque ad Constantinum, & Irænem data post multa habita in commendationem Supremæ illius auctoritatis, quæ Petro collata fuit, & in successores dimanavit, post

(1) Tom. 4. Concil. ejusdem edit. colum. 102.

post relata loca Patrum, quibus de cultu sacrarum Imaginum constabat, Constantinum, & Iraenem humillime quidem deprecatur, ut sacras Imagines in pristinum statum restitui curent, atque jubeant; verum illud quoque superaddit, hanc unam esse rationem, qua Catholicae, Apostolicae, & irreprehensibilis Romanae Ecclesiae communione gaudeant (1): „ Vestris (ait) Deo dilectis vestigiis provolutus, quaeso, & „ coram Deo deposco, & adjuro, ut easdem sacratissimas Imagines in ipsa a Deo conservata regia urbe, & ceteris Graeciae partibus in pristinum statum restituere, & confirmare „ jubeatis: observantes traditionem hujus sacrosanctae nostrae „ Romanae Ecclesiae: abjicientes, & respuentes iniquorum calliditates: ut in hujus nostrae sanctae Catholicae, & Apostolicae, ac irreprehensibilis Romanae Ecclesiae ulnis suscipiamini". Haec ex Hadriano: nunc de Patribus videamus. Actione II. lecta fuit utraque Hadriani epistola, & tunc Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus juxta id, quod Hadrianus tum ad se, tum ad Imperatores scripserat, ait (2): " Sic „ quod confessi sumus, confitemur, & confitebimur, consonamus, & confirmamus, atque permanebimus in significatione litterarum, quae scriptae sunt". Sancta autem Synodus rogata a Legatis Apostolicae Sedis, utrum admitteret litteras sanctissimi Papae senioris Romae, unanimi consensione respondit: *sequimur*, *suscipimus*, *& admittimus*. Ad peculiarem autem subscriptionem singuli devenientes, *sicut honorabiles litterae sanctissimi Papae Romani continent*: *secundum Synodicas ejus epistolas*: *prout habet suggestio ejus* missa ad Imperatores, & Tarasium, se credere protestati fuere. Hanc vero formam, quae sane observatione digna est, Joannes Episcopus Tauromeniae adhibuit (3): " Quum velut divinus Orthodoxiae terminus sint litterae, quae ab Hadriano Papa senioris Romae ad „ pios Imperatores, nec non ad Tarasium universalem Patriarcham nostrum missae sunt, ita profiteor". Huic autem formae absque ulla alia superadditione verborum *similiter* 128.

K 2 Epi-

(1) Cit. tomo colum 91. (2) Cit. tomo colum. 103.
(3) Cit. tomo colum. 111.

Episcopi subscripserunt. Alii 140. Episcopi huic alteri formæ, quam servavit Constantinus Episcopus Sasimensium (1): „ Secundum lectas Synodicas epistolas Beatissimi Papæ senioris Romæ Hadriani confiteor, & adoro, atque suscipio sacras, & colendas Imagines secundum antiquam traditionem „ Ecclesiæ ". Hisce autem omnibus nihil evidentius haberi potest, Patres judicium Hadriani omnino fuisse sequutos, nullo autem modo suæ sententiæ subjecisse, quæ ab ipso in duabus epistolis jam definita fuerant.

§. XVII. Bossuetius falso tuetur, Patres Synodi VII. Hadriani litteras suæ sententiæ subjecisse.

Ita factum fuisse *Defensionis &c.* lib.7., alias 12., cap.30. inde autumat, quia, lectis duabus epistolis Hadriani, Legati Sedis Apostolicæ a Tarasio primum quæsiere, utrum iis consentiret, a reliquis autem Patribus Synodi, num easdem admitterent. Quum vero Tarasius ita responderit: " Nam & ipsi „ nos scrutando scripturas, & syllogistice approbando rimati „ sumus: sic quod confessi sumus, confitemur, & confitebi- „ mur: consonamus, & vim lectarum litterarum confirma- „ mus ": & conformiter ad ista Patres dixerunt: *Tota sacratissima Synodus ita credit*, *ita sapit*, *ita dogmatizat*, magis magisque confirmari dicit, quod ille contendit. Hinc, ipse prosequitur, definitio Synodalis non unius Romani Pontificis, sed totius Ecclesiæ consensione facta fuit. Nam Patres declararunt, nihil eis additum, aut detractum velle, quæ communi traditione ad se perlata fuerant (2): " Quæ quum ita sint „ (inquiunt) regiæ viæ semitis inhærentes, sequentesque „ Divinitus inspiratorum Sanctorum Patrum nostrorum magi- „ sterium, & Ecclesiæ Catholicæ traditionem, quippe quam „ esse noverimus Spiritus Sancti, qui ipsam inhabitat, defi- „ nimus in omni certitudine &c. " Ex quibus omnibus Bossuetius ita colligit: " Igitur sanctæ VII. Synodi post Romani „ Pontificis lectam definitionem inquisitio, confirmatio, ju- „ dicium sic se habet ".

At vero nonne etiam de re, quæ certissima sit, quispiam ab

(1) Cit. tomo colum.118. (2) Cit. tomo colum.454.

ab altero quærere poteſt, utrum eam recipiat? Hac ſane acceptione Legati Apoſtolicæ Sedis quæſierunt a Patribus, utrum Hadriani litteris aſſentirentur: quum eos noviſſe dicendum ſit, quid in eis certo, & abſque ulla dubitatione tenendum Hadrianus conſtituebat, atque non egiſſe, contra ac idem Hadrianus volebat. Hæc vero Taraſius ante ea habet, quæ nobis Boſſuetius opponit (1): " Sacratiſſimus Paulus Apoſtolus, „ qui illuſtratus eſt lumine Chriſti, & genuit nos per Evangelium, quum Romanis ſcriberet, approbans ſtudium ſinceræ fidei eorum, quam in Chriſtum verum Deum habebant, „ ſic ait: *Fides noſtra annuntiatur in univerſo mundo*. Hoc teſtimonium ſequi neceſſarium eſt, & inconſulte agit, qui „ huic conatur reſiſtere. Unde Hadrianus præſul ſenioris Romæ quum eſſet particeps eorum, qui prædicto teſtimonio „ muniri meruerunt, ſcripſit expreſſe, ac veraciter piis Imperatoribus noſtris, atque ad humilitatem noſtram, affirmans bene, ac optime ſe habere antiquam traditionem Ecclesiæ Catholicæ ". Hiſce præhabitis, Taraſius ſuperaddit, quæ Boſſuetius nobis opponit. Ob duplicem ergo rationem Hadriani epiſtolas eſſe ſuſcipiendas Taraſius dicit: priorem ex Romanæ Eccleſiæ auctoritate ducit, cujus fidem Apoſtolus commendavit: ac propterea hujus Eccleſiæ teſtimonium neminem non ſequi debere, Taraſius affirmat, & inconſulte eum agere, qui illi reſiſtit. Hac vero de cauſa, ne Paulo contradicat, atque reſiſtat teſtimonio ejus, Eccleſiæ Romanæ fidem traditionemque expoſitam in litteris Hadriani, ſe amplecti, atque ſuſcipere profitetur. Ad hoc autem Taraſius inde quoque inducebatur, quia ipſe ſcrutando ſacras Scripturas, & veterem traditionem SS. Patrum conſona iis eſſe repererat, quæ Hadrianum de cultu ſanctarum Imaginum in ſuis epiſtolis conſtituerat. Hæc altera ratio priori rationi, quæ petitur ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis, non ſolum non opponitur, ſed omnino conformis eſt, deque conformitate ejus, Patribus perſpectum erat etiam ex epiſtolis Hadriani, in quibus ex Divino verbo tum ſcripto, tum tradito explicatum habebatur, quod

(1) Cit. tomo colum. 103.

quod Hadrianus definierat. Unde, quemadmodum jam animadvertimus, post lectionem duarum Hadriani epistolarum (1): „ Sancta Synodus dixit: tota sacratissima Synodus ita credit, „ ita sapit, ita dogmatizat “, & maxima pars Episcoporum se credere protestati fuere, *sicut honorabiles litteræ Sanctissimi Papæ Romani continent, vel secundum Synodicas ejus epistolas*.

Est autem illud animadvertendum, neque in editione Conciliorum Parisiensi ann. 1671.. quam Bossuetius citat, tom.7. colum.127., neque in altera Parisiensi an.1714. to.4. colum.103., neque in Venetensi an. 1729. tom. 8. col. 775. tradi, Tarasium ea ratione loquutum fuisse, quam Bossuetius refert, sed ita sane: “ Nam & ipsi nos scrutando scripturas, „ & syllogistice approbando, rimati sumus: sic quod confessi „ sumus, confitemur, & confitebimur, consonamus, & con„ firmamus, atque permanebimus in significatione littera„ rum, quæ lectæ sunt “. Ea ergo non habentur: *vim lectarum litterarum confirmamus*, quæ in se spectata, & separata ab aliis ad Bossuetii causam facere videntur.

Verum Patres ex eo quod universali traditioni nihil additum, aut ab ea subtractum vellent, *sequentesque divinitus inspiratorum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, & Ecclesiæ Catholicæ traditionem*, sententiam de colendis Imaginibus pronuntiarunt. Ita sane: neque enim aliter facere poterant, dum subscriptioni epistolarum Hadriani a se jam factæ insisterent. Ei ergo principio, dum Catholicam sententiam de cultu sanctarum Imaginum protulere, insistere perstiterunt, cui Hadrianus institerat, cui insistunt omnes Romani Pontifices, dum fidei definitiones edunt. Hac tamen in re Patres Christum in Hadriani litteris se docentem habuere, Hadrianusque, sicuti omnium oculus totum corpus ad semitam rectitudinis, & veritatis adducebat (2): “ Qui quum omnes sedissemus „ (ita Tarasius in epist.1. ad Hadrianum) caput fecimus Chri„ stum: jacebat enim in sancta Sede Evangelium sanctum... „ Et quum prælatæ primitus vestræ fraternitatis litteræ lege„ rentur, præstolabantur omnes, spiritualibus eduliis, tam„ quam

(1) Cit. tomo colum.103. (2) Cit. tomo colum.510.

„ quam in regalibus cœnis fruentes, quæ Christus per litteras tuas epulantibus præparabat; & sicut oculus totum corpus ad rectitudinis, & veritatis semitam ostendebas. Sic „ ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic Catholica Ecclesia unitatem „ recipiebat". Quam hæc omnia ab eo abhorreant, quod Bossuetius inferendum duxit, nemo non videt.

§. XVIII. Constantinopolitani Concilii IV., Œcumenici VIII., evidentissima auctoritate confirmatur, quod a præcedentibus Œcumenicis Conciliis de Suprema judicii ratione Apostolicæ Sedi tribuenda constitutum legitur.

Tam multa sunt, quæ ex hoc Concilio in confirmationem nostræ sententiæ depromi possunt, ut cavere debeamus, ne longiores quam par est, simus. Præcipua ergo tantum percurremus. Sicut ergo in hujus Synodi Actione I. legitur, Hadrianus II. per suos Legatos ad eamdem Synodum quemdam libellum misit, cui ab omnibus, qui Synodo interesse vellent, subscribendum erat. Hoc autem in libello, vindicata primum Suprema judicii ratione, quæ Apostolicæ Sedi convenit, ut recipiantur quæcumque ab eadem Apostolica Sede, & a Nicolao I., atque a se de S. Patriarchæ Ignatii, & Photii causa statuta erant, citra ullum Synodicum examen Hadrianus præcipit. Id Patres præstiterunt, suaque subscriptione confirmarunt (1). Actione II. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui a Methodio, & Ignatio Patriarchis ad ordines promoti fuerant, atque ad Photium postmodum defecerant, supplicem libellum Synodo dederunt, in quo suum errorem confitebantur. Ejus ergo coram Patribus lectione peracta (2), " Suscipimus vos (dixerunt Legati Apostolicæ „ Sedis) secundum præceptionem sanctissimi Papæ nostri Ha„ driani propter confessionem libelli pœnitentiæ vestræ ". Quibus Episcopi facti sui pœnitentes responderunt: " Et nos „ adoramus vos, & suscipimus vos judices, & judicium ve„ strum tamquam ex persona Filii Dei habemus ". Antequam tamen

(1) Tom. 5. Concil. ejusdem edit. colum. 773. & seqq. (2) Cit. tomo colum. 785.

tamen eis suarum dignitatum insignia restituerentur, ut ei libello subscriberent, cui alii in Actione I. subscripserant, Legati voluerunt. Ejus ergo lectionem, iisdem adstantibus fieri, præcipere. Qua peracta: Episcopi dixerunt: *Placet, scribimus, & suscipimus omnia*. Toto autem spectante Concilio, ista gesta fuerunt.

Actione III. lecta fuit epistola Basilii Imperatoris ad Nicolaum Summum Pontificem, quam ob Nicolai mortem ejus successor Hadrianus accepit. In ea Imperator Summum Pontificem monet, Photium a sede, quam invaserat, sese dejecisse, & in ea Ignatium restituisse (1) *secundum judicium, & justificationem, qua in diversis epistolis ejus inventa est*. Ab eo deinde quærit, ut hoc iterum confirmet, finemque iis omnibus imponat, quæ ad hanc causam spectabant. Post nonnulla alia suos Legatos Constantinopolim mittere Summum Pontificem postremo rogat, " Ut (sicut ipse inquit) certificetur expressius, & purius Ecclesia nostra, cujus voluntatis Sanctitas tua super utrisque consistat "(2). Eadem in Actione etiam epistola Ignatii Patriarchæ ad Nicolaum, sed ob mortem ejus Hadriano reddita, lecta fuit. Hac vero in epistola Ignatius solum Romanum Pontificem singularem medium esse ad curanda universæ Ecclesiæ vulnera divinitus institutum probat ex illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, suamque, & Photii causam auctoritate solius Romani Pontificis penitus finitam, & Ecclesiæ pacem restitutam agnoscit. Summum Pontificem de iis, qui in varios errores inciderant, certiorem tandem facit, atque ab eo petit, ut formam præscribat, quæ in iisdem recipiendis servari debet. Ejus epistolæ, quam deinde Hadrianus II. ad eumdem Ignatium dedit, postmodum lectio subsequuta fuit. In ea profecto nihil Hadrianus magis urget, quam a Nicolai decretis nunquam se recessurum, decernitque Gregorii Syracusani, & Photii ordinationes irritas esse (3), atque Ignatio præcipit, ut ab omnibus

(1) Cit. tomo colum. 790. & seq. (2) Photio scilicet, & Ignatio.
(3) Cit. tomo colum. 794.

bus in Synodo ei damnationi subscribatur, quæ Romæ de Conciliis a Photio habitis lata fuerant (1). " Et post lectionem
„ Sanctissimi Vicarii senioris Romæ dixerunt : est canonice,
„ & synodice ordinata epistola hæc? Sancta, & universalis
„ Synodus dixit: canonica, & ordinata, & plena justitiæ est
„ epistola, quæ lecta est Sanctissimi Papæ Hadriani ". Ita sane de ea epistola Patres una voce clamant, in qua decernitur judicium Apostolicæ Sedis amplius discuti non posse.

Actione IV. Proceres a Basilio Imperatore deputati pertinaciter petiere, ut Photianis ad Synodum vocatis legeretur quæ in eos a Sede Apostolica sententia lata erat, simulque audiretur, quid ipsi pro se afferrent. Sententiæ eorum quamvis Episcopi acquievissent, Legati tamen non statim assensi fuerunt, veriti, ne, secus ac etiam per Canones statutum erat, sententia Romani Pontificis judicio Synodi subjiceretur. Quapropter ad majorem solummodo manifestationem eorum, quæ ab Ecclesia Romana definita erant, pervicaces Photianos in Synodo admitti passi fuerunt (2): " Nobis non licet (in-
„ quiebant) rescindere judicium Sacrorum Romanorum Pon-
„ tificum: hoc enim contrarium est canonicis institutis, quo-
„ niam præsentes illic, & per proprios missos, & Romæ de-
„ morantes contra se sententiam, (Proceres enim causa-
„ bantur, non auditam sententiam a Photianis, quæ contra
„ eos lata fuerat) & prolatam damnationem in Photium, & in
„ manus impositionem ejus, & audierunt, & liquido didice-
„ runt. Verumtamen ut manifestiorem eis justam judicatio-
„ nem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciamus, ingrediantur, &
„ exaudiant legi Synodicas definitiones, & judicia Beatissimi
„ Papæ Nicolai, & certificentur magis, ac magis ". Unde & hæc alia superaddiderunt: " Sed nos non propter conten-
„ tionem advocamus eos, sed ut tantum Beatissimi Papæ Ni-
„ colai epistolam audiant ".

Hac in eadem Actione tres epistolæ Nicolai lectæ fuerunt, duæ ad Michaelem Imperatorem, tertia ad Photium. In prima plures habitos fuisse Sanctorum Patrum cœtus Nicolaus

(1) Cit. tomo colum. 796. (2) Cit. tomo colum. 799.

laus animadvertit (1), " A quibus & deliberatum, ac observatum existit, qualiter absque Romanæ Sedis, Romanique
„ Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis termi-
„ nus daretur ". In altera ad eumdem Imperatorem (2) " San-
„ ctam Catholicam, & Apostolicam caput omnium Ecclesia-
„ rum, Romanam scilicet Ecclesiam, quæ semper Sanctorum
„ Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actis se-
„ quitur ... proculdubio quæ agenda, aut ambigenda fue-
„ rint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare, atque
„ definire posse ". Tandem in tertia, quæ est ad Photium ita habet (3): " Sanctam Romanam Ecclesiam, quæ per B. Pe-
„ trum Principem Apostolorum, qui Dominico ore Primatum
„ Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Caput esse, &
„ ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis civitatibus,
„ & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundum Canonicas,
„ & Synodicas Sanctorum Patrum sanctiones inviolabiliter,
„ atque irrefragabiliter retineret, requirere, & sectari. Et
„ ideo consequens est, ut quod ab hujus sedis Rectoribus ple-
„ na auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente
„ occasione, proprias tantum sequendo volutates removeatur,
„ sed firmius, atque inconcusse teneatur ".

Actione V. judicia Apostolicæ Sedis amplius expendi non posse, Legati ejus per hæc verba confirmarunt (4): " Nos er-
„ go non novum aliquod, vel recens judicium judicabimus,
„ aut introducemus, sed vetus ex multo tempore judicatum
„ quidem a Sanctissimo, & Beatissimo Papa Nicolao, firmatum
„ autem a Sanctissimo Papa Hadriano; non possumus trans-
„ ferri, aut commoveri a paternis definitionibus, & legibus,
„ neque declinare ad dexteram, vel sinistram ... Quid ergo
„ placet vobis sensus iste, an non? Et si quidem placet; talia
„ sunt nostra, & nostræ sedis. Quod si apud vos non fuerint
„ acceptabilia, nos tamen super montem Synodi excelsum
„ ascendemus, & exaltabimus in fortitudine vocem nostram,
„ evangelizantes vobis & consequentiam, quæ facta est, &
„ ore

(1) Cit. tomo colum. 802. (2) Cit. tomo colum. 807.
(3) Cit. tomo colum. 812. (4) Cit. tomo colum. 822.

„ ore promulgata est Sanctorum Patrum nostrorum a gratia „ Spiritus Sancti ... Ad hæc quid dicit sancta Synodus? ... „ Sancta, & universalis Synodus exclamavit: recipimus omnia, „ valde quippe sunt discreta, & congrua, & consona Ecclesiasticis regulis, atque legibus". Talia hæc omnia sunt, & ita evidentia, ut nostra commentatione non egeant. Plura quoque alia in rem nostram tum ex Actione VI., tum ex VIII. afferri possent, quæ Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 32. art. 2. pluribus prosequutus fuit una cum iis, quæ nos usque modo commemoravimus. Quod ergo nos contendimus, auctoritate Œcumenici VIII. Concilii abunde confirmatum habemus.

§. XIX. Hujus quoque Synodi auctoritatem in rem suam trahere Bossuetius frustra pergit.

Defensionis lib. 7., alias 12., cap. 32. Legatos *merito* contendisse concedit, *rem ex multo tempore judicatam*, neque *a Paternis definitionibus posse discedi*. Tamen *ad tollendam omnem dubitationem* Nicolai epistolas in Synodo lectas fuisse animadvertit, atque ex eo quod Synodus Actione V. clamaverit: „ Recipimus omnia: valde quippe sunt discreta, & congrua, „ & consona Ecclesiasticis regulis"; *facto examine*, *ratione perspecta*, decreta Apostolicæ Sedis a Synodo suscepta fuisse colligit. Per Synodum autem omnem spem appellationis Photianis sublatam fuisse inde autumat, quia Legati Apostolicæ Sedis, *memoratis*, sicut ipse dicit, *Nicolai I., & Hadriani II. judiciis canonicis*, Constantinopolim se advenisse dixerunt, ut Photiani amplius non haberent *vocem repedationis*, *vel appellationis*.

At vero si Legati *merito* contenderunt, uti Bossuetius dicit, rem ex multo tempore judicatam, & a paternis definitionibus discedi non posse; argumento id esse debet, quod contenderunt, secundum jura contendisse. Qua vero ratione Legati Apostolicæ Sedis Nicolai epistolas coram Photianis in Synodo legi permiserint, est jam explicatum a nobis: dubitationem namque omnem, quæ in obstinatis Photianis adhuc subsistebat, nullo autem modo in Patribus, hac ratione de-

 me-

medio tolli posse censuerunt. Patres autem ea sane *discreta*, *congrua*, *& consona Ecclesiasticis regulis* esse clamarunt, quæ Legati Apostolicæ Sedis uti immutabiliter definita a Summo Pontifice Nicolao, & ab Hadriano confirmata, Patribus amplectenda proponebant, eisque reluctantibus, se tamen semper firmiter servaturos protestabantur (1). Quæ ergo erant auctoritate Apostolicæ Sedis immutabiliter constituta, ea sane esse *discreta*, *congrua*, *& consona Ecclesiasticis legibus*, Patres clamarunt. Id autem Patres fecerunt sequuti rationem, quam in præcedentibus Actionibus eos tenuisse, jam animadvertimus.

Quo autem sensu Legati dixerint, Photianis amplius futurum non esse locum *repedationis*, *& appellationis* ex eodem ipso loco constat, quem Bossuetius ex Actione V. refert: „ Sanctissimus Hadrianus (Legati dixerunt) nos famulos suos „ direxit in hanc urbem ad manifestationem veri, & justi judicii, in conspectu imperii vestri, & sanctæ universalis Synodi: ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis; sed quemadmodum jam judicati sunt, & dejecti in seculum maneant". Quum ergo non ad ferendum una cum Patribus novum judicium de Photianis Legati ab Hadriano Constantinopolim se missos profiteantur; quum hanc manifestationem judicii in conspectu Imperii, & sanctæ universalis Synodi se facturos venisse dicant; quum hac ratione futurum affirment, ut Photiani amplius non habeant *vocem repedationis*, *vel appellationis*; quum juxta factum judicium eosdem dejectos in seculum mansuros tradant; quum demum (2) in eadem Actione V. illud urgere non destiterint, se novum, & recens judicium instituere non posse, sed in eo se firmiter persistere, quod & a Nicolao latum, & ab Hadriano confirmatum fuerat, idque etiam a Patribus fieri petierint; quam præter omnem rationem ultimum judicium de Photianis Synodi Patribus Bossuetius tribuat, nemo non videt.

§. XX. Conciliorum Œcumenicorum auctoritas spectari potest

(1) Vide quæ præced. §. ex Actione V. animadvertimus.
(2) Præced. §.

poteſt, tum humanæ, tum Divinæ rationis habito reſpectu.

Huic capiti antequam finem imponamus, illud explicandum ſupereſt a nobis, qua ratione hæc duo ſimul recte conſiſtant, hoc eſt, & judicia Romanorum Pontificum Suprema eſſe, atque quorumvis diſcuſſioni amplius non ſubjecta, & Concilia Œcumenica de iis quoque, quæ a Summo Pontifice definita fuerint, utiliter haberi abſque ullo præjudicio illius Supremæ poteſtatis. Nunc ergo de duplici illa ratione videamus, qua auctoritas Conciliorum Œcumenicorum conſiderari poteſt. Humana ergo ratio ſi attendatur, quid præcellens, & ſingulare in definitionibus Conciliorum Œcumenicorum occurrit, quod in definitionibus a Summo Pontifice ſine Concilio Œcumenico editis non habetur. Nam ad Concilia Œcumenica Præſules Catholici orbis ſimul conveniunt, in unam ſententiam concurrunt, ſua conſenſione ſtatuunt, quod ſimul uniti poſt maturum examen verbo Dei ſcripto, vel tradito conforme eſſe vident, ac tota veluti Eccleſia in unum ſimul coacta promulgat ſua dogmata, atque ſanctiones. Si vero Divinam rationem inſpiciamus; ea ſane poſita eſt in ea promiſſione, quam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ fecit. Priori rationi Auguſtinus inſiſtit in libris *De Baptiſmate* contra Donatiſtas (1), dum agens de baptiſmate hæreticorum non Stephani, ſed Concilii plenarii auctoritatem contra eos urget, quæ Cypriani ætate nondum habebatur. Nam Donatiſtæ uti contemptores Eccleſiæ univerſalis Divinam quidem auctoritatem in Synodis Œcumenicis non admittebant, eam tamen negare non poterant, quæ ut iiſdem tribueretur, humana ratio ſuadebat. Ipſius Auguſtini auctoritas nos cogit, ut eum ad prædictam rationem attendiſſe dicamus. Nam dum contra Pelagianos ageret, ſuperfluum eſſe dixit, ut ex Oriente, & Occidente Concilium cogeretur, quia definitione Innocentii ultimum judicium jam latum erat, & cauſa finita (2).

§. XXI. Œcumenica Concilia, ſi ad humanam rationem attendatur, utiliter habentur etiam ad ea magis magiſque declaranda, quæ Summus Pontifex jam definierit. „ Nec,

(1) Lib. 2. num. 5., & lib. 3. num. 16. (2) Vide quæ diſſeruimus hujus lib. cap. 1. §. 11.

„ Nec, si Summus Pontifex (inquit Melchior Canus *De* „ *Locis Theologicis* lib.5. cap. ult. in resp. ad 11. arg.) firmus „ in fidei causa judex est, Concilia frustra coguntur. Pri- „ mum enim, ut capite superiori admonebamus, Romanus „ Pontifex non temere, & stulte, sed considerate, atque sa- „ pienter habet fidei controversias definire, advocando sci- „ licet consiliarios, vel plures, vel pauciores juxta rei, de „ qua disseritur, gravitatem. Juvant enim Patres Concilii „ Summi Pontificis fidem, atque doctrinam. Unde in Con- „ cilio Hierosolymitano quum facta esset magna conquisitio, „ Petrusque sententiam dixisset nullo sacrarum litterarum te- „ stimonio fulcitam; Jacobus probavit eam quidem, additis „ testimoniis Prophetarum ... Ita enim Divina procuratio in „ Ecclesiam se fundit, ut membra præcipua, tametsi a capite „ ipsa pendeant, caput tamen tueantur, & juvent. Facit quo- „ que Concilium plausibiliorem populo fidem propter acceptis- „ sima multorum testimonia, atque judicia. Nam & leges, quæ „ communi Optimatum consensu & rogantur, & feruntur, li- „ bentius populus accipit, quam si a Rege solum ederentur". Est ergo animadvertendum, quod licet vis tota membrorum in capite contineatur, in Supremo Principe tota auctoritas Senatus, in Supremo duce potestas exercitus; tamen tum in membris, tum in senatu, tum in exercitu, ea magis explicatur, magis efficaci ratione sese prodit, magisque etiam permovet homines. Simili ratione quamvis in supremo totius Ecclesiæ Pastore judiciorum Ecclesiasticorum sit suprema auctoritas, & ei quævis alia hujus generis potestas, etiam inter ceteras præcipua, atque potissima, subjecta sit (1); hæc tamen in universo corpore magis explicatur, majoremque etiam vim habet aut ad infirmorum animos permovendos, atque pertrahendos in rectam sententiam, aut in ea continendos, qui recte sentiunt, aut ad frangendos obstinatiores. "Agnoscamus „ ergo (sicuti inquit Thomassinus Differt.12. num.29.) suc- „ centuriatum Synodo Pontificem, se ipso majorem esse: „ truncatam Pontifice Synodum, se ipsa esse minorem. Ita „ non

(1) Vide quæ disseruimus toto cap.3. lib.21.

„ non exercitus major eſt duce, ſed ſuccinctus exercitu ſuo „ dux, ſe ipſo major eſt: divulſus a duce exercitus ſe ipſo „ minor, & nec exercitus eſt, ſed palantium diſſipatus grex, „ vel graſſatorum cuneus. Ita Eccleſia velut caſtrorum acies „ ordinata in Synodo, exercitus ſui facultate conſpecta, ipſam „ ſe plenius cognoſcit, quæ ſi ſe capiti ſuo abſcindat, & col- „ lidat, utique minor, & capite minuta decreſcet“. Eſt ergo perſpectum ſi ad humanam rationem potiſſimum attendamus (1), utiliter haberi Concilia Œcumenica etiam ad ea magis magiſque declaranda, quæ a Summo Pontifice jam definita fuerint.

§ XXII. Quod in Conciliis Œcumenicis examen de illis inſtituitur, quæ a Summo Pontifice definita fuerint, nullo modo obeſt ſupremæ judicii rationi, quam idem Summus Pontifex habet.

Quamvis repugnet ſupremam judicii rationem in aliquo ineſſe, & ſimul ea ſubjici judicio aliorum, quæ ipſe definierit; tamen huic Supremæ judicii rationi nullo modo opponitur, ut quæ ab eo definita fuerint, non quidem ad illa æque probanda, vel improbanda, ſed ad pleniorem, uberioremque manifeſtationem veritatis aliorum diſcuſſioni ſubmittantur. Nam, uti nemo non videt, de Suprema auctoritate judicii nihil inde detrahitur, ſed ſemel definita veritas magis magiſque perſpecta fit. Hac vero ratione in Conciliis Œcumenicis actum de iis fuiſſe legimus, quæ a Summis Pontificibus jam definita fuerant. Nam Cæleſtinus, quod a ſe definitum erat, ut in Epheſina Synodo exequutioni mandarent, ſuis Legatis præcepit, neque quæſtioni, ſi qua oriretur, voluit, ut ſeſe immiſcerent. Patres autem auctoritate Cæleſtini ſeſe *coactos* dixerunt ad ſententiam contra Neſtorium ferendam, ſuiſque Actis petierunt, ut Legati Sedis Apoſtolicæ ſubſcriberent (2). In Concilio Chalcedonenſi Dogmaticam epiſtolam S.Leonis uti doctrinam Apoſtolorum Patres ſuſceperunt, & a ſe expenſis iis omnibus, quæ ad cauſam Dioſcori ſpectabant, voluerunt, ut a Legatis Apoſtolicæ Sedis in Dioſcorum ſententia ferretur, cui ipſi poſtmodum

(1) Præced. §. (2) Vide hujus cap. §. 5. & ſeq.

dum subscripsere (1). Concilii V. Œcumenici Patres in sua definitione contra tria Capitula Vigilium sibi præivisse, ejusque auctoritatem se sequi pro certo habuerunt (2). In VI. Œcumenico Concilio uti *certa*, & *immutabilia* habita fuere, quæ Agatho ea de quæstione jam definierat, propter quam ipsum Concilium coactum fuerat (3). Idem tum VII., tum VIII. Synodi Patres fecerunt, illi quidem eorum habita ratione, quæ Hadrianus I., isti autem quæ Hadrianus II. definierat (4). Neque mirandum est, si dum in Conciliis Œcumenicis ea decreta fuerunt, quæ Summi Pontifices jam definierant, hæc eadem Patres compararunt cum iis, quæ vel in prioribus Conciliis Œcumenicis jam sancita habebantur, vel ex Divino verbo scripto, aut tradito accepimus (5). Quando enim aliquos in semitam veritatis reducendos aggredimur, ea auctoritate uti non debemus, quæ dubia sit apud illos, sed alia, quam ii quoque admittant, atque recipiant, ut hac ratione facilius regulæ licet per se certæ, tamen non apud eosdem, assentiantur. Deinde Catholica veritas, quamvis infallibili auctoritate semel definita, tunc magis elucescit, omniumque oculos magis etiam percellit, quando de conformitate ejus cum Divino verbo tum scripto, tum tradito, ac prioribus definitionibus Patrum, luculentiori ratione constat. Quapropter quod in se spectatum nullo modo requirebatur, in Ecclesia actum fuit, quando ad ea quoque magis declaranda, quæ Summus Pontifex jam definierat, Concilia Œcumenica convocata fuerunt. Id, inquam, actum fuit ad obstinatos homines revincendos, quorum saluti Ecclesia edocta a Jesu Christo maxima semper benignitate consuluit, non vero ad vindicandam eam auctoritem Pontificiis decretis, quam antea non haberent". Qui-
„ busdam tamen opprimendis (ita Thomassinus in citata Dis-
„ sertatione num. 15.) Ecclesia Synodos Œcumenicas coaluit,
„ non ipsorum hæreticorum arbitrio, sed suo: nec quia ne-
„ cesse

(1) Vide hujus cap. §. 7. & seqq. (2) Vide hujus cap. §. 9. & seq.
(3) Vide hujus cap. §. 11. & seq. (4) Vide hujus cap. §. 13. & seqq.
(5) Actio II. Concilii Chalcedonensis videatur. Vide etiam quæ de VII. Œcumenica Synodo quoad rem istam §. 13., & 14. animadvertimus.

„ cesse erat, sed quia sibi expedire videbatur: nec juris rigo-
„ re constricta, sed dispensatione tunc uti volens: nec quasi
„ in dubio doctrinæ amfractu alternatura, aut iteratæ disputa-
„ tionis salum periclitatura, sed præjudicatam firmatura fidem,
„ & eam totius corporis sui, & singulorum membrorum, quasi
„ linguarum totidem vocibus personatura, ut jam longe in-
„ excusabiliores sint, qui antea miserabile quidem, sed quale-
„ cumque tamen sibi de ignorantia patrocinium accersebant". Supremæ ergo judicii rationi, quam Summus Pontifex habet, nullo modo obest illud examen, quod in Conciliis Œcumenicis instituitur etiam de illis, quæ ab eo semel definita fuerunt.

§. XXIII. Ipsi Romani Pontifices, & quidem laudabiliter, passi fuerunt, ut in Conciliis Œcumenicis de iis quoque ageretur, quæ a se jam definita erant, indeque nihil de auctoritate eorum diminutum fuit.

Est hic illud advertendum a nobis, sicuti Thomassinus monuit in citata Dissertatione num. 17., quod Ecclesia „ Uni-
„ cam suam, & incorruptam fidem incorruptibiliter nunc
„ solo Capitis oraculo effatur, nunc toto corporis consensu,
„ concentuque promulgat, nunc per dispersos in suis sedibus
„ Episcopos, nunc per eosdem Synodice collectos, nunc per
„ præsentis, nunc per posteri ævi homines ingeminat. Ubi-
„ que par fidei constantia, & incorruptibilitas: par, & una
„ Ecclesiæ majestas. Sed hominum imbecillitati serviendum
„ quandoque, qui antiquitati lubentius assurgunt, etsi veri-
„ tas, & majestas fidei Ecclesiæque semper cana sit: qui plus
„ moventur Episcoporum adunatorum agmine, quam suis e
„ sedibus consentientium pari concentu: qui denique capitis
„ effata si accedat etiam corporis totius applausus, & eloquen-
„ tia, pronioribus auribus animisque bibunt: quum non aliud
„ corpus quam capiti succinere, caput corpori præcinere
„ possit". Est quoque recogitandum, sicuti advertere pergit idem Thomassinus num. 24., Romanos Pontifices " Sua
„ de fide, vel de personis judicia in Œcumenica Synodo re-
„ tractari, examinataque iterum causa confirmari, non sem-
„ per concessisse, non semper intercessisse: ubi intercesserunt,

„ suo id jure fecisse, & nihilo secius semel ab ipsis damnatos
„ irretractabili infamiæ succubuisse : ubi concesserunt, aut
„ sponte, & quadam juris venia facta, indulgenter concessis-
„ se, nec aliud unquam, quam confirmatas eorum senten-
„ tias ..... Ita Pelagianis, & Cælestianis negata Œcumeni-
„ ca Synodus. Ita Acacianis, & Orientalibus restitui causam
„ Acacii, & in Synodo Generali retractari postulantibus stre-
„ nue restitit Gelasius (1) ..... Itaque ille & Chalcedonensi
„ Synodo abunde damnatum Acacium, ut Eutychianis adu-
„ lantem interpretabatur, & citra ullius Synodi, nempe Ge-
„ neralis, operam damnari posse quoslibet ab Apostolica Se-
„ de sperabat. Quod & pervicit tandem. Nam sola Romanæ
„ Ecclesiæ, & Pontificiæ sententiæ auctoritate fractus Oriens,
„ & Justinus in primis Imperator, in gratiam rediit cum Ro-
„ mana Ecclesia, expuncto sacris fastis Acacii nomine".

Post duas epistolas Agathonis, in quibus Monothelitarum error damnatus fuerat, examen de eodem errore Patres VI. Œcumenicæ Synodi instituerunt; verum assentiente Agathone tum ad majorem manifestationem veritatis, tum ad tollendam omnem occasionem offensionis, atque deceptionis (2). Ita S. Leo in sua dogmatica epistola ad Flavianum Eutychetis hæresim confixerat; tamen suos Legatos ad II. Ephesinam Synodum misit, quia eorum, qui in errore persistebant, *curatio negligenda* non erat, & Imperator Episcopale Concilium haberi voluerat, ut *pleniori judicio* omnis error aboleretur (3). Hoc autem in Concilio quum omnia per vim gesta fuissent, ad tollendam publicam offensionem idem ipse Leo Theodosium rogavit, ut Synodum Œcumenicam in Italia haberi pateretur (4). Ex his autem omnibus, ut alia multa omittamus, quæ in medium adducere possumus, illud sane constat, quod modo volumus, hoc est, indulgentibus Romanis Pontificibus in Conciliis Œcumenicis actum fuisse de iis, quæ ipsi jam definierant. In id autem non minus laudabiliter, quam sine ullo præjudicio suæ Supremæ auctoritatis, consenserunt: laudabiliter quidem,

(1) Epist.13. (2) Vide hujus cap.§.12. (3) S.Leo epist.30.cap.2. juxta edit. Cacciarii. (4) Juxta eamdem edit. epist.40. cap.3.

dem ; quia hac venia usi fuere tum ad majorem manifestationem semel præfinitæ veritatis , tum etiam ad contumaces revincendos : sine præjudicio autem suæ Supremæ auctoritatis, quum, ut advertit Thomassinus in sæpius citata Dissertatione num. 31. " Nec aliter Pontifex , quam ut totius Ecclesiæ caput , mens , vox , eloquitur ; vel a Fidelibus auditur , sive in Concilio , sive extra Concilium fundat oracula . Et Synodi ergo voces , ac definitiones Pontifex suas esse interpretatur , & Pontificis decreta Synodus ad se pertinere existimat..... Ergo ut ibi efficitur, quum Conciliorum decretis morigeratur Pontifex , non majori alicui potestati , sed sibi morem gerit . Ipsemet enim ea decrevit . Itaque quæcumque seu primo , seu iterum , re in integrum restituta , a Concilio judicantur , ipse judicat , ipse in integrum restituit , ipse sua judicia retractat ". De horum autem omnium veritate prorsus perspectum est , tum ex iis , quæ de singulis octo primis Œcumenicis Conciliis in hoc capite disseruimus , tum ex aliis, de quibus lib. 21. cap.3. disputavimus , dum ageremus de potestate Romani Pontificis quoad confirmationem eorum decretorum , quæ in Conciliis Œcumenicis edita sint.

CAPUT III.

DE SUPREMA JUDICII POTESTATE, QUÆ SUMMO PONTIFICI TRIBUI DEBET , IIS ETIAM NON OBSTANTIBUS , QUÆ CONSTANTIENSE CONCILIUM PROXIME PRÆCESSERUNT.

§. I. Pisanum Concilium convocatum fuit ratione omnino opposita illi, quam in Conciliis Œcumenicis cogendis servatam legimus.

" Eam traditionem ductam ab Apostolis ad octo prima Generalia Concilia manasse vidimus , (dicere & nos cum Bossuetio possumus *Defensionis &c.* lib. 7., alias 12., cap. 32., quamvis omnino diversa ratione, ac ipse dixit, sicuti ex iis constat, quæ in superiori capite disseruimus) quæ quidem octo Generalia Concilia totius Christianæ doctrinæ , & di-

 " scipli-

„ sciplinæ fundamenta sunt: quorum prima quatuor haud se-
„ cus, ac quatuor Evangelia, post S. Gregorium Ecclesia Ca-
„ tholica venerata est. Neque minor ceteris cultus, quum eo-
„ dem spiritu acta parem auctoritatem habeant". Hinc vero est, ut nos, licet eadem ratione, qua auctoritate istorum confecimus, Supremam judicii rationem Summo Pontifici tribui oportere, etiam auctoritate aliorum, rem eamdem conficere potuerimus; tamen ab hoc haud sane necessario labore supersederimus. Quum vero quæ gesta ante Concilium Constantiense, in ipso Concilio Constantiensi, & post illud fuisse legimus, nonnulli tueantur, singulariter contraria esse iis, quæ de Suprema judicii ratione Summorum Pontificum propria disseruimus; ideo illa expendenda in tribus capitibus nunc aggredimur. Modo ergo de eo, quod primo loco constituimus.

In eo sane etiam Adversarios nostros consentientes habemus: " Nam (inquit Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 5., alias 10..
„ cap. 10.) & priscis canonibus erat cautum, ne absque Ro-
„ mano Pontifice Ecclesiæ convenirent". Libro autem 21. cap. 1. id solius Romani Pontificis esse, eorum Conciliorum auctoritate nos confecimus, quæ *totius Christianæ doctrinæ, & disciplinæ fundamenta sunt*. At, etiam Adversariis nostris cum aliis omnibus consentientibus, convocatio Pisani Concilii sola Cardinalium auctoritate facta fuit: constat ergo Pisanum Concilium diversa ratione convocatum fuisse, ac Concilia Œcumenica.

§. II. Hæc varietas nonnisi ob gravissimam rationem contingere potuit.

Non fuit ea sane levis, quæ levi quoque de causa inducta fuerit, sed gravissima omnium, quum propter illam nulla intercesserit auctoritas Supremi Ecclesiæ capitis in convocatione illius cœtus, in quo definenda erant, quæ ad universam Ecclesiam spectabant. Omnino ergo perturbatus ordo ille fuit, quem in convocatione Conciliorum Œcumenicorum semper recentum legimus. Hujus igitur varietatis rationem gravissimam fuisse oportet.

§. III. Ut longo, atque inveterato schismati, quod in hæ-
resim

resim degenerabat, finis imponeretur, una ratio fuit, quæ Cardinales induxit, ut ipsi propria auctoritate Pisanam Synodum indicerent.

Multorum auctoritate monumentorum rem istam testatam habemus: & primo quidem certam de ea fidem faciunt Cardinales iis in literis, quibus Concilium indixerunt. Nam Cardinales, qui ad obedientiam Petri de Luna, Benedicti XIII. vocati, spectare dicebantur, facta commemoratione eorum, quæ tum ab eodem Benedicto, tum ab Angelo de Corario, qui Gregorius XII. vocabatur, contra Ecclesiæ pacem, & ad schisma fovendum gesta fuerant, ita habent (1): " Deliberavimus, " quod per nos in parte, & obedientia nostra Concilium, seu " Ecclesia convocetur in certo loco, & termino; & idem fiat " per Collegium, seu Cardinales nominatos alterius partis, " in eodem termino, & loco ..... ut ipsorum (scilicet Benedicti, & Gregorii) vel alterius absentia, seu pertinacia, " & contradictione non obstantibus, schisma extirpetur, & " per electionem unici, & indubitati Pastoris canonicam unio " perfecta in Ecclesia habeatur ad Dei servitium, gloriam, & " honorem, fidei robur, salutem omnium Fidelium, & Ecclesiæ debitam reformationem ". Eodem modo Cardinales Angeli Corarii, Gregorii XIII. dicti, in suis litteris, quibus Synodum convocarunt, postquam mentionem fecerunt, de iis multis malis, quæ ob obstinationem schismatis utriusque Pontificis Ecclesiam occupabant, ad tollendum schisma Synodum se indicere profitentur (2). Cardinales etiam dicti obedientiæ Benedicti in epistola ad eum data (3) simul in unum cum aliis Cardinalibus se conventuros illum monent, ut *extirpetur schisma, & unio in Dei Ecclesia reducatur sub uno vero, & indubitato Pastore*. In conventione autem, quam Cardinales inter se inierunt, hæc inter alia leguntur (4): " Attendentes proinde, " ac considerantes attente, quantum existit necessaria extirpatio hujus pestilentis schismatis diuturnitate temporis, ultra

(1) Tom. 8. Concil. edit. Harduini colum. 27. (2) Vide epist. cit. tomo colum. 35. (3) Cit. tomo colum. 40. (4) Tom. 15. Concil. edit. Venet. Concil. Pisani Addit. 4. colum. 1347.

„ tra quam expediret, fidei, & animarum saluti nocivi; ma-
„ xime attenta indispositione notoria utriusque de Papatu con-
„ tendentium, ob quam necessario oportuit nos ab eis corpo-
„ raliter absentare, & cogitare de validioribus remediis, qui-
„ bus, ipsorum non obstantibus voluntariis dissensionibus, &
„ subterfugiis manifestis, unitatis vinculum in Ecclesia refor-
„ metur". Illud quoque animadvertendum, tum Cardinales, qui ad obedientiam Benedicti, tum alios, qui ad Gregorii obedientiam spectare dicebantur, dum, mutua inter se conventione facta, Concilium indixerunt, deserueruntque illi Benedictum, isti Gregorium, in suis litteris affirmasse, tale esse Schisma, quod *inveteratum transiret in hæresim*. Sua etiam in oratione, quam ad Patres congregatos Cardinalis Mediolanensis Petrus de Candia in sess. 1. habuit, una cum schismate fidei quoque causam conjunxit, atque dixit, jure optimo Concilium congregatum esse, tum ut schisma tolleretur, tum ut rectæ fidei prospiceretur (1). Ex his autem omnibus, ea de causa Synodum a Cardinalibus indictam fuisse, ut schismati occurrerent, quod in hæresim degenerabat, adeo manifestum esse arbitror, ut nihil supra desiderari possit.

Est sane illud quoque advertendum, utriusque obedientiæ, sicuti vulgo dicebatur, Cardinales in suis litteris, quibus Concilium indixerunt, talem Ecclesiæ statum tunc esse, urgere non destitisse, ut per Synodum, quæ ab uno ex duobus Pontificibus convocaretur, nullo modo Ecclesiæ necessitati prospectum foret. Quum enim nonnulli Benedicto, alii Gregorio adhærerent, quidam, qui *Neutrales* dicebantur, neque Benedicto, neque Gregorio uniti essent, quumque etiam Benedictus Gregorio, & iste illi adversaretur, immo ut hæreticos se invicem traducerent (2), semel ac Benedictus, vel Gregorius Synodum indixisset, futurum esse dicebant, ut una cum *Neutralibus* ad eam non convenirent, qui Gregorii partibus studebant, si Synodus a Benedicto indicta fuisset, & cum *Neutralibus* idem facerent, qui Benedicto adhærebant, si Gre-

(1) Cit. tom. Concil. Pisani Addit. 4. colum. 1365. (2) Vide Orationem Cardinalis Mediolanensis.

ſi Gregorius eos ad Synodum convocaſſet (1). Unde Cardinales ipſi per ſe ob hanc quoque ſingularem rationem Synodum indixerunt.

§. IV. Qua ratione Cardinales Concilium convocarunt, eadem etiam ſimul uniti in Benedictum, & Gregorium ſententiam dixerunt.

Benedictum, & Gregorium eſſe ſchiſmaticos, & hæreticos, ac propterea ab Eccleſia præcidendos, Academiarum, Theologorum, ac Juris utriuſque peritorum ſententia fuit, atque hac de re Patres omnem ſuaſionem habuerunt. De priore nunc videamus, deinde de altero. In ſeſſione XIII. Magiſtrum Petrum Plaoul pro Univerſitate Pariſienſi hæc dixiſſe legitur (2): " Opinionem Univerſitatis eſſe, iſtos duos contendentes debere reputari ſchiſmaticos, & antiquitatis „ ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces ". Poſtea vero, ſicut in eadem ſeſſione legitur: " Immediate unus Epi„ ſcopus Italicus, dictus Novarienſis, legit quamdam cedu„ lam facientem mentionem, qualiter ſecundum ordinatio„ nem Dominorum Cardinalium per Dominum Cardinalem „ Mediolanenſem fuerunt ſimul congregati omnes Magiſtri „ in Theologia, & Licentiati, ac Baccalaurei formati, qui „ ad dictum Concilium de multis partibus, & Univerſitatibus „ convenerant, & concordes fuerant; videlicet quod dictos „ ambos contendentes ſchiſmaticos tenent, & hæreticos, „ pertinaces &c., ut ſupra, & omnium, & ſingulorum no„ mina recitavit, quorum multi ſunt Epiſcopi, & Prælati, „ & faciebant omnes numerum centum trium. Idem poſtea „ dixit, quod in eadem opinione fuit Univerſitas Florentiæ, „ in qua fuerunt centum & viginti Magiſtri ſubſcripti. Idem „ etiam deliberavit Univerſitas Bononienſis, quæ de hoc miſit „ litteras: idem Univerſitates, ſive Studia Aurelianenſis, „ & Andegavenſis, & Toloſana per ſuos Ambaſſiadores præ„ ſentes ibidem ". Utrum vero Patres Concilii horum omnium rationem ſequuti fuerint, modo videamus. Seſſione I. Procu-

(1) Vide citatas Epiſtolas, quibus Cardinales Synodum indixerunt.
(2) Tom. 13. Concil. edit. Venet. Addit. 1. colum. 1216.

Procuratores Concilii *petierunt*, *eos* (Benedictum, & Gregorium) *reputari contumaces in materia ſchiſmatis, & fidei* (1). Seſſione III. Patres declararunt, illos eſſe *in cauſa ſchiſmatis, & fidei contumaces* (2). De contumacia eorumdem *in materia ſchiſmatis, & fidei* mentio quoque fit in VIII. Seſſione. Demum Seſſione XIII. definitiva ſententia Patres declararünt (3): „ Angelum Corarium, & Petrum de Luna, de Papatu, ut „ præfertur, contendentes, & eorum utrumque fuiſſe, & eſſe „ notorios ſchiſmaticos, & antiqui ſchiſmatis nutritores, „ defenſores, approbatores, fautores, & manutentores per„ tinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios ". Dubitari ergo non poteſt, quin Patres ſupradictorum ſententiam ſequuti fuerint, eademque ratione, qua Concilium convocarunt, in Benedictum, & Gregorium ſententiam tulerint.

§. V. Ille profecto graviter erraret, qui eam rationem, quam Patres Piſani Concilii ſequuti fuerunt, etiam aliis Eccleſiæ temporibus accomodari poſſe putaret.

Schiſma, quod in hæreſim degeneraverat, una ratio fuit, ob quam tum Academiæ celebriores, tum Theologi magni nominis, tum utriuſque Juris peritiſſimi viri in eam ſententiam iverunt, Cardinales ſimul unitos exauctorare poſſe illos, qui de ſupremo Eccleſiæ regimine inter ſe contendebant, atque uti ſchiſmaticos, atque etiam hæreticos declarare depulſos ab illa dignitate, quam ſe tenere præſumebant. Dum vero Cardinales id præſtiterunt, hanc rationem ſequuti fuere (4). Simili modo inveteratum ſchiſma, quod in apertam hæreſim degenerabat, una ratio fuit, ob quam Cardinales propria auctoritate, disjuncti ab utroque capite, quod tunc in Eccleſia dominabatur, ſimul in unum convenire conſtituerunt (5). Inveteratum ergo ſchiſma, quod in hæreſim degeneraverat, atque proficiſcebatur ab iis, qui univerſæ Eccleſiæ æquo jure ſe præſidere tuebantur, una cauſa fuit, cur Piſani Patres propria auctoritate & ſimul in unum convenerint, & ſententiam in eos dixerint, qui inter ſe de Pontificatu contendebant. Schiſma-

(1) Tom. 8. Concil. edit. Harduini colum. 5. (2) Cit. Tomo col. 7. (3) Cit. Tomo colum. 15. (4) Præced. §. (5) Hujus cap. §. 3.

ſchiſmatis itaque inveterati, quod in hæreſim degeneret, ſemel ſublata cauſa, omnis quoque ratio tollitur, qua agatur, ſicut Piſani Patres egerunt. Ille ergo graviter erraret, qui eam rationem, quam Patres Piſani Concilii ſequuti fuerunt, etiam aliis Eccleſiæ temporibus accomodari poſſe putaret. Tam ergo ex convocatione hujus Concilii, quam ex iis, quæ in illo definita fuiſſe legimus, nihil colligi contra ea poteſt, quæ in hoc libro de ſuprema judicii ratione, quæ in Summo Pontifice admitti debet, jam diſſeruimus, in duobus autem aliis proxime præcedentibus, de Infallibilitate ejus, atque auctoritate ſupra Concilia Œcumenica.

§. VI. In hac tota ratione, quam Piſani Patres tenuerunt, ultimo attendendum eſſe ad eam auctoritatem, ob quam Summi Pontifices ſint ſubjecti Conciliis Œcumenicis Boſſuetius falſo contendit.

Defenſionis &c. lib.5., alias 10., cap.11. affirmat, Piſanos Patres ad ſchiſma, & hæreſim quidem reſpexiſſe; verum hæc duo vana futura, niſi ab illo principio profluxiſſent: „ Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque Concilii Generalis auctoritatem „ abſolute, atque etiam extra ſchiſma in ſummis Eccleſiæ rebus prævalere „. Hoc autem inde probare contendit, quia ob diſſentientium contrarias opiniones non ſolum de ſchiſmate generatim accepto judicium ſemper incertum eſt, ſed etiam a Patribus Piſanis certo definiri non poterat, utrum eſſet *inextricabile juris, & facti dubium*, quia tum Benedictus, tum Gregorius ſe eſſe veros Pontifices tuebantur, atque utrique ſuos ſectatores habebant. Unde, inquit, „ neque quidquam „ aliud præſto erat, quo omnis ſcrupulus tolleretur, niſi in„ victa auctoritate figeretur illud: Pontificem etiam certum „ in Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque Concilii Generalis poteſtate „ eſſe, de quo Eccleſia decerneret id, quod rei Eccleſiaſticæ „ neceſſarium videretur „. Ad hoc autem principium ceteros omnes cum Piſanis Patribus reſpexiſſe inde colligit, quod „ Chriſtus nullam ſpecialem in ſchiſmaticos, aut hæreticos „ Pontifices, congregatis Epiſcopis, aut Synodo Œcumenicæ, „ conceſſerit poteſtatem „.

Verum enimvero schisma, quod in hæresim degeneraverat, unam causam fuisse, cur Pisani Patres sua auctoritate simul in unum convenerint, & juxta suffragium Academiarum, Theologorum, & Juris utriusque peritorum in Benedictum, atque Gregorium sententiam dixerint, jam evicimus (1). At, inquit Bossuetius, non solum schismatis generatim accepti dubium *inextricabile* est, sed etiam inextricabile erat dubium illius schismatis, de quo tunc agebatur. Sed fallitur Bossuetius; nam schismatis generatim accepti dubium ex se inextricabile esse, falsum est; neque enim repugnat, & tunc potissimum, quando de facto agitur, ut in apertam lucem ponatur, quod pluribus difficultatibus hinc, & inde involutum est. Qualecumque autem dubium illud fuerit, quod Pisanis Patribus occurrebat, certum semper est, eos id solum fecisse, quod hac in re necessarium judicarunt ad amovendum schisma, quod in hæresim degenerabat, atque huic unico principio se inniti manifeste præsetulisse. Quamvis autem hujus schismatis adeo evidentia argumenta non essent, quæ ab omnibus assensum extorquere deberent, sicuti revera non extorserunt, quum integrarum nationum una cum suis Præsulibus aliæ Benedicto, aliæ Gregorio adhærere perstiterint; tamen a multis jam annis de eo disputabatur: suam de illo sententiam tulerant Academiæ celebriores, præstantissimi Theologi, Juris utriusque peritissimi viri (2). Si autem tum Benedictus, tum Gregorius pro veris Pontificibus sese haberi velle desiissent; tunc sane schisma ex se interire oportebat, quoniam, qui illud fovebant, ab incœpto destitissent. Verum hac in re Bossuetius sibi non constat. Nam sequenti cap. 12. citati libri auctoritatem Pisani Concilii sine temeritate rejici non posse omnino contendit: uti certum ergo haberi debet judicium illud, quod Patres in eo tulerunt: quod autem habeatur ut certum illud judicium, quod de re dubia, atque multiplici obscuritate involuta fertur, recta ratio non patitur. Unum ergo ex duobus, si constare sibi velit, Bossuetius admittat oportet: aut Concilii Pisani auctoritatem sine temeritate rejici posse,

(1) Hujus cap. §. 3. & 4. (2) Cit. loco.

posse, aut schisma, de quo in eo judicium latum fuit, rem dubiam non fuisse saltem eo modo, quo ipse contendit.

Illud quidem expressum in Sacris litteris non habemus, quod Christus " specialem in schismaticos, aut hæreticos Pon„ tifices, congregatis Episcopis, aut Synodo Œcumenicæ „ concesserit potestatem "; attamen uti habet idem Bossuetius præcedenti cap. 10., in quo Concilium Pisanum ab utriusque obedientiæ Cardinalibus æquo jure convocatum fuisse tuetur: „ Nemo dubitat, jure ipso naturali communitatem omnem, „ nativo licet capite destitutam, quanto magis Christi Eccle„ siam ab eo optime constitutam, suæ unitati, ac saluti summa „ auctoritate, & efficacia providere posse ". Eo igitur sentiente, naturæ ratione ipsi quoque Ecclesiæ insitum erat, ut suo legitimo capite destituta, ipsa sibi de eo provideret. Deinde uti recte animadvertit Cl. Orsius *de Romani Pontificis auctoritate* lib. 5. cap. 11. art. unico, " Christum specialem in schisma„ ticos, aut hæreticos Pontifices, congregatis Episcopis, „ aut Synodo Œcumenicæ tribuisse potestatem, ex Patribus, „ & Conciliis compertum, & exploratum habemus; quorum „ videlicet oraculo Christus edixit: *Beati Petri Apostoli successo„ res cælo tantum debere innocentiam, nisi manifeste ab Evange„ lica veritate discedant*. Quo freta Canone Pisana Synodus „ in id unum quam diligentissime incubuit, ut Gregorium, „ & Benedictum hæreticos esse constaret; ac ne cogitavit qui„ dem de ea thesi statuenda, qua universim Romani Pontifices „ Conciliis Generalibus subderentur ".

Demum hoc eodem in capite Bossuetius illud urget, Petrum Plaoul ab Academia Parisiensi ad Concilium missum Ecclesiæ judicium supra Summum Pontificem Sessione XIII. in Oratione habita ad Patres extulisse: id sane ei damus; tamen non simpliciter, atque absolute hoc edixit, sed habita ratione conditionis, in qua tunc Ecclesia versabatur. Hinc vero est, ut statim subdiderit, Academiam Parisiensem sentire, Petrum de Luna esse schismaticum pertinacem, & hæreticum, *etiam accipiendo hæresim proprie, & stricte*, atque con-

firmavit in eadem opinione versari etiam Academiam Andegavensem, Aurelianensem, & Tolosanam (1).

Illud hoc de Concilio nunc inquirendum superesset, utrum non sine temeritate auctoritas illius reiici possit, quemadmodum Bossuetius *Defensionis &c.* lib.5., alias 10. cap.11., & Natalis ab Alexandro *Hist. Ecclesiast.* sec.15. & 16. Dissert.2. tuentur; an vero neque hæreseos, neque schismatis, neque temeritatis argui ii debeant, qui Pisanum Concilium uti legitimum, & Œcumenicum habere renuerunt, & modo etiam renuunt, quemadmodum Cl. Orsius propugnat *de Rom. Pont. auctoritate* lib.5. cap.11. art.unico. Res ista hujusmodi est, ut paucis explicari non possit, neque instituti nostri ratio postulat, ut a nobis explicetur. Illud enim in hoc capite jam perfecimus, in Pisano Concilio simul in unum Patres coivisse, ut schisma, quod in hæresim degenerabat, ab Ecclesia auferrent, eademque ratione ductos in Benedictum, & Gregorium sententiam dixisse, ac propterea graviter errare illum, qui eam rationem, quam Pisani Patres sequuti fuerunt, aliis Ecclesiæ temporibus accomodari posse putaret, aut in eadem tota ratione ultimo attendendum esse arbitraretur ad eam auctoritatem, quam in suis judiciis Concilia Œcumenica supra Summum Pontificem habent. Ex his autem illud constare arbitramur, ea de suprema judicii ratione, quam vero, & legitimo Summo Pontifici vindicandam aggressi fuimus, nihil detrahi, etsi ponatur, auctoritatem Pisani Concilii sine temeritate rejici non posse. Tamen nunc paucis, quæ apud omnes certa esse debent, animadvertendum ducimus, adeo exploratum non esse de auctoritate Pisani Concilii, quemadmodum nonnulli volunt. Dubitari non potest, quin Pisani Patres Benedictum, & Gregorium, uti *antiqui schismatis nutritores*, *nec non notorios hæreticos*, *& a fide devios* sententiam dixerint, atque declaraverint, illos excidisse ab eo supremo Ecclesiæ regimine, quod uterque eorum se tenere præsumebat (2). Quænam ratio hujus sententiæ contra utrumque latæ

(1) Tom.15. Concil. edit. Venet. colum.1216. & seq.

(2) Tom. 8. Concil. edit. Harduini colum.16.

latæ in Concilio Constantiensi habita fuerit, nunc videamus. Profecto Gregorius in sua Bulla, quæ Sessione XIV. lecta fuit (1) ad Pontificatum dimittendum se quidem paratum exhibet, de sua tamen canonica electione omnino sibi compertum esse affirmat. Dum vero facultatem Concilii convocandi alteri committit, cujus auctoritate probarentur, atque confirmarentur, quæ pro extirpatione schismatis decreta edi contingeret, hæc habet: " Ut possitis (inquit) in prædictis proficere melius, & valere; quo efficaciorem potestatem a nobis constiterit vos habere; nobis, seu illis ex nobis, quod ubi illi interfuerint, congregationem ipsam, in quantum per dictam Serenitatem Regiam, & non Baltassarem, se nuncupari facientem Joannem XXIII. (2), vocatam, vice nostra ad prædictorum effectum convocandi, & auctorizandi Generale Concilium, remota tamen omnino prædicti Baltassaris præsidentia, & præsentia ab iisdem: nec non omnia, quæ, postquam sic feceritis, disponentur pro vera redintegratione, ac unione Ecclesiæ, ac præfatorum schismatum extirpatione, per Congregationem eamdem, remotis, ut præmittitur, præsidentia, & præsentia dicti Baltassaris, vice nostra similiter auctorizandi, approbandi, & confirmandi plenam, & liberam de plenitudine potestatis concedimus tenore præsentium facultatem ". Cardinalis Joannes Dominici Gregorii partes in convocatione Concilii exequutus fuit (3): " Cujus quidem commissionis, & mandati vigore (inquit) ego Joannes miseratione Divina tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, Ragusinus vulgariter nuncupatus pro me, & collegis meis in hac parte hic existentibus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen, auctoritate ipsius Domini nostri Papæ, quantum ad eumdem spectat, ut prædicta sancta unio, reformatio, & hæreticæ pravitatis extirpatio, Deo auctore, meliorem sortiantur " effe-

(1) Cit. tomo colum.386. & seq. (2) Infra annum a sua electione facta a Pisanis Patribus ex hac vita Clemens V. Bononiæ decessit, ibique in locum ejus Baltassar Cossa a 16., vel 17. Cardinalibus substitutus fuit, atque vocatus Joannes XXIII. (3) Cit. tomo col.388.

„ effectum, & ut sub diversorum professione pastorum dissidentes Christiani in unitate Sanctæ matris Ecclesiæ, & charitatis vinculo conjungantur; istud sacrum Concilium Generale convoco, & omnia per ipsum agenda auctorizo, & confirmo juxta modum, & formam, prout in litteris Domini nostri nunc lectis plenius continetur ". Hanc convocationem Concilium admisit (1) " Per organum Archiepiscopi Mediolanensis stantis alte in pulpito cum Prælatis quatuor nationum ... Et responderunt quatuor Prælati, quod quatuor nationibus placet: & Cardinalis Ostiensis pro Collegio Cardinalium: placet ". Hisce peractis, duas obedientias Gregorii XII., in quam Pisani Patres excommunicationis pœnam jam tulerant (2), & Joannis XXIII., *conjunctas*, & *unitas* esse in uno corpore Domini nostri Jesu Christi, Synodus declaravit (3).

Hæc vero omnia nullam eorum, quæ Pisani Patres contra Gregorium, ejusque fautores decreverunt, habitam fuisse in Constantiensi Synodo rationem, evidentissime demonstrant. Quandoquidem Pisani Patres Gregorium a Pontificia dignitate, atque auctoritate excidisse decernunt; Constantienses dignitatem, atque auctoritatem Pontificiam in eo venerantur, eumque suscipiunt, qui vice illius Concilium Generale convocet, ei auctoritatem, & confirmationem tribuat *juxta modum*, *& formam*, quæ in Gregorii litteris continebatur. Pisani non minus in Benedicti, quam in Gregorii locum Alexandrum V. eligunt, cui successerat Joannes XXIII., a quo etiam Synodus Constantiensis indicta fuit: Constantienses Gregorium exercentem in convocatione hujus Concilii munus supremi Ecclesiæ capitis, simulque etiam ab ejusdem exercitio muneris omnino excludentem Joannem XXIII., non solum æquo animo patiuntur, atque ferunt, verum etiam cum gaudio, & libenter admittunt. Pisani sub pœna excommunicationis omnibus Fidelibus interdicunt, ne quovis modo Gregorio adhæreant: Constantienses declarant eos quoque una cum aliis, qui Joannis XXIII. partes sequebantur, simul unitos

(1) Cit. col. 388. (2) Tom. cit. col. 15. (3) Cit. tom. col. 389.

tos in uno corpore Jesu Christi. Ita autem Patres Constantienses sese gessisse in hoc toto negotio „ In œconomiæ datum, ad majus unionis, & pacis Ecclesiasticæ robur, ac „ firmamentum " in *Hist. Ecclesiast.* sæc. xv., & xvi. Differt.2. num.20. Natalis ab Alexandro coniicit : at licet hoc illi demus ; verum tamen esse non definit, quod nos contendimus. Nam *in œconomiæ datum* nunquam uti dubium, & multo magis uti non definitum accipitur, quod ab Œcumenico Concilio certo definitum habeatur: ipso tuente, Pisanum Concilium fuit Œcumenicum : in Pisano Concilio definitum fuit, Gregorium uti *notorium schismaticum, & hæreticum* (1) a supremo Ecclesiæ regimine excidisse : id ergo uti dubium, & multo minus uti non definitum a Concilio Pisano Patres Constantienses *in œconomiæ datum* habere nullo modo potuerunt : habuerunt autem uti dubium, & non definitum : ergo de firmitate definitionis Pisani Concilii eos dubitasse dicendum est, sicut nos modo contendimus.

Hoc idem etiam ex ea ratione constat, quam Patres Constantienses cum Benedicto tenuerunt. Nimis longum esset, singula percensere velle : nonnulla ergo tantum hic commemorabimus. Sessione XIV. Patres decreverunt, ut Benedictus, quemadmodum ipse facere promiserat, ad Pontificatum dimittendum induceretur (2). Sessione XXIII. binis e numero Cardinalium, Episcoporum, sacræ Theologiæ Magistrorum, & Juris utriusque peritorum facultas a Concilio data fuit inquirendi in eumdem Benedictum, eisque 27. articuli propositi fuere, in quibus eorum inquisitio versaretur. In nullo autem eorum mentio fit de contumacia illius contra sententiam Pisani Concilii (3). Sessione XXIV. pertinaciæ, obstinationis, & malæ fidei ipsius Benedicti facta mentione, decreto tamen Pisani Concilii contra eum lato, omnino prætermisso, Benedicto publice indicendum decernitur, ut se in Ecclesia Cathedrali Constantiensi sistat (4). Id autem quum ille facere renuisset; Sessione XXXII. contumaciæ reus declaratur, statuiturque

(1) Cit. tom. colum.15. (2) Cit. tom. col.401. (3) Cit. tom. colum.643. (4) Cit. tomo colum.648. & seqq.

turque ultimam ſententiam in eum dicendam eſſe (1). In Congregatione autem generali poſt hanc Seſſionem, Magiſtri Joannes de Scribanis, & Petrus de Piro a Concilio deputati 81. articulos contra Benedictum propoſuerunt, in quorum ſane nullo tum de decreto Piſani Concilii, tum de Benedicti huic decreto contraria agendi ratione nulla mentio habetur, quamvis nihil eorum omittatur, quæ Benedictum reum conſtituebant (2). Tandem, omnino miſſa Benedicti contumacia quoad decretum Piſani Concilii, Seſſione XXXVII. ultima in eum ſententia fertur (3). Ex his autem nemo non colligendum eſſe videt, apud Patres Conſtantienſes certam non fuiſſe auctoritatem Piſani Concilii, ſi ad eam totam rationem attendamus, qua ſe cum Benedicto geſſerunt.

CAPUT IV.

DE SUPREMA JUDICII POTESTATE, QUÆ SUMMO PONTIFICI TRIBUI DEBET, NON OBSTANTE DECRETO SESSIONIS V. CONCILII CONSTANTIENSIS.

§. I. Recenſentur ii Codices, prout a nonnullis traditum accepimus, in quibus in primo decreto IV. Seſſionis Concilii Conſtantienſis leguntur illa verba: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*.

Tria hac de Synodo, prout ad inſtitutum noſtrum pertinet, diſputanda eſſe, Boſſuetius *Defenſionis &c.* lib. 5., alias 9. cap. 3. recte præſcripſit, hoc eſt, 1. inquirendum *de textu* decreti primi Seſſionis IV.: 2. *de mente*, nempe utrum quod Seſſione IV., & V. decretum legitur *de reformatione generali Eccleſiæ Dei*, *in capite*, *& in membris*, ad tempus ſolummodo ſchiſmatis, an etiam ad alia tempora referri debeat: 3. de auctoritate hujuſmodi decreti lati in Seſſione IV., & V. Tota quæſtio *de textu* decreti primi Seſſionis IV. in eo verſatur: utrum illa verba: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, a textu expungi, an vero uti genuina habe-

(1) Cit. tomo colum. 757. & ſeqq. (2) Cit. tomo colum. 763.
(3) Cit. tomo colum. 837.

haberi debeant. A textu expungi oportere cum Schelstratio, & Orsio nos tuebimur. Contra non solum Bossuetius (1), sed etiam Ludovicus Maimburgus (2), Natalis ab Alexandro (3), Dupinius (4), Antonius Arnaldus (5), & alii statuunt. Decem ergo Codices, in quibus verba illa leguntur: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, Parisiis se vidisse Maimburgus testatur, atque inter istos unum antiquissimum omnium in bibliotheca S. Victoris, quem omnibus Vaticanis, Romanisque Codicibus præferendum esse jactat (6). Natalis ab Alexandro (7) istis decem Codicibus superaddit Codices Germanicos, & Belgicos, *quibus undique collectis usum* se esse in sua editione Conciliorum Petrus Crabbius testatur. In Mss. exemplaribus *longe pluribus, quæ undique conquisita* Surius in editione Conciliorum se consuluisse affirmat, in Codicibus a Severino Binio lustratis, in pluribus quoque Vaticanæ, & aliarum urbis bibliothecarum, qui ab editionis Romanæ an. 1628. curatoribus inspecti fuere, non aliter, ac in decem Codicibus a Maimburgo citatis prædicta verba legi animadvertit. Demum ex regia, & Labbeana editione Conciliorum confirmat, in omnibus Codicibus regiæ urbis ea verba contineri: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, quia " si PP. Labbe, „ & Cossartius vel unum legissent Codicem Ms., in quo hæc „ verba defuissent, ea de re pro sua ingenuitate monuissent „ lectorem ". Ad Codices regiæ bibliothecæ, Colbertinæ, Victorini Cœnobii, regii Collegii Navarrici, atque ad editionem Crabbeanam, & Romanam Bossuetius in citato libro cap. 5. appellat. Dupinius Bibliothecæ tom. 12. cap. 2. affirmat in pluribus Mss. legi ea verba, de quibus nunc agimus, nullum tamen singillatim indigitat. A Gersone autem illorum mentionem factam fuisse dicit in duobus sermonibus, quos

(1) Cit. lib. cap. 5. (2) Traité Historique de l'Eglise de Rome chap. 23. (3) *In Hist. Ecclesiast.* sæc. xv., & xvi. Dissert. 4. art. 1. §. 6. (4) Tom. 12. Biblioth. cap. 2. (5) Eclaircissem. sur le Concil. Gen. cap. 10. Hujus Tractatus Antonium Arnaldum auctorem esse Lenfantius tradit in Præfar. ad Hist. Concil Constant. num. 16. (6) Cit. Tractatu cap. 22. (7) Cit. Dissert. §. 6. num. 10.

coram Patribus Concilii habuit. De hoc poſtea videbimus. Quæ vero Arnaldus (1) Schelſtratio opponit, ad ea revocari facile poſſunt, quæ Natalem Alexandrum pro ſua ſententia in medium adducere animadvertimus.

§. II. Ii Codices maxima ex parte recenſentur, in quibus illa verba: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, non leguntur in primo decreto Seſſionis IV. Concilii Conſtantienſis.

Undecim Codices in Vaticana bibliotheca ſeſe conſuluiſſe Emanuel a Schelſtrate Diſſertat. *de auctoritate, & ſenſu decretorum &c.* cap. 1. art. 1. teſtatur: " Tres Codices manu- „ ſcripti continentes Acta Conſtantienſis Concilii a Notariis „ ipſius conſcripta, ex quibus Baſileenſes decreta compila- „ runt, non habent illa verba in primo decreto Seſſionis IV.: „ *Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in* „ *membris*. Codices quatuor Mſs. continentes geſta indubi- „ tata Conſtantienſis Synodi, quorum duo circa ipſius Con- „ ſtantienſis Concilii tempus conſcripti ſunt, licet habeant „ multo plura, quam hactenus edita, nullam tamen mentio- „ nem faciunt in decreto Seſſionis IV. *de reformatione Eccleſiæ* „ *in capite, & in membris*. Quin immo in uno ex iſtis Codi- „ cibus poſt hæc decreti verba: *ad fidem, & ad extirpationem* „ *dicti ſchiſmatis*: notatum erat: *iſte* (nimirum articulus) *im-* „ *perfecte fuit factus, ut ſequitur, ideo ſuppletur in Seſſione ſe-* „ *quenti*. Quibus indicatur, clauſulam *de reformatione Eccleſiæ* „ *in capite, & membris* abeſſe debere a decreto Seſſionis IV., „ ideoque illud decretum renovatum fuiſſe in Seſſione V., in „ qua ſolummodo clauſula illa adjungenda eſt, ut ſtatim vi- „ debimus. Duo demum Codices continentes Regeſtum Acto- „ rum Conſtantienſis Concilii, quorum unus circa tempus „ ipſius Concilii ſcriptus ſpectavit ad Emin. Cardinal. Sirle- „ tum, alius antiquo charactere Italico conſcriptus eſt, licet „ omnia Acta contineant a I. Seſſione uſque ad electionem „ Martini V., nullam tamen mentionem faciunt in decreto „ Seſſionis IV. *de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris*.

„ Cete-

(1) In citato Opere cap. 2.

„ Ceteros, quos vidi Codices recentiores prætereo, in qui-
„ bus tamen omnibus prædicta verba desiderantur “. Idem Auctor *In Tractatu de sensu, & auctorit. Decret. Concil. Constant.* Dissert. 1., in qua respondet Maimburgo agenti contra auctoritatem Codicum, de quibus in supra citata Dissertatione ipse egerat, cap. 1. hæc superaddit: “ Quod si hi non suffi-
„ ciant (hoc est prædicti novem Codices) adjungere possum
„ celeberrimum Codicem Capranicensem, qui ad usum Car-
„ dinalis de Capranica Basileensis Concilii temporibus scri-
„ ptus videtur, & quo Philippus Labbeus sæpius usus est
„ in Appendice ad Synodum Constantiensem: in hoc enim,
„ ut in reliquis omnibus supra citatis, deest clausula *de refor-*
„ *matione Ecclesiæ in capite, & in membris*. Accedit alius Codex
„ plane antiquissimus, qui ex bibliotheca Eminen. quondam
„ Card. Ludovisii in bibliothecam Emin. Card. Ottoboni mi-
„ graverat, ejusdemque Romanæ Ecclesiæ Principis liberalitate
„ in bibliotheca Vaticana repositus fuit, in quo eadem omni-
„ no desiderantur. Demum, omissis aliis, testari possum,
„ quod inter omnes Mss. Codices Constantiensis Synodi, quos
„ magno numero me vidisse contigit, nullum repererim, in
„ quo verba illa habentur, præter quam unum recentiori
„ manu ex Sirleti Codice transcriptum, in quo tabellarius,
„ quum originale difficili charactere exaratum esset, Acta
„ ex editis Codicibus descripsit, & verba illa contra fidem
„ originalis Ms. decreto primo Sessione IV. adjunxit “.

Cum hisce Schelstratii Codicibus quoad rem istam, de qua agimus, miram consensionem habent sex alii antiquissimi Codices *ex reconditis totius Germaniæ thesauris litterariis magno studio, felicissimoque fato* collecti, ut verbis ejus utar, qui eosdem suis oculis lustravit, & in publicam lucem protulit (1). Hi sunt profecto Codices Brunsvicensis, Gothanus, Lipsiensis, duo Vindobonenses, hoc est, Estralwianus, & Dorrianus, & Codex Wolfenbutelensis. Quænam vero hujusmodi Codicum ratio haberi debeat, ab editore illorum nosse possumus (2):

O 2 “ Pri-

(1) Von der Hardtius *Act. Concil. Constant.* tom. 4. in Prolegom. cap. 3. pag. 14. (2) Cit. pag. & seq.

„ Primum (inquit ipse) *Ms. Codicem authenticum plenorum*
„ *Actorum Concilii Constant.* inclyta dedit Augusti, & littera-
„ tissimi Principis Rudulphi Augusti Bibliotheca Brunsvicen-
„ sis. Quod *vastum volumen in ipso Constantiensi Concilio exa-*
„ *ratum*, neque titulis, & argumentis distinctum, sed, ut
„ primi illi Notarii consueverant, una continua serie con-
„ textum, tenuibus saltem, aut breviculis spatiis interjectis,
„ ubi nova succederet materia.

„ Alterum Codicem Ms. majorum Actorum Concilii
„ Constant. dedit Serenissimi Principis Friderici Saxoniæ Du-
„ cis Bibliotheca Gothana. Quod *volumen Constantiæ itidem*
„ *scriptum*, nec argumentis nisi in margine instructum. Do-
„ lendum autem Notarium passim omisisse non exiguas Acto-
„ rum partes, ut manca sæpe est scribarum fides.

„ Tertium Codicem Ms. plenorum Actorum Concilii
„ Constantiensis dedit præclara Bibliotheca Paulina Acad.
„ Lipf., qui cum Brunsvicensi curatius consentit, nisi quod
„ ætas paulo recentior, ut proxime tamen Concilii Basileen-
„ sis tempora attingat ....

„ Sed nec illi Codices nobis suffecerunt. Accivimus
„ plures *alios Codices Mss.*, a viris illustribus quondam instru-
„ ctos, qui *in ipso Constantiensi Concilio* rebus interfuerant...
„ In his excellit Joannes Dorre JCtus, *in Concilio præsens*...
„ Qui peregregium dedit *Actorum Concilii Constant.*, quæ suis
„ spectavit oculis, *perbreve* licet, argumentum. Quem in-
„ comparabilem Codicem Dorrianum Augustissima invictissimi
„ Cæsaris Leopoldi Bibliotheca Vindobonensis gratiosissime
„ impertivit ...

„ Latus Dorrii claudit Nicolaus Elstraw, Consiliarius
„ quondam Austriacus, alias ex merito a nobis laudatus, sed
„ nunquam satis laudandus, qui, *in Concilio itidem præsens*,
„ præter monumenta eruditorum virorum, de rebus Concilii
„ in Concilio edita, *aliqua* etiam *Acta*, in Sessionibus prodi-
„ ta, consignavit. Quos nobiles Elstrawianos Mss. Codices
„ pari fortuna inæstimabilis Bibliothecæ Vindobonensis the-
„ saurus litterarius benignissime suggessit...

„ Postre-

„ Postremo quoque nobilem Codicem Mss. supra me-
„ morati *Actorum Concilii Constant. Compendii*, Basilææ parati
„ ex Augusta Bibliotheca Wolfenbutelensi secundo nacti
„ sumus fato “.

Parisiis quoque in celeberrima Bibliotheca S. Victoris a Maimburgo, & aliis tam sæpe commemorata, unum Codicem esse, qui prædictis consentiat, Lenfantius tradit (1), qui illud etiam monet, in hujusmodi Codice mentionem fieri Sessionis habitæ die 30. Martii 1415., quæ procul dubio fuit Sessio IV.

§. III. Iis Codicibus, in quibus habentur illa verba: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, & quidem quoad hæc ipsa verba, adhærendum non esse ostenditur.

Eam nos rationem hac in re sequuturi non sumus, quam multi eorum tenuerunt, qui contra nos sentiunt. Non defuerunt enim, qui Mss. Schelstratii non magni facienda esse affirmarunt (2): e locis suspectis eruta esse, hoc est, *Romanis* bibliothecis (3): unum Victorinum Codicem *Vaticanis*, & *Romanis* Codicibus præferendum (4): Schelstratium, dum eorum, qui a se inspecti erant, Codicum Vaticanorum auctoritatem in medium protulit, in multis sane peccasse, quibus fides illius in dubium quodammodo revocatur (5). Nos ergo damus, eos Codices, quos Adversarii nostri pro sua sententia tuenda proferunt, esse genuinos, iisdemque Adversariis hac de re testantibus omnem fidem præbemus: ceterum quod illis Codicibus adhærendum sit, nullo modo dare possumus. Est igitur advertendum in primo decreto Sessionis IV. a Cardinali Zarabella Florentino, cui, utpote juniori, decreti lectio facienda coram Patribus commissa fuerat, verba illa: *ad reformationem generalem in capite, & in membris*, omissa fuisse. Id

(1) In Historia Concil. Constant. lib.2. num.16. (2) Maimburgus *Traité Historique de l'Eglise de Rome* cap.21. (3) Auctor Anonymus Tractatus Gallici *de potestate Ecclesiæ, & temporali* pag.440. (4) Maimburgus supra citatus cap.24. (5) Antonius Arnaldus *Eclaircissemens sur l'autorité &c.* cap.2., & 13.

Id primo Schelstratius ostendit in Tractatu *de sensu, & auctorit. Decret. Concil. Constant.* Dissert. 1. cap. 2., deinde Von der Hardtius tom. 4. *Rerum Concil. Constant.* in IV. Sessione pag. 86., & seqq., tertio Lenfantius in *Hist. Concil. Constant.* lib. 2. num. 16., atque Cl. Orsius lib. 5. *de Rom. Pontif. auctoritate* cap. 4. art. unico §. 3. Schelstratius hæc verba: *ad reformationem generalem in capite, & in membris* a Cardinali Zarabella in publica lectione decreti omissa fuisse, recte primo conjecit ex iis, quæ in Codicibus Vaticanis continentibus gesta Concilii Constantiensis adnotata adinvenit: " Iste (scilicet articulus) imperfecte fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti ". Illa autem verba: *ad reformationem generalem in capite, & in membris* in sequenti Sessione V. lecta legimus. Ea enim in ista Sessione frustra repetita haberentur, semel ac admittamus in IV. Sessione pronunciata fuisse. Auctoritatem Vaticani Codicis Arnaldus nihili facit (1): verum id & nimis confidenter facit, & altero non Vaticano Codice refellitur. Nam in Codice Elstrawiano Vindobonensi (2) hæc leguntur: " Et Cardinalis Florentinus, videlicet Dominus Franciscus de Zarabellis, pronuntiavit articulos infrascriptos, aliqualiter propter Cardinalium importunitatem decurtatos ". Decretum deinde hoc in Codice exhibetur sine illis verbis; *ad reformationem generalem in capite, & in membris*. Postea vero de sequenti Sessione in eodem Codice hæc leguntur: " Sessio tertia (a fuga Papæ) Episcopus Bosononiensis (Posnaniensis) de mandato Concilii articulos infrascriptos, & aliquos reformatorios articulorum præcedentium secundæ Sessionis (a fuga Papæ, alias quartæ) quoad articulos, propter importunitatem Cardinalium pro tunc omissos, pronuntiavit ". Hinc vero est, ut Deputati nationum cum Cardinali Zarabella graviter conquesti fuerint, quod prædicti decreti verba mutilasset, atque obtinuerunt: " Quod in proxima Sessione omnes articuli, ac clausulæ concordatæ per nationes in ultima Sessione præter-

(1) In cit. Opere cap. 10. (2) Apud Von der Hardtium tom. 4. *Rerum Concil. Constant.* pag. 87.

„ termissæ expedirentur “; quemadmodum in pluribus Mss. apud Schelstratium legimus (1).

Non solum autem ex pluribus Mss., sed etiam ex testimonio Benedicti Gentiani, & Gobelini Personæ compertum habemus Cardinalem Zarabellam in lectione primi decreti Sessionis IV. omisisse illa verba: *ad reformationem generalem in capite, & in membris*. Publico itaque scripto, quod omnibus Patribus legendum obtulit, Benedictus Gentianus, Academiæ Parisiensis ad Synodum Legatus, Cardinalem Zarabellam accusavit, quod verba decreti detruncasset (2): “ Animadvertite, (inquit) quatenus iste Rev. Florentinus schedulam, „ in quam nationes concordaverunt in ista ultima Sessione, „ scilicet penultima Martii, suorum fretus consilio sociorum, „ & fautorum, detruncavit, & decurtavit, deludendo, & vilipendendo hanc congregationem, in qua talia præsumentes non sunt digni, ut amodo admittantur “. Gobelinus Persona Decanus Bilsfeldiensis, & Officialis Paderbonensis, qui uti circa finem Operis ipse testatur, illud in Germania absolvit anno 1. Martini V., de eo, de quo nunc agimus, hæc tradidit memoriæ posterorum (3): „ Penultima die Martii, „ quæ fuit vigilia Paschæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus sufficienter: quapropter sexta die mensis Aprilis iidem articuli per unum „ alium de Concilio, Rege præsente, pronuntiati sunt reformati “. Ex his autem constat, quam falso contendant Maimburgus (4), Natalis ab Alexandro (5), & Antonius Arnaldus (6) nullam inter Cardinales, & Nationes contentionem extitisse de illis verbis: *ad reformationem generalem in capite, & in membris*. Nunc vero ad rem nostram ita. Dum primum decretum Sessionis IV. Concilii Constantiensis a Cardinali Zarabella legeretur, illa verba: *ad reformationem generalem*

(1) In Tract. *de sensu, & auct. Decret. Constant. Concil.* in Compendio Chronologico pag. XLII., & Dissert. 2. cap. 1. (2) Apud Von der Hardtium tom. 2. *Rerum Concil. Constant.* par. 12. pag. 180. ex gemino Codice Ms. antiquissimo Cæsareo Vindobonensi. (3) In *Cosmodromio* ætate 6. cap. 94. (4) In cit. Tractatu cap. 22. (5) In cit. Dissertat. 5. §. num. 65. (6) In cit. Opere cap. 13.

neralem in capite, *& in membris*, omissa fuisse, testantur Vaticani Codices, Germani pariter Codices certam fidem faciunt, confirmatur auctoritate illius, qui partes Gallicanæ nationis in Concilio sustinebat, habemus ejus testimonio comprobatum, qui historiam Concilii Constantiensis, dum illud in Germania haberetur, describebat. Aliunde quoque omnino exploratum nobis est ex undecim, immo pluribus aliis Vaticanis Codicibus, quos Schelstratius inspexit, & sex Germanis Codicibus erutis *ex reconditis totius Germaniæ thesauris litterariis magno studio*, *felicissimoque auspicio* ab hujusmodi homine, cujus fides neque etiam propter studium partium suspecta esse potest, itemque ex uno Parisiensi Victorino Codice, ea verba: *ad reformationem generalem in capite*, *& in membris*, non haberi in primo decreto IV. Sessionis. Illa ergo ab hujusmodi decreto expungi debere, ea est auctoritate omnino compertum, cui non solum a nemine juxta sanioris, prudentiorisque critices regulas, sed neque etiam ab eo obsisti possit, qui præter omne jus, omnemque prorsus æquitatem, atque honestam agendi rationem Codicum Romanorum fidem suspectam habere velit. Codicibus ergo illis, in quibus habentur ea verba: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite*, *& in membris*, & quidem quoad hæc ipsa verba, adhærendum non est.

At enim si res ita se habet, quomodo aut genuini esse possunt prædicti Codices, aut omnis iis adhibenda fides, qui eosdem se legisse testantur? Utrumque sane cum propositione nostra simul conjungitur, semel ac eam conciliandi inter se Codices rationem ineamus, quam ab aliis quoque sapientissime initam legimus (1). In Romanis itaque, Germanisque Codicibus, atque etiam in uno Victorino Parisiensi prima pars decreti Sessionis IV. expressa habetur, prout ea coram Patribus a Cardinali Zarabella lecta fuit: in aliis autem Codicibus, de quibus Maimburgus mentionem facit, prout in

(1) Von der Hardtius tomo 6. *Rerum Concil. Constant.* pag. XII. Lenfantius in *Hist. Concil. Constant.* lib. 2. num. 16., Cl. Orsius *de Rom. Pont. auctorit.* lib. 5. cap. 4. art. unico §. 3.

in congregatione Nationum concepta fuerat. Fieri namque facile potuit, ut a Præsulibus, atque Theologis Gallicanæ nationis, antequam Sessio haberetur, decretum Parisios missum fuerit, prout in congregatione Nationum elucubratum erat, indeque contigerit, ut in pluribus Parisinis Codicibus habeantur illa verba: *ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris*.

Semper ergo constat de eo, quod nos volumus, licet in legendis Mss.Codicibus Maimburgus nullo modo erraverit, & quæ spectabant ad V.Sessionem ad IV. non retulerit. Nam ea ad IV. retulisse, quæ ad V. pertinebant, dum Gersonis opera legeret; in quem errorem etiam Dupinius impegit (1), præter alios non solum Schelstratius ostendit, in Tractatu *de sensu, & auctorit. Decret. Concil. Constant.* Differt. 1. cap. 1., sed etiam; quod sane maximi refert, Natalis ab Alexandro, quamvis hac in re eamdem sententiam, ac Maimburgus, tueatur, *in Hist. Ecclesiast.* sæc. XV., & XVI. Differt. 4. §. 6. num. 60. pluribus confirmavit, qui postquam multis evicit, Gersonem de decreto Sessionis V., non vero IV. loquutum fuisse, ita concludit: " Verum si magis attenta consideratione (Maimburgus) „ Gersonium legisset, animadvertisset ipsum in his locis lau„ dare decreta Sessionis V., non Sessionis IV. ". Unde suo errore Maimburgus deceptus illud quoque falso affirmavit, quæ in decem Codicibus, & præcipue in Victorino ipse legerat, etiam auctoritate Gersonis comprobata esse.

De Germanis, Belgicisque Codicibus, quos a Petro Grabbio consultos fuisse, Natalis ab Alexandro animadvertit, quodnam judicium ferendum sit, ex eorum maxima auctoritate Codicum constat, de quibus supra §. 2. mentionem fecimus. Non est tamen illud prætereundum a nobis, Petrum Grabbium in brevi indice locorum, in quibus *vetustissima Conciliorum exemplaria* se vidisse testatur, quod spectat ad Concilium Constantiense hæc habere: " In bibliotheca „ subinde Cæsarea Bruxellæ Concilii Constantiensis exemplar „ inveni, quod plurimum ad ipsum recognoscendum mihi „ pro-

(1) *Biblioth.* tom. 12. cap. 2.

„ profuit ". Quamvis igitur non omnia monumenta, quibus usus fuit, in hoc brevi indice perstrinxerit, sicuti ipse testatur; tamen quæ perstrinxit, præ aliis potiora ab eo habita fuisse, dici debet. Unum vero tantum quoad Constantiense Concilium Bruxellis a se visum Codicem commemorat. Pluris autem unius istius Codicis, quam aliorum a Von der Hardtio editorum, faciendam esse auctoritatem, quisnam unquam dixerit?

Surius tom. I. Conciliorum lectorem quidem monet, in suo " Toto opere a principio usque ad calcem innumeros „ locos ad Mss. Codicum fidem " correxisse; at fortasse inde ne sequitur, omnia loca ab eo revera correcta fuisse, semperque quoad omnia Concilia sibi paratos habuisse Codices, cum quibus illorum Acta conferret; vel omnes, quos paratos habuit, ejus fuisse conditionis, ac illos, quos Schelstratius, & Von der Hardtius in medium protulit? Verum, ne plus, quam par est, in his immoremur, illud semper advertatur oportet, quando ex ipso facto constat, plura de re aliqua antiqua, & ea quidem magni ponderis, monumenta prodita fuisse a recentioribus auctoribus, non esse sane, cur contra ea ad diligentiam priorum auctorum, qui illa non perspexerunt, recurramus. Ex his autem omnibus illud abunde constare arbitramur, iis Codicibus, in quibus habentur illa verba: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, & quidem quoad hæc ipsa verba, adhærendum non esse.

§. IV. Iis Codicibus, in quibus non habentur illa verba: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, adhærendum est.

Quamvis hæc propositio ex præcedenti per se manet, de ea tamen nunc singillatim, quamvis non multis, agendum est a nobis. Orsius vir sane Cl., & de republica litteraria ob sua præclarissima opera optime meritus, eos Codices, quos Schelstratius in Vaticana bibliotheca adservari commemoravit, suis manibus contrectasse, atque se legisse testatur (1). Quo

(1) *De Rom. Pont. auctoritate* lib. 5. cap. 32. art. 1.

Quo sane tam gravi testimonio illorum minus liberalis agendi ratio refutatur, qui Schelstratianos Codices, immo etiam ipsam Schelstratii fidem, saltem aliquo modo, in dubium revocare conati fuerunt (1). At quam apud istos Schelstratiani Codices, atque ipse Schelstratius plenam fidem non obtinuere, apud alios, qui habita ratione religionis, quam profitebantur, non habebant, ut uni potius parti, quam alteri gratificarentur, plenissimam habuerunt, hique sunt Von der Hardtius, & Lenfantius (2). Schelstratianos ergo Codices nunc expendamus. In tribus Codicibus contineri Acta Concilii Constantiensis Schelstratius affirmat (3), prout ea ab ipsius Concilii Notariis descripta fuerant. In Mss. quoque Codicibus Brunsvicensi, Lipsiensi, & Gothano hæc præmittuntur; de eorum conscriptione facta a Notariis: " In nomine Sanctæ, „ & individuæ Trinitatis: Hic liber continet Ordinationes, „ Statuta, Constitutiones, Decreta, & alia Acta, & Gesta „ in Generali Constantiensi Concilio, præsidente SS. in Christo Patre, & D. N. D. Joanne Divina providentia Papa XXIII. „ recollecta, visa, & ordinata per nos Protonotarios, Notarios, & Scribas infrascriptos, ad id per eumdem D. N. Papam, ipso approbante Concilio deputatos, sub annis Domini, Indictione, Pontificatu, mensibus, & diebus inferius „ annotatis ". Ita apud Von der Hardtium in citato Opere tom.4. par.1. pag.5., qui etiam alteram similem inscriptionem haberi confirmat in Epitome Joannis Dorre Presbyteri, & Constantiensi Concilio præsentis, quæ in Augustissima bibliotheca Vindobonensi adservatur.

In quatuor aliis a se prolatis Codicibus *Gesta indubitata Constantiensis Synodi* contineri Schelstratius affirmat, quorum duo circa tempora ipsius Concilii scripta fuisse autumat, in quibus licet multa sane de Constantiensi Concilio haberentur; in eis tamen illa verba: *ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*, non legebantur.

Duos alios Codices commemorat, in quibus contineba-

(1) Vide præced. 5. (2) Ille passim in cit. Opere, iste in Histor. Concilii Constant. lib.2. num.15. & seq. (3) Vide hujus cap.52.

tur *Regestum Actorum Constantiensis Concilii*: unum, qui ad Cardinalem Sirletum spectabat, circa tempora ipsius Concilii scriptum autumat; alterum autem antiquo charactere Italico conscriptum monet, in quo non aliter, ac in priori, prædicta verba non legebantur, quamvis *omnia Acta a I. Sessione usque ad electionem Martini V.* in eo descripta forent.

Postremo non secus ac in hisce novem Codicibus, etiam in duobus aliis eadem verba deesse animadvertit, atque superaddit, unum istorum, qui circa tempora Concilii scriptus sibi videbatur, ad Cardinalem Capranicam spectasse, alterum vero, & ipsum maximæ antiquitatis, a bibliotheca Cardinalis Ludovisii ad bibliothecam Cardinalis Ottoboni, & ab ista ad Vaticanam translatum fuisse. Alios se Codices vidisse commemorat, qui cum illis a se indicatis quoad rem nostram consentiebant: unum tamen sibi occurrisse candide testatur, in quo prædicta verba, quæ ab aliis aberant, legebantur. Ex his vero constat, quam præter omnem rationem ad deprimendam auctoritatem hujusmodi Codicum Bossuetius *Defensionis &c.* lib.5., alias 9., cap.73. ita conqueratur: " Emmanuel „ Schelstratus quum aliorum objecta repetit, tum eo se maxime effert, quod nova Acta prodiderit, quæ orbis Catholicus ignoraret. Ceterum unde sint eruti plerique manu„ scripti, quos jactat, Codices, ubi delituerint, quas tem„ porum notas præferant, quid sint denique, an simplex ge„ storum series, an historiæ, quibus Acta inserantur; ac si „ historiæ, ut ea, quæ ipse protulit, verba præseferunt: „ quo auctore conscriptæ sint, noto ne, an ignoto; horum „ nulla mentio: omnia prætermissa, quæ auctoribus, aut „ Codicibus fidem vel afferant, vel detrahant ". Ita ne vero? *Acta* Concilii Constantiensis in tribus Codicibus contineri affirmat; in quatuor *Gesta indubitata* Concilii Constantiensis; in duobus *Regestum Actorum* ejusdem Concilii; duos alios esse antiquiores dicit, atque unde profecti fuerint, ostendit. Quæ ex iisdem verba in medium adducit, prout ea in illis legerat, profert. Sæpissime autem contingit, ut auctores antiquorum Codicum ne divinando quidem assequi possimus. Unde & mi-

randum

randum non est, Schelstratium nullam de auctoribus suorum Codicum habuisse rationem, & mirandum sane est, illam ab eo Bossuetium exegisse.

Germanorum quoque Codicum non minor est, ac Vaticanorum, auctoritas. Qui illos edidit, propter nullam omnino rationem in suspicionem malæ fidei apud aliquem cadere potest. Summa deinde probitas, atque veritatis unicus amor in scriptis illius elucet. Fuerunt autem hi omnes Codices *ex reconditis totius Germaniæ thesauris litterariis magno studio, & felicissimo fato* ab eo collecti. Codicem Brunsvicensem in ipso *Constantiensi Concilio exaratum* dicit: Gothanum *Constantiæ itidem scriptum* tradit: Lipsiensem esse paulo recentiorem, proxime tamen attingere tempora Concilii Basileensis. Alios deinde duos Codices profert, quo tempore, & a quibus ii scripti fuerint, indicat. Priorem confectum dicit a Joanne Jurisconsulto, qui Constantiensi Concilio adfuit, & *peregregium argumentum* dedit Actorum Concilii Constantiensis, quorum spectator ipse fuerat: alterum vero a Nicolao Elstraw, quondam Consiliario Austriaco, in Concilio itidem præsenti, *qui præter monumenta eruditorum virorum de rebus Concilii in Concilio edita, aliqua etiam Acta in Sessionibus prodita* consignavit memoriæ posterorum. Hisce tandem omnibus Codicibus superaddit sextum Codicem iisdem consentientem ex Augusta bibliotheca Wolfenbutelensi.

De auctoritate Victorini Codicis non est, cur dicamus: nam Maimburgus (1) unum suum Victorinum Codicem omnibus Vaticanis Codicibus præferendum censet. Præter omne jus ita quidem putat; nunc tamen nos contra eum hoc ipsum æquo jure urgemus. Modo paucis, quod volumus. Si de antiquitate Codicum agatur; iis sane antiquiores, quos ex Vaticana, Germanisque bibliothecis proferimus, desiderari non possunt: si de multiplicitate; nostri sibi oppositos numero longe superant. Adversarii enim iis potissimum decem Codicibus fidunt, quos ex Parisinis bibliothecis citant: nos autem undecim habemus Vaticanos, sex Germanos, unum Parisinum,

(1) In cit. Tract. cap. 23.

ſinum, omneſque ex præcellentiſſimis bibliothecis erutos: Noſtri Codices id quoque ſingulariter habent, ut multi eorum ſint adſervati in ipſis iiſdem locis, in quibus peracta eſt res, de qua nunc agimus: quod ſane ad auctoritatem iiſdem conciliandam plurimum confert, indeque etiam magis, magiſque confirmatur auctoritas aliorum Codicum, qui cum iiſdem cohærent, quamvis in regionibus longe diſſitis adſervati fuerint. Poſtremo cur in Pariſinis Codicibus Adverſariorum noſtrorum habeantur illa verba: *ad reformationem univerſæ Eccleſiæ in capite, & in membris*, valde probabilem conjecturam habemus (1): cur autem in noſtris illa verba non occurrant, nullus eſt conjecturæ locus. Apud æquos ergo rerum æſtimatores certum eſſe debet, iis ſane Codicibus in hac re, de qua agimus, adhærendum, in quibus non leguntur ea verba: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*.

Illud quidem negari non poteſt, quemadmodum inter alios etiam Lenfantius animadvertit (2), in omnibus exemplaribus impreſſis antiqui compendii Actorum Concilii Conſtantienſis an. 1442., concinnati auctoritate Concilii Baſileenſis, atque anno 1500. Hageonæ primum editi, legi hæc verba: *ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris*. Nos modo utrum Baſileenſes hæc verba primo decreto Seſſionis IV. Concilii Conſtantienſis ſuperaddiderint, diſputare nolumus (3). Illud tamen omittere non poſſumus in *Codice Ms. antiquo Actorum Concilii Conſtantienſis Compendii Baſilææ parati*, quem *ex Auguſta Bibliotheca Wolfenbutelenſi* Von der Hardtius in lucem protulit (4), quemque Lenfantius (5) ſe vidiſſe, & legiſſe teſtatur, prædicta verba non contineri, quamvis ille ſit *Actorum Concilii Conſtantienſis Compendium Baſilææ paratum*. Hæc ergo ſolum ex Von der Hardtio ſuperaddimus, qui apud neminem, non tantum propter alia, ſed nec etiam pro-

(1) Vide præced. §. (2) *Hiſt. Concil. Conſtant.* lib.2. n.16. (3) Vide Schelſtratium in Tract. *de ſenſu, & auctorit. Decret. Concil. Conſtant.* Diſſert.1. cap.1. (4) *Rerum Concilii Conſtantien. Prolegomenorum* pag.15. tom.4. (5) In *Hiſt. Concil. Conſtant.* lib.2. num.16.

propter studium partium suspectus esse debet (1): "In *Hageonensi* siquidem illo *Compendio*, ceterisque editis addita reperiuntur, ac *promulgata* dicuntur, quæ per nationes quidem „ fuerant definita, sed per Cardinalem Zarabellam, reliquo„ rum Cardinalium consilio, licet invitis nationibus, sunt „ *omissa*, nec prælecta. Ast in Ms. *Wolfenbutelensi Compendio*, „ a Basileensium collectione profecto, ita universa compa„ rent, prout Constantiæ sunt per Zarabellam pronuntiata. „ Viderit itaque sagax lector, quam Compendii harumve re„ rum faciem *Basileensibus Epitomatoribus* tribuat, hanccine „ *Wolfenbutelensem Ms.*, Actis Constantiensibus ex asse con„ gruam, illamne *Hageonensem editam*, a Constantiensi pro„ mulgatione alienam".

§. V. Quamvis illa verba: *ad reformationem universalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris* desiderari videantur, si decreti procemium spectetur, inde non sequitur adhærendum esse iis Codicibus, in quibus illa leguntur.

Id argumenti genus Maimburgus (2), Antonius Arnaldus (3), Bossuetius (4), Natalis ab Alexandro (5), & alii nobis opponunt. Desiderari ergo præcitata verba, si decreti procemium spectetur, & nos utique damus. Inde vero consequi, ut in decreto a Cardinali Zarabella lecta fuerint, nullo modo concedimus. Quandoquidem propter hoc tot genuinis antiquissimisque inter se consentientibus Codicibus fidem denegandam esse non arbitramur. Est quoque nobis aliunde perspectum articulos Sessionis IV. a Cardinali Zarabella lectos fuisse *decurtatos*: suppletum in Sessione sequenti, quod in illa omissum fuerat: Nationes graviter conquestas, quod Cardinalis Zarabella verba decreti mutilasset, eumdemque ea de re apud Concilii Patres accusatum a Benedicto Gentiano Legato Academiæ Parisiensis (6). Semel ac autem in alicujus decreti lectione quædam mutilatio fiat, nihil facilius contingit, quam ut

(1) Tom.4. *Rerum Concil. Constant.* Sess. Generali 4. pag.87. (2) *Traité Histori̧q. de l' Establissement &c.* chap.23. (3) *Eclaircissemens sur l' Autorité &c.* (4) *Defensionis &c.* lib.5., alias 9. cap.5. (5) In sæc. xv., & xvi. *Hist. Eccles.* Dissert.4. §.6. num.61. (6) Vide hujus cap. §.3.

ut ſequentia prioribus non omnino reſpondeant. Hoc autem facillime contingit, quando in ipſa lectione verba decreti mutilantur, quemadmodum a Cardinali Zarabella factum legimus. " Certe (inquit Von der Hardtius tom.4. *Rerum Concilii*
„ *Conſtant.* pag.85.) vel verba articuli aut decreti primi *de re-*
„ *formatione Eccleſiæ in capite, & in membris*, a nationibus
„ nullo plane modo voluiſſe omitti, patet ex eventu, quando
„ Concilium vehementer offenſum, dum Cardinalis Zarabel-
„ la in prælegendo illa verba cum aliis omiſit, ut non ſolum
„ publicis libellis Concilium teſtaretur diſſenſum, & offen-
„ ſam, ſed & in ſequenti Seſſione publica reſtitui illa ju-
„ beret ".

§. VI. Non eſt, cur quiſpiam opponat, fruſtra nos laboraſſe in tota hujus rei diſputatione.

Illud ſane mirandum ſubit, Maimburgum, Antonium Arnaldum, Boſſuetium, & Natalem ab Alexandro (1) nullum non movere lapidem, ut alios in eam perſuaſionem inducant, verba illa: *ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, in primo decreto Seſſionis IV. revera legi oportere, ſimulque ab eis uti omnino inanem haberi laborem eorum, qui antiquitate monumentorum demonſtrare contenderunt, illa verba ad decretum primum Seſſionis IV. nullo modo pertinere. Quid enim intererat, inquiunt, ut hac in re tantum deſudarent, ſi hæc eadem verba, ipſis quoque conſentientibus, in decreto Seſſionis V. leguntur? Quid intererat, nos quoque eis reponere poſſumus, ut ad evincendum illa verba etiam in decreto IV. Seſſionis legi oportere, tantum ipſi etiam adlaborarent, ſi illa etiam in decreto Seſſionis V. leguntur?

At vero intererat ſane multum, ut noſſent omnes, prædicta verba in decreto Seſſionis IV. revera non contineri. Nam quemadmodum Schelſtratius in Tractatu *de ſenſu, & auctorit. Decret. Concil. Conſtant.* Diſſert.1. cap.3., & cum eo Cl. Orſius *de Rom. Pont. auctorit.* lib.5. cap,5. art.2. animadvertit, ex eo quod non contineantur, inde conſequitur, corrigendum eſſe caput 2. Gallicanæ declarationis, in quo ſolemniter

(1) Locis ſupra citatis.

ter declaratum fuit : " Non probari a Gallicana Ecclesia, quod „ quidam decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, „ quæ Sessione IV., & V. Constantiensis Synodi continentur ... „ ad solum schismatis tempus detorqueant ". Huic rei illud quoque accedit, ut quamvis tam IV., quam V. Sessio Œcumenici Concilii auctoritatem nullo modo habeant (qua de re infra agemus) longe tamen minus auctoritatis in V., quam in IV. inest. A Schelstratio enim traditum habemus, quod quum Cardinales novissent, articulos, & clausulas Sessione IV. prætermissas, se invitis, Sessione V. publicandas, primum statuerunt, non accedere ad Sessionem, & quatuor eorum revera non accesserunt : alii tamen quum animadvertissent, sine publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilii se abesse non posse, accedere statuerunt " Præmissa tamen protestatio„ ne secreta, in camera paramentorum palatii Constantiensis, „ *quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant*, *non* „ *animo consentiendi his*, *quæ audiverant in ea statui debere*. „ Eamdem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Gal„ liæ, qui sese quam strictissime cum Cardinalibus conjun„ xerant : adeo ut non solum contra mentem Joannis XXIII., „ sed & contra sententiam totius Sacri Cardinalium Colle„ gii, & ipsorum Galliæ Legatorum publicata sint decreta „ de potestate Ecclesiastica (1) ". Illud quoque Schelstratius superaddit (2), Cardinalem Florentinum, ad quem spectabat promulgatio decretorum, eam facere renuisse, idque muneris datum Electo Posnaniensi, qui legit *Decreta per modum Constitutionum Synodalium*, *quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit*. In Mss. Brunsvicensi, Lipsiensi, & Gothano distincta mentio fit quatuor illorum Cardinalium, qui ad V. Sessionem non accesserunt (3) : " Absentibus vero Joanne Vivariensi, „ Petro Cameracensi, Francisco Venetiarum, & Ludovico

(1) Hæc Schelstratius in Tract. *de sensu*, *& auctorit. Concil. Constant.* in Compendio Chronologico pag. XLII. & seq. ex Regesto Concilii Constant. in tribus Mss. Codicibus. (2) Cit. loco ex Gestis Constantien. Concil. in quatuor Mss. Codicibus, ex Actis Protonotariorum in tribus Mss. (3) Apud Von der Hardtium tom. 4. *Rerum Concil. Constant.* Sessione V. pag. 9.

„ de Flisco Cardinalibus, licet in dicta civitate præsentibus,
„ ut publice ferebant". Ex hoc autem consequi, semper magis incertum evadere fundamentum Gallicanæ declarationis, nemo non videt.

§. VII. Ex verbis ipsius decreti V. Sessionis Concilii Constantiensis, non solum nullo modo compertum est, quod Adversarii nostri colligunt, sed etiam ea omnino aliter, ac ipsi vellent, explicanda sunt.

De sensu decreti Sessionis V. nunc agendum a nobis: neque enim est, cur de sensu decreti Sessionis IV., etiamsi in eo illa omnia haberentur, quæ Adversarii vellent, disputationem instituamus; quum, Bossuetio assentiente *Declarationis &c.* lib.5., alias 9., cap.2. hujusmodi decretum *totidem verbis repetitum* fuerit in V. Sessione, atque illud tantum in ista superadditum, sicuti ipse contendit, ut non solum Constantiensi Concilio suprema judicii ratio supra Summum Pontificem vindicaretur, quemadmodum in decreto Sessionis IV. statutum fuerat, sed etiam *cuilibet alteri*. Quod ergo Patres Constantienses in V. Sessione decreverunt, non tantum ad tempus schismatis, sed etiam ad alia referendum esse, Adversarii nostri tuentur (1): ad schismatis vero tempus verba decreti referri debere, nos modo ostendemus, si attendatur, sicuti revera attendi debet, ad id, quod Patres Constantienses sibi proposuerant.

Est autem animadvertendum, jam ab initio ipsius Concilii Constantiensis, neminem trium illorum Pontificum, Benedicti scilicet XIII., Gregorii XII., & Joannis XXIII. pro vero, & legitimo Pontifice indubitanter habitum. Hæc alia in rem istam superaddi possunt iis, quæ alibi (2) observavimus. Theodoricus Uriæ Ordinis Eremitarum S. Augustini provinciæ Saxonicæ, qui floruit tempore Concilii Constantiensis in *Historia Concilii Constantiensis* Distinct.3. Ecclesiam lugentem inducit se laceratam per tres schismaticos Pontifices, Joannem XXIII., Benedictum XIII., & Gregorium XII., ita ut nesciret, quam partem sequeretur, aut quo

(1) Vide cap.2. Gallicanæ Declarationis (2) Hujus lib. cap.3. §.6.

quo se verteret (1). Joannes Gerson in Opere *de modo uniendi, & reformandi Ecclesiam in Concilio universali*, quod paulo ante Constantiense Concilium scripsit ad Petrum de Alliaco cap. 26. statuit: „ Non esse eligendum novum Papam ex tribus „ remotis, nec ex Collegio Cardinalium ante Concilium „ Constantiense existentium (2)". Petrus de Alliaco in *Monitis de necessitate reformationis Ecclesiæ &c.* cap. 2. statuit, tres Pontifices Gregorium XII., Benedictum XIII., & Joannem XXIII. in Concilio removendos, & alterum substituendum in locum eorum (3). Auctor Anonymus in sua *Obtestatione* ad Concilium Constantiense obsecrat Patres, ut tres dissentientes Pontifices removeant, alterumque in locum illorum eligant (4). In Andreæ Lascharii Electi Posnaniensis, Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ ad Concilium Constantiense Legati oratione ad Sigismundum Imperatorem sub initium Concilii habita, nihil magis urgetur, quam ut schisma *inveteratum, & cruentum* ab Ecclesia tollatur (5). Idem Sigismundo suasit in sua oratione initio Concilii ad eum habita Nicolaus de Dinckelspuhel Theologus Viennensis, & Alberti V. Austriæ Ducis ad Concilium Constantiense Legatus (6). A Cardinalibus quoque, aliisque magnis viris in Constantiensi Concilio existentibus frequenti congressu doctorum *Consultationes* institutæ fuere, in quibus ab initio Concilii usque ad fugam Joannis XXIII. statutum fuit, ut tres Pontifices, Joannes, Gregorius, & Benedictus ad *Papatus resignationem* adigerentur (7). Hinc vero est, ut Gersonius in Tractatu *super præsenti schismate* asseruerit, *temerarium*, *injuriosum*, & *scandalosum* esse, affirmare eos, qui uni potius Pontifici, quam alteri adhærerent, versari *universaliter extra statum salutis* (8), atque in ea diversa varietate opinionum non esse *minores difficultates juris, & facti, quam ante Concilium Pisa-*

Q 2 *num*

(1) Apud Von der Hardtium *Rerum Concil. Constant.* tom. 1. par. 1. pag. 20. & seqq. (2) Apud eumdem tom. 1. par. 5. pag. 132. (3) Apud eumdem tom. 1. par. 7. pag. 278. (4) Apud eumdem tom. 2. par. 4. pag. 167. (5) Apud eumdem tom. 2. par. 5. pag. 170. (6) Apud eumdem tom. 2. par. 7. pag. 172. (7) Apud eumdem tom. 2. par. 8. pag. 189. (8) Tom. 2. Operum ejus juxta edit. Dupinii pag. 4.

num erat de justitia duorum contendentium Cameracensis affirmavit (1). Hac ergo semel posita veritate facti, antequam de vero sensu decreti V. Sessionis inquiramus, illud animadvertimus, falso putasse tum Richerium (2), tum Bossuetium (3), tum Natalem ab Alexandro (4), Maimburgum (5), atque alios, Constantienses pro vero, & legitimo Pontifice Joannem XXIII. absque ulla hæsitatione habuisse. Iis enim, quæ nos usque modo contra disputavimus, illud superaddi potest, in Sessione XIV. confirmata a Patribus *ex superabundanti cautela*, quæ Gregorius in sua obedientia gesserat (6). Repugnat autem unius veri, & legitimi Pontificis potestate sine ulla hæsitatione semel admissa, alterius quoque Pontificis potestatem simul admitti.

Tria ergo in hoc decreto observari debent: 1. Synodum Constantiensem congregatam fuisse *pro exstirpatione schismatis, & unione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris*: 2. quod huic Synodo in Spiritu Sancto congregatæ, quæ potestatem a Deo immediate haberet, quilibet cujuscumque status, & conditionis, *etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & exstirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris*: 3. Condignæ pœnæ subjiciendum eum esse, cujuscumque tandem conditionis, status, etiamsi Papalis sit, *qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit*. Quamvis ergo Bossuetio demus, non solum ad tollendum schisma, sed etiam ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, quin etiam, occasione accepta, ad fidem etiam exponendam, hanc Synodum coactam fuisse; schisma tamen, quod abolendum erat, primam,

(1) Tom. 16. Concil. edit. Venet. Concil. Constantien. Sess. I. colum. 38. (2) *Concil. General.* cap. 3. (3) *Defensionis &c.* lib. 5., alias 9., cap. 13. (4) In *Hist. Eccles.* sæc. xv., & xvi. Differt. 4. art. 2. num. 1. (5) Traité de l'Eglise de Rome chap. 23. (6) Tom. 8. Concil. edit. Harduini colum. 395.

mam, atque potissimam causam fuisse contendimus, cur hæc Synodus congregata fuerit. Hæc enim in initio decreti primo loco ponitur: ad eamdem omnes scriptores convocationem hujus Synodi potissimum referunt: de ea præcipue in Mss. Codicibus mentio fit, dum causa convocationis ejusdem Synodi exponitur (1). Quid deinde Academia Parisiensis in suis epistolis tum ad Constantiense Concilium, tum ad Sigismundum, nisi hoc unum potissimum urget (2)? Nonne & ipse Joannes XXIII. in Bulla convocationis ejusdem Synodi id apertissime confirmat (3)?

Cum exstirpatione autem schismatis reformatio Ecclesiæ Dei in capite, quod *tunc* dubium erat, & in membris conjuncta erat. Sicuti enim ex pluribus Mss. Codicibus compertum habemus (4), atque etiam ex Actis ipsius Concilii constat (5), eam Patres pacis Ecclesiæ restituendæ iniere rationem, ut illi tres, qui tunc temporis inter se de Pontificatu contendebant, ad renuntiandam dignitatem adigerentur, ut præter eos alius quidam tanto muneri idoneus eligi posset, qui universæ Ecclesiæ præsideret. Ex hoc autem tum in capite, quale tunc habebatur, tum in membris reformatio consequebatur, in capite, inquam, & in membris, prout tunc temporis Ecclesiæ conditio ferebat. Loco enim eorum, qui tunc de Pontificatu ambigebant, quorum proinde auctoritas omnino dubia erat, unum eligi oportebat, qui supremum Ecclesiæ regimen certa auctoritate teneret, indeque Ecclesiæ membra suum certum caput habitura erant, cui conjungerentur. Hac sane ratione Ecclesiam in capite, & in membris reformare Synodi Patres sibi proposuerunt, atque revera postea reformarunt. Nam Joannem reluctantem cedere Pontificatui, contra ac cum juramento antea promiserat, & sæpius vocatum se Synodo sistere renuentem uti (6) „ Notorium „ simoniacum, notoriumque bonorum, & rerum, ac jurium „ Ro-

(1) Vide tom. 16. Concil. edit. Venet. colum. 12. & seqq. (2) Cit. tomo pag. 100. & seqq. (3) Vide Bullam cit. tom. colum. 17. & seq. (4) Cit. tomo pag. 26. & seqq. (5) Cit. tomo colum. 47. & seqq. (6) Cit. tomo colum. 142.

„ Romanæ, ac aliarum Ecclesiarum Dei dilapidatorem, fau-
„ torem hujus pestiferi schismatis, ac aliis criminibus gravi-
„ bus Ecclesiam Dei scandalizantibus nedum infamatum, sed
„ illis in scandalum Ecclesiæ notorie irretitum, & incorrigi-
„ bilem " a Pontificia dignitate excidisse, Sessione X. decrevere. Sessione XIV. abdicationem Pontificatus a Gregorio sibi sponte factam Patres receperunt, multaque suæ erga eum observantiæ argumenta dederunt. Tandem quum obstinationem Benedicti frangere non potuissent, eum uti (1) „ Perju-
„ rum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem, & nu-
„ tritorem inveterati schismatis, & inveteratæ scissuræ, & di-
„ visionis Ecclesiæ Sanctæ Dei, pacis, & unionis ejusdem Ec-
„ clesiæ impeditorem, & turbatorem, schismaticum, & hæ-
„ reticum, ac a fide devium " Pontificia dignitate ipso jure privatum Sessione XXXVII. declararunt. Hisce peractis, ad Martini V. electionem devenere: in quo sane caput Ecclesiæ reformatum fuisse, cum veritate dici potest. Quam enim certam formam Pontificatus, de eodem antea contendentes, non habuere, ipse profecto habuit. Etiam Fideles omnes habuerunt, quum verum, legitimumque Ecclesiæ caput sibi datum acceperint, proindeque propter hoc etiam in eis singularis reformatio contigit. Membra enim tunc reformata esse recte dicuntur, quando quod non habebant, certum, legitimumque caput assequuntur.

Hisce vero constitutis, nullo modo mirandum est, si Concilii Patres sibi simul congregatos, & potestatem *immediate* a Deo esse; quum tunc nullum certum Ecclesiæ caput haberetur, & quemlibet *cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis*, existeret, obedire debere sanxerunt *in his, quæ pertinent ad fidem, & exstirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, ac in membris*. Tres enim tunc temporis de suprema præfectura Ecclesiæ Pontifices inter se decertabant. Illud quoque Patres compertum habebant, post Concilium Pisanum, non extinctum, sed auctum schisma fuisse, quia tum Benedictus, tum Gregorius decretis ejus sese non

(1) Cit. tomo colum. 65.

non ſubjecerant, ſed illa contempſerant. Fruſtra ergo etiam in hoc Concilio ſe laboraturos videbant, ſemel ac iis, quæ ipſi decreturi erant, non parerent, qui inter ſe de Pontificatus dignitate digladiabantur. Temporum itaque, atque ſtatus, in quo tunc Eccleſia verſabatur, habita ratione, neceſſe erat, ut conſtituerent ſibi obedire debere quemlibet *cujuſcumque ſtatus*, *vel dignitatis*, *etiamſi Papalis*, exiſteret.

Qua autem ratione edixerunt, ut omnes ſibi parerent in iis, quæ ad exſtirpationem ſchiſmatis pertinerent, idem ſancivere etiam quoad fidem. Primo quidem quinam illorum trium verus legitimuſque Pontifex eſſet, non conſtabat, ſicuti jam animadvertimus, indeque Patres eam rationem iniere, ut æqualiter omnes adigerentur ad abdicandam eam dignitatem, quam cum tanto Eccleſiæ detrimento retinebant. Deinde etiam tempore Piſani Concilii ſchiſma tale erat, ut in hæreſim omnino degeneraſſe videretur, atque in hæreſim jam degeneratum Piſani Patres judicarunt (1). Si ergo jam ab illo tempore hæreſis cum ſchiſmate conjungebatur; multo potiori jure hoc idem cenſendum erat a Patribus Conſtantienſibus, quia a Piſano Concilio ſchiſma nullo modo ſublatum fuerat. Semel ac autem hoc cenſuiſſent, inde conſequebatur, ut omnes ad ſibi obediendum cogerent quoad ea omnia, quæ tum ad exſtirpationem ſchiſmatis, tum ad fidem ſpectarent.

Nunc tandem eſt explicandum a nobis, quomodo ad tempus ſchiſmatis referri poſſint, quæ Patres in hac V. Seſſione decrevere, dum ſtatuerunt, non ſolum ſibi ſimul congregatis, ſed etiam cuicumque Generali Concilio obtemperare debere etiam eos, qui *Papalem* dignitatem obtinerent. In hoc ſane Adverſarii noſtri ſuæ cauſæ fundamentum potiſſimum reponunt, ſemperque iſta verba: *& cujuſcumque alterius Generalis Concilii*, nobis objiciunt. Verum irrito ſane conatu. Nam, ſicuti eſt jam animadverſum a nobis, ſchiſmatis, & temporis, in quo tunc Eccleſia verſabatur, Patres in hoc ſuo decreto habuere rationem: propter ſchiſma potiſſimum in unum ſimul convenerunt: ob ſchiſma reformationem Eccleſiæ in capite, & mem-

(1) Hujus lib. cap.3. §.3. & ſeq.

& membris aggressi fuere: causa schismatis obtemperare debere suis decretis eum quoque sanxerunt, qui Pontificiam tunc dignitatem teneret: igitur ut Patres Constantienses sibi semper constiterint, ad tempus schismatis eos retulisse, dicamus oportet, quod de præstanda obedientia cuicumque alteri Generali Synodo definierunt, sicuti verba decreti præseferunt, quæ hæc sunt: "Item declarat, quod quicumque „ cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, & præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea spectantibus, factis, vel faciendis, obtemperare contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnæ subiiciatur &c.". Quapropter sicuti Serryus *de Rom. Pont.* Dissert. altera cap. 10. num. 4. recte animadvertit: "De his ergo Conciliis loquitur Synodus Constantiensis, quæ *super præmissis, seu ad ea spectantibus* factis, vel faciendis fuerint celebranda. Quæ porro illa præmissa sunt, nisi schisma sopiendum, dubiique Pontifices deponendi; quæ vera, propriaque causa fuit Constantiensis Synodi celebrandæ? Id ergo dumtaxat sibi voluere Patres, debere quemcumque Pontificem Concilio subesse, parere, obedire, quod sopiendi, extinguendique similis schismatis causa fuerit celebrandum; quemadmodum & hæc ipsa Constantiensis Synodus celebrata est.

Neque est, cur dicatur, superfluum fuisse, ut decerneretur a Patribus, cuicumque alteri Generali Concilio etiam eum subesse debere, qui *Papalem* dignitatem obtineret, si schismatis rationem tantum habuere. Nam nonne futuris quoque Ecclesiæ temporibus, in quibus aliquod schisma insurgeret, hoc suo decreto prospicere potuerunt? Nonne sicut in Conciliis Œcumenicis multa constituta fuisse legimus, quæ ad ea Ecclesiæ tempora referrentur, in quibus ab uno certo supremo capite illa regeretur; ita ipsi quod ad tempora schismatis pertineret, decernere potuerunt? Eo vel maxime, quia hoc sane consilio in unum simul convenerant, ut schismati finem imponerent: at vero ipsa quoque expe-

experientia noverant, facile contingere posse, ut non assequerentur, quod sibi proposuerant. Nam etiam Pisani Patres paucis antea annis in hunc finem simul convenerant; & tamen schisma non solum non sublatum, sed auctum fuerat. Quod autem Pisanis Patribus contigit, sibi quoque eventurum, Constantienses æquo jure timere poterant. Quo enim tempore decrevere, *cuicumque etiam alteri Generali* Concilio obedientiam ab eo quoque præstandam, qui *Papalem* dignitatem obtineret, Joannis XXIII. fidem merito suspectam, Benedicti vero XIII. pervicacem obstinationem omnino compertam habebant. Ne ergo sibi quoque idem contingeret, quod Pisanis Patribus evenerat, Patres Constantienses statuerunt, cuivis Generali Concilio esse subjectos, qui *Papalem* auctoritatem retinere contenderent. Hoc enim semel statuto, facilius futurum videbant, ut qui eo tempore de supremo Ecclesiæ regimine inter se contendebant, aut sequentibus temporibus contendere vellent, illud abdicarent, quia perspicerent, supra se habere in simili circumstantia temporum auctoritatem constitutam, cui parere deberent. Ex his autem omnibus illud satis compertum esse arbitramur, quod nos contra Adversarios nostros modo volumus.

§.VIII. Patres Constantienses in decreto Sessionis V. respexisse ad tempus schismatis, dum Summum Pontificem Generalis Synodi judicio subjecerunt, constat etiam ex iis, quæ in VI. Sessione disputata fuisse legimus.

Ex Gobelino Persona (1) novimus, in Sessione VI. a quodam Præsule propositum fuisse, ut ab hoc Concilio Summus Pontifex, atque Cardinales excluderentur. Hanc in rem idem Præsul scriptum quoddam edidit, cujus hic erat titulus, prout ex Ms. Codice Vindobonensi Von der Hardtius refert (2): *Conclusiones, & veritates contra Papam, & Cardinales, quod non debeant interesse tractatibus Concilii* (3). Hisce conclusioni-

(1) In *Cosmodromio* ætate 6. cap. 94 (2) Tom. 2. *Rerum Concil. Constant.* par. 13. cap. 1. pag. 289. (3) Lenfantius in *Hist. Concil. Constant.* lib. 2. num. 39. putat, Gobelinum Personam errasse, & non in Concilio, sed

bus alias conclusiones Cardinales opposuerunt sub hoc titulo, uti idem Von der Hardtius (1) tradit ex Ms. Codice Lipsiensi: *Conclusiones præsentatæ per Collegium Cardinalium in præsentia Serenissimi Principis Domini Sigismundi Romani Regis cum responsione Concilii*. Hæc ergo sunt, quæ inter alia Collegium Cardinalium in conclusione 2. & 3. opposuit: " Secunda conclu-„ sio: Romana Ecclesia sicuti omnium Ecclesiarum magistra „ est, sic earum caput merito dici potest. Tertia conclusio: „ Romana Ecclesia sicuti omnium Ecclesiarum caput dicitur, „ sic & Concilii Generalis, immo universalis Ecclesiæ, quæ „ ex omnibus particularibus Ecclesiis integratur ". Quid ad hæc Concilii Patres? an fortasse Sessionis V. decretum eis opposuerunt, quemadmodum facere poterant, semel ac in eo, sicuti Adversarii volunt, Summus Pontifex judicio Concilii Œcumenici absolute subiiceretur? Nihil sane minus: sed eorum responsio ostendit, decretum Sessionis V. ad tempus schismatis referri oportere. Ita ergo prædictis duabus conclusionibus responderunt: " Responsio Concilii, Nota super „ verbo *Caput*. Hoc concedatur; tamen non ad fovendum „ schisma, aut difformitates. Item nota super verbo *Concilii* „ est subdistinguendum. Quia hoc est verum in aliquo Con-„ cilio, maxime ad elidendum aliquem errorem contra Ca-„ tholicam fidem, seu hæresim exstirpandam. Ubi autem „ agitur de schisma tollendo in Romana Ecclesia, quod per „ Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abusi „ sunt electione, & in similibus, ibi locum non habet ".

In quarta conclusione ita habuerunt Eminentissimi Patres: " Quarta conclusio: Romana Ecclesia præmissam pote-„ statis, & auctoritatis præeminentiam obtinet non tam hu-„ mana

sed aliqua alia occasione recurrente, propositum, ut Summus Pontifex, & Cardinales a Concilio excluderentur. Quod inde confirmat, quia, uti ipse ait, non novimus, quid huic propositioni a Concilio responsum fuerit. Verum in utroque ipse fallitur, quia ex Ms. Codice Vindobonensi confirmatur, quod Gobelinus Persona tradit: ex Ms. autem Codice Lipsiensi, ut mox videbimus, constat de responsionibus Concilii ad ea, quæ præcitatis *Conclusionibus* Cardinales opposuerunt. (1) Tom. 2. cap. 2. pag. 286.

„ mana traditione, quam divina. Et ex hoc Romani Petri „ Christi Vicarii, & cujuslibet sui legitimi successoris, qui „ ex Christi institutione sub eo, tamquam sub principali ca- „ pite, tam Romanæ, quam universalis Ecclesiæ caput fuisse, „ vel esse dignoscitur". Ad hæc ita Concilii Patres: "Respon- „ sio Concilii: Nota super verbo *potestatis*, adde canonice, „ & juxta formam a canonibus traditam". Alias quoque Eminentissimi Patres posuere *Conclusiones*, sicuti in laudato Codice apud Von der Hardtium legitur, quibus suprema Romano Pontifici super universam Ecclesiam potestas vindicabatur, singulæque conclusiones singularibus quoque argumentis confirmabantur. Concilium vero in suis responsionibus tam ad conclusiones, quam ad argumenta, ad eam semper distinctionem appellat, quam secundæ, & tertiæ conclusioni dederat. Unde his paucis verbis ultimo respondet iis omnibus, quæ Eminentissimi Patres proposuerant: "Responsio „ Concilii. Omnibus istis conclusionibus, & earum proba- „ tionibus introductis potest responderi summarie, quod „ forte ita scriptum est in jure, ut in eis continetur; sed „ illud intelligendum est, *ceteris paribus*. Sed hic cetera non „ sunt paria, & ideo non faciunt ad propositum". Hic autem cetera non esse paria Concilium affirmat juxta distinctionem a se factam in responsione ad secundam, & tertiam conclusionem, quemadmodum etiam ex ea responsione constat, quam ad quintam conclusionem dedit.

Eminentissimi ergo Patres illud urgere non destiterunt, juris non humani, sed divini esse eam *potestatis*, & *auctoritatis praeminentiam*, quam Romana Ecclesia supra Concilia obtineret, Summumque Pontificem, ut S. Petri successorem eodem quoque divino jure tam *Romanæ*, *quam universalis Ecclesiæ caput* esse. Hæc profecto iis, quæ in decreto V. Sessionis jam constituta erant, omnino opponebantur, semel ac illa intelligi deberent de potestate, quam Concilium Œcumenicum etiam supra non dubium, & legitimum Pontificem, etiam, inquam, extra tempus schismatis haberet. In ea autem responsione, quam Patres Concilii secundæ, & tertiæ

conclusioni Cardinalium dederunt, illud observandum est, duo in mente Patrum occurrisse, quæ non sine aliqua distinctione accipi deberent. Concilii ergo *caput* Romanam Ecclesiam esse concessere, dum tamen hac sua præcellentia ad fovendum schisma non uteretur. Simili ratione ejus quidem Concilii Romanam Ecclesiam caput esse confessi fuerunt, in quo *de elidendo aliquo errore contra fidem*, vel *de exstirpanda hæresi* ageretur, non vero quando in eo aliquod schisma, quod culpa Cardinalium ortum foret, exstirpari deberet. Nullam sane distinctionem quoad utrumque caput necesse fuisset, ut adhiberent, semel ac a Concilio simpliciter definitum haberetur, Summum Pontificem Œcumenicorum Conciliorum judicio subesse, sed ab eis propositio Cardinalium simpliciter rejicienda erat auctoritate definitionis paulo ante factæ, neque ullo modo illis dandum erat, Ecclesiam Romanam caput esse Concilii, dum tamen sua auctoritate ad fovendum schisma non uteretur, aut ejus esse Concilii caput, in quo *de elidendo aliquo errore contra fidem*, vel *de exstirpanda hæresi* ageretur. Solummodo ergo ad potestatem canonicam confugerunt, ac propterea, dum de ea constaret, non negarunt, esse Divini juris *potestatis, & auctoritatis praeminentiam*, quam Romanæ Ecclesiæ, uti talem, Cardinales vindicabant, esseque etiam Divini juris, ut Romanus Pontifex Petri successor tam Romanæ, quam universalis Ecclesiæ caput foret, atque haberetur. Patres ergo Constantienses in decreto Sessionis V. respexisse ad tempus schismatis, dum Summum Pontificem Generalis Synodi judicio subjecerunt, constat etiam ex iis, quæ in VI. Sessione disputata fuisse legimus.

§. IX. Ex Sessione VIII. Concilii Constantiensis sensum decreti Sessionis V. juxta suam opinionem Bossuetius interpretari frustra conatur.

Defensionis &c. lib.5., alias 9., cap.15. tradit Bossuetius, non esse, cur sibi opponatur 8., & 41. Wiclefi propositio in Concilio damnata. Propositiones autem sunt istæ: "Si „ Papa sit præscitus, vel malus, & per consequens membrum „ dia-

„ diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo „ datam “: Et: “ Non eſt de neceſsitate ſalutis credere Ro„ manam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias “: Præter alia non eſſe quoque ut ſibi obiiciatur, ſuperaddit, a Martino V. *Inter cunctas*, præcautum fuiſſe, quemlibet de hæreſi Wiclefi, aut Huſsi ſuſpectum ita interrogandum eſſe: „ Utrum credat, quod B. Petrus fuerit Vicarius Chiſti, ha„ bens poteſtatem ligandi, & ſolvendi ſuper terram. Utrum „ credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore „ fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri, „ habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei “? Non eſſe, inquam, cur hæc ſibi opponantur, Boſſuetius inde affirmat, quia Patres Conſtantienſes Seſsione VIII. dum condemnarunt eam Wiclefi propoſitionem art. 41. expreſſam: “ Non eſt „ de neceſsitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſu„ premam inter alias Eccleſias “; ſuam ſententiam hiſce verbis explicavere: “ Error, ſi per Romanam Eccleſiam intelli„ gat univerſalem Eccleſiam, aut Generale Concilium, aut „ pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias „ Eccleſias particulares “. Iſtis autem hæc Boſſuetius ſuperaddit: “ En quam diligenter Conſtantienſes Patres, & Mar„ tinus V. loquuti ſunt: en ut *Eccleſias particulares*, non to„ tam ipſam Eccleſiam Catholicam uno ore aliquid decer„ nentem Pontifici ſubmiſerint “. Quoad Martinum V. obſervat, non juſsiſſe quæri: “ Utrum credant, quod *Papa ha„ beat ſupremam auctoritatem ſuper Eccleſiam Dei*; ſed utrum „ habeat ſupremam in *Eccleſia Dei* “.

Unde ſane factum fuerit, ut in editionibus Conciliorum etiam antiquioribus articulo 41. præcitata explicatio ſuperaddita fuerit, certo definire non auſim. Illud ſane novimus, in brevi *Summario* Concilii Conſtantienſis, quod eſt antiquiſsimum, & anno 1511. opera Zachariæ Ferrerii Abbatis Vicentini Romæ in lucem prodiit, articulo 41., non ſecus ac aliis omnibus, nullam explicationem ſuperadditam legi. At utut ſeſe res habeat, Patres Conſtantienſes certo tenuiſſe, Primatum Romani Pontificis ſuper univerſam Eccleſiam extendi, omnino perſpe-

perspectum habemus ex antiquo Ms. Codice Academiæ Lipsiensis, in quo condemnationi cujuslibet Wiclefiani articuli appositum est breve fundamentum ipsius condemnationis. Von der Hardtius hujusmodi Codicem, qui hanc inscriptionem habet: *Brevis censura Theologorum Constantiensium* 45. *articulorum Wiclefi*, nobis exhibuit tom. 3. *Rerum Concil. Constantien.* par. 12. pag. 206. & seqq. In hoc ergo Codice ad art. 41. hæc præter alia, quæ in eamdem rem faciunt, adnotata leguntur: „ Item 2. sic; Omne illud, cujus contrarium credere est hæ„ reticum, est de necessitate salutis credendum: sed Roma„ nam Ecclesiam sic credere est hujusmodi: igitur. Major „ nota est de se. Minor probatur *Distinct.* 19., ubi sic dicitur: „ *Qui non obedit statutis Romanæ Ecclesiæ est hæreticus*, & *excom*„ *municatus*. Hoc est dictum secundum Joannem ibidem: „ si talis dicat, vel credat, Romanam Ecclesiam non esse „ caput universalis Ecclesiæ, nec posse canones condere ... „ Item: omne id credendum est de necessitate salutis, ad cu„ jus judicium majores Ecclesiæ causas, ut principia fidei, „ oportet referre: sed illud est Petri Sedes, quæ est Romana „ Ecclesia: igitur. Major nota est de se; & minor probatur „ *de baptismo*, & *ejus effectu* ca. *Majores quorum*. Item 2. *Dist.* „ decreti ca. *Omnis*, ubi sic: *Omnis*, *qui Romanæ Ecclesiæ pri*„ *vilegia ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite auferre cona*„ *tur*, *hic procul dubio in hæresim labitur*, & *est hæreticus* “. Von der Hardtius citato tomo 3. non solum par. 12. refert censuras Theologorum ad singulos Wiclefi articulos ex Ms. Academiæ Lipsiensis, sed etiam par. 13. pag. 212. & seqq. ex tribus antiquis Mss. Cæsareo Vindobonensi, & duobus Academicis Lipsiensibus affert Theologorum Concilii Constantiensis diffusam condemnationem 45. articulorum Wiclefi. Quoniam vero ex hac condemnatione Theologorum magis magisque constat, quænam fuerit Catholicorum etiam in ipso Concilio Constantiensi sententia de auctoritate supremæ Sedis super universam Ecclesiam, nonnulla alia hic exscribenda censemus. In condemnatione ergo articuli 37. præter cetera, quæ brevitatis gratia omittimus, hæc leguntur: “ S. Petrus

„ fuit

„ fuit proximus, & immediatus Vicarius Christi, in suprema, „ & altissima auctoritate, & potestate Ecclesiastica ... regendi, „ pascendi, & dirigendi universas oves Christi in terris, „ in universa materia Cathotica, & Ecclesiastica. Regendi, „ dico, pascendi, dirigendi &c. canonice, juridice, legitime. In hoc certe summo principatu, & summa auctoritate, „ potestate, & dignitate sic legitime canonice principandi, „ fuit S. Petrus immediatus, & proximus Vicarius Summi „ Principis Christi, quum sibi, & non Sanctæ Mariæ fuerit „ dictum: *Tibi dabo claves regni cælorum &c.* Et item fuit sibi „ non partialiter, & particulariter, sed indefinite, & indifferenter dictum: *Pasce oves meas*, non particulariter *illas*, „ vel *istas*, sed indifferenter *has*, *illas*, & *istas*. Et quia talem „ principatum oportet continue remanere in terris pro regimine regni cælorum super terram, qui Papæ, & nulli alteri inest, juxta securam credulitatem communitatis Christianorum, communitatis omnium Ecclesiarum in terris, „ communitatis sapientum Ecclesiasticorum, communitatis „ sapientum Scholasticorum: igitur Papa est proximus, & immediatus Vicarius Summi Principis Christi, secundum illum „ Principatum summum in terris, sicut fuit S.Petrus". Hisce necesse non est, sicuti revera possemus, ut alia superaddamus, quum ex eis abunde constet, omnino aliter sensisse Patres, ac Bossuetius vellet.

Semel ac autem suprema in Summo Pontifice potestas statuatur; vel in Ecclesia eam Summum Pontificem habere dicamus, quatenus suum Principatum in Ecclesia habet, in qua & ipse quoque uti supremum caput illius continetur, vel super Ecclesiam, quatenus omnes, & singulas oves sibi subjectas habet, nihil ad rem nostram refert. Supremum enim in eo genere, in quo supremum est, nec sibi æquale, & multo minus superius patitur (1). Quum ergo Martinus V. voluerit, ut de Wiclefi, & Hussi hæresi suspecti interrogarentur, utrum supremam in Summo Pontifice potestatem admitterent, id sane exquisivit, quod ad nostram sententiam magis

(1) Lib.20. cap.3. §.1. & seq.

magis magisque confirmandam sufficientissimum est, frustraque Bossuetius talem in his vocibus: *in Ecclesia*, *& super Ecclesiam* distinctionem ponit, ut per eam omnino destruat notionem ejus, quod supremum dicitur.

§. X. Ex capite: *Frequens*, capite: *Si vero*, & capite: *Quanto Romanus Pontifex* Sessionis XXXIX., sicut etiam ex articulis Reformationis Sessionis XL. inferri non debet, quod Bossuetius vellet.

Defensionis &c. lib.5., alias 9., cap.36., & seqq. Bossuetius illud urget, in cap. *Frequens* præcitatæ Sessionis, multa a Patribus decreta fuisse, quæ Romani Pontifices servare deberent: " Primum enim (inquit) decernit, ut Summus Pon„ tifex certis temporibus, & quocumque decennio Synodum „ Generalem habeat: deinde ut in fine cujuscumque Con„ cilii futuro Concilio locum *assignare teneatur*: tum ne id „ faciat, nisi *consentiente*, *& approbante Concilio*: postea ut „ *ad defectum Pontificis* ab ipso Concilio is locus assignetur, „ valeatque convocatio etiam sine Pontifice facta a Concilio: „ postremo ut Pontifex tempus Concilio præstitutum abbre„ viare quidem possit, non prorogare ". Ex his vero infert, legem a Concilio præstitutam fuisse non dubiis Pontificibus, atque tempore schismatis, sed certis, & legitimis, quia in Sessione V. jam decretum habebatur: *Quemlibet quacumque dignitate*, *Papali etiam*, *cuilibet Concilio Generali subjectum esse*. Hoc vero inde confirmat, quia in capite *Si vero* ejusdem Sessionis, in quo Patres ad schisma, quod futurum esse posset, respiciunt, schismatis distinctam mentionem habent, contra ac in aliis decretis fecerunt. Ex eo autem, quod cap. *Quanto Romanus Pontifex* Patres decreverint, fidei professionem coram suis Electoribus a Summo Pontifice faciendam esse, suam sententiam confirmari arbitratur. Illud quoque urget ante electionem Pontificis 18. articulos de Reformatione a Synodo constitutos fuisse, quibus Summo Pontifici præscribebatur, ante dissolutionem Synodi *reformare Ecclesiam in capite*, *& in membris*, *& curiam Romanam*.

Hisce omnibus antequam respondeamus, illud observa-

tione

tione dignum occurrit, Benedicto sententia Concilii e Pontificatu semel dejecto, Sigismundum, quam jam antea in animo sibi proposuerat, reformationem Ecclesiæ urgere non destitisse, & quidem faciendam ante electionem novi Pontificis, effecisseque propterea, ut eligerentur " Viri litteratissimi „ ex omnibus nationibus, qui nomine totius Ecclesiæ Reformationem totius status Ecclesiastici ordinarent, ac conscriberent ", quemadmodum Gobelinus Persona tradit in *Cosmodromio* ætate 6. cap. 99. Huic reformationi faciendæ ante electionem Pontificis Cardinales obstitere, & electionem Pontificis primo loco peragendam esse propugnarunt. Inde vero contigit, ut *Reformatores* in exequutione injuncti sibi muneris moras interposuerint, atque dissensio orta fuerit inter Sigismundum Germanicamque nationem, & inter Cardinales, atque ceteras nationes, volentibus illis, ut reformatio electioni Romani Pontificis præmitteretur, istis contra pugnantibus: " Illis (hoc est electis Reformatoribus, inquit Gobelinus Persona citato loco) moram in hoc facientibus, orta est „ seditio inter Sigismundum, & nationem Germaniæ parte „ ex una, & ceteras nationes parte ex altera. Rege cum suis „ volente, quod priusquam ad electionem Pontificis procederetur, fieret reformatio Ecclesiæ tam in capite, quam „ in membris: ceteris contendentibus ex adverso, quod „ prius procederetur ad electionem Papæ, per quem reformatio Ecclesiæ esset deducenda ad effectum ". Tota natio Itala, Gallicana, & Hispana, paucis exceptis, qui tamen postea convenere cum ceteris, in sententiam Cardinalium confestim ivit: Cæsar tamen una cum Germanis, & Anglis in suo proposito perstitit. Nec solum verbis hac de re disputatum fuit, sed etiam scriptis, & quidem plus quam par erat, acrioribus. Nam tum ipse Cæsar, tum Germani, & Angli in quadam, uti tradit Von der Hardtius, *Aculeata Disputatione* hæreseos inde accusati fuere, quia reformationem electioni Summi Pontificis præmittendam tuebantur, & Cardinales, atque nationes consentientes cum illis publice edixerunt, se nunquam consensuros in hujusmodi reformationem ante

electionem Summi Pontificis. Nam uti habetur apud Von der Hardtium, " In congregatione nationum in templo Ca-
" thedrali die 11. Septembris persequuti Cardinalium, &
" trium nationum, Italicæ, Hispanicæ, & Gallicæ deputati
" protestationem nudiustertius cœptam contra reformatio-
" nem electioni Papæ præmittendam ". Ob hæc omnia factum fuit, ut Cæsar graviter offenderetur, consiliumque cœperit tenendi sub custodia nonnullos Cardinales, atque Præsules, qui contrariæ sibi factionis auctores exstiterant. Tamen Cardinales a sua sententia non recesserunt, & gestatione pilei rubei coloris se potius martyrium subituros præsetulerunt, quam in reformationem Ecclesiæ ante electionem Summi Pontificis consentirent. Scriptis contra se editis natio Germanica respondit, &, sicuti Von der Hardtius ex præclaro Ms. Berolinensi refert, " Ultra tres menses ventilata acriter quæstio
" de universæ Ecclesiæ salute inter Cæsarem, & Cardinales ".

Rebus ita se habentibus, Robertum Sarisberiensem Episcopum mori contigit: quo sane defuncto, Anglicana quoque natio in sententiam Cardinalium ivit. Idem tandem fecit & Germanica natio ad hoc inducta per duos Episcopos, qui consilio Cardinalium acquieverunt. Tunc vero " Cæsar vi-
" dens se derelictum, invitus in proximam Papæ electionem,
" reformatione licet nondum peracta, consensit quidem, ast
" cum conditione: si decreto publico caveretur, ac graviter
" ediceretur, quod Pontifex novus statim a sua electione
" ad reformationem præstandam se componere deberet, juncta
" Concilii opera, nec antea Constantia emigrare, quam re-
" formatio absoluta esset ". Hæc Von der Hardtius *Rerum Concil. Constant.* tom.4. par.11. (1), qui etiam, quæ hac de re usque modo disseruimus, ex antiquis Mss. Codicibus in medium protulit.

Hisce compositis Sessio XXXIX. habita fuit, in qua, uti ex Ms. Vindobonensi Dorriano idem Von der Hardtius habet:
" Sunt lecta per modum decreti capitula conclusa, & concor-
" data per omnes nationes, scilicet de futuris schismatibus
" præca-

(1) A pag.1395. usq. ad 1431.

„ præcavendis, de juramento Papæ, de futuris Conciliis celebrandis“. Qua autem ratione in ista Sessione per modum decreti hæc constituta fuerunt; ita etiam Sessione XL. quosdam articulos præscriptos legimus juxta *Reformatorium* a nationibus antea exhibitum, quos Summus Pontifex in reformanda Ecclesia una cum Concilio sequuturus esset.

Cardinalium itaque, nationis Italæ, Hispanæ, & Gallicanæ mens semper una fuit, ut, quemadmodum Gobelinus Persona tradidit: „ Prius procederetur ad electionem Papæ, „ per quem reformatio Ecclesiæ esset deducenda ad effe„ ctum“. Huic sententiæ etiam Anglicana, & Germana natio sese postmodum conformarunt, & eo tandem deventum communi consensione fuit, ut Pontificis electio fieret, antequam aliqua reformatio in Ecclesia institueretur. Tamen ne auctoritatem Cæsaris sprevisse viderentur, in eo esse illi annuendum Patres censuerunt, ut ante electionem Summi Pontificis decretum fieret de habendis Conciliis, de Schismatibus præcavendis, deque juramento a Summo Pontifice emittendo. Hujusmodi ergo decreta Patres ediderunt, ut Cæsari obsequerentur, non vero ut iisdem quasi quamdam obligationem futuro Pontifici imponere se posse arbitrarentur. Nam ex eo quod Pontificis esse viderent, *Ecclesiæ reformationem ad effectum deducere*, quemadmodum ex Gobelino Persona novimus, in ea semper sententia perstiterunt, ut electio Pontificis Ecclesiæ reformationi præmitteretur. Qua ergo ratione a Magistratibus sæcularibus, qui superiori potestati subjecti sunt, quædam aliquando decernuntur, quæ nonnisi per superiorem potestatem, & robur, & vim habent, & exequutioni mandari possunt, eaque propterea huic superiori potestati liberum est, tam sequi, quam non sequi; ita Patres ut Cæsari aliqua ratione morem gererent, nonnulla hac in Sessione decreverunt, quæ per Summum Pontificem ad effectum deducenda forent, eaque sequi, vel omittere in potestate illius repositum foret.

Idem quoque de illis articulis dicendum est, quos Patres in XL. Sessione constituerunt. Nam in iis determinarunt

 ipsi

ipsi quidem illa, ad quæ a futuro Pontifice una cum Concilio attendendum foret in Ecclesiæ reformatione peragenda; verum nullam inde necessitatem Summo Pontifici imponere præsumpserunt. Nam ipsi per se hanc reformationem aggredi tantopere non restitissent, si ad eam Pontificem se adigere posse putassent.

Et re quidem vera Martinus V, Sessione XLIII. multa quidem de Exemptionibus, fructibus percipiendis, simonia, dispensationibus, decimis, vita, & honestate Clericorum, sacro approbante Concilio, disposuit: nam uti tradit Von der Hardtius (1) ex Ms. Brunsvicensi " Guilielmus Cardinalis „ S. Marci in Ambone de mandato dicti Domini nostri Papæ „ ipsi Sessioni præsidentis, & Synodi generalis legebat, & pu„ blicabat *pro reformatione Ecclesiæ* nonnulla decreta, statuta, „ & ordinationes, de cetero servandas per personas Eccle„ siasticas ". At vero in omnibus hujusmodi sanctionibus Martinus V. ea loquendi ratione utitur, quæ supremo legislatori convenit. Absolute enim revocat, constituit, decernit, atque etiam excommunicationem indicit. Nationes autem Martini V. decretis suum assensum præbuere, quodque ipsæ in Sessione XXXIX. statui petierant, perfectum esse pronuntiarunt (2).

Fuerant quoque a Concilii Patribus 18. articuli constituti, ad quos attendendum esset a Summo Pontifice in Ecclesiæ reformatione peragenda. Verum anne Martinus V. eorum omnium rationem habuit, vel quoad singulos aliquid novi constituit, aut in iis, quæ decrevit, auctoritate supremi legislatoris usus non fuit? Nonnulla tantum hac de re tota nunc commemorabimus, quæ ex Ms. Cæsareo Vindobonensi, & Ducali Gothano Von der Hardtius refert (3). Ad art. 1. de numero, qualitate, & natione Dominorum Cardinalium " Papa decrevit, non fore ultra 24., nisi ex causa, „ & propter honorem nationis, quæ Cardinalem non habe„ ret ".

(1) Tom. 4. *Rerum Concil. Constant.* par. 11. pag. 1535. (2) Vide Von der Hardtium cit. loco. (3) Tom. 1. *Rerum Concil. Constant.* par. 22. pag. 1021. & seqq.

„ ret “. Ad articulum 6. & 7. de causis in curia Romana tractandis, vel non: “ Papa decrevit, cetera, quæ de jure ad „ curiam non pertinent, in ea non tractari “. Ad articulum 11. de fructibus medii temporis, respondit “ quandoc „ Ecclesia vacat, Papa juris, & consuetudinis, & privilegii „ dispositioni relinquit “. Ad articulum 13. propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi; “ Nihil respondit “. Ad articulum 15. de dispensationibus: “ Omnes revocat præter il- „ las, quæ secundum formam c. *Quum ex eo* factæ sunt “. Demum ad articulum 16. de provisione Papæ, & Cardinalium, ita statuit: “ Non videtur aliter fore providendum, quam „ huc usque provisum est, scilicet per beneficia, & servitia „ communia “.

Edixisse quoque Patres in Sessione XXXIX. novimus fidei professionem, quæ coram se ab electo Pontifice fieri deberet: utrum vero Martinus V. eam fecerit, compertum non habemus. Iis, quæ Von der Hardtius quoad historiam Concilii Constantiensis ex Codicibus Mss. collegit, nihil uberius desiderari potest: omni tamen adhibita diligentia, hujusmodi professionis a Martino factæ mentionem ab illo fieri, comperire nunquam potui.

Ex his autem omnibus unicuique constare posse arbitramur, tam si ad Patrum Constantiensium sententiam attendatur, quam si Martini V. agendi ratio spectetur, quod æquo jure colligi non potest, aut debet, ex Sessionibus XXXIX., & XL., Bossuetium uti rem certam, atque omnino indubitatam colligere.

§. XI. Decretum Sessionis V. Concilii Constantiensis, de quo nunc agimus, uti a Synodo Œcumenica profectum haberi non debet.

Nunc ergo de auctoritate decreti V. Sessionis. Ut quod Adversarii nostri volunt, ex eo recte inferatur, duo sane constare deberent: 1. illud ab Œcumenica Synodo profectum fuisse: 2. auctoritate Apostolica confirmatum: quod utrumque ipsi uti certum habent. Nam in 2. cap. Gallicanæ Declarationis ita constitutum legimus: “ Valeant, & immota consi- „ stant

„ ſtant ſanctæ Œcumenicæ Synodi Conſtantienſis a Sede Apo„ ſtolica comprobata . . . decreta “ . Prius in hoc §. refutabimus , in ſequenti alterum .

Uti ſchiſmaticos haberi non poſſe , & revera habitos non fuiſſe illos , qui Gregorii XII. , & Benedicti XIII. partibus adhærebant , non ſolum poſt habitum Piſanum Concilium , ſed etiam poſtquam Conſtantiæ ſimul in unum ii convenere , qûi Joannis XXIII. partibus adhærebant , atque ab eis inter alias Seſſio IV. , & V. habita fuerat , nunc uti certum jure quodam noſtro aſſumimus ; quum id jam oſtenderimus (1) . Quo ſemel poſito , ea ſane ratio omnino ruit , ob quam Adverſarii noſtri (2) contendunt , Conſtantienſe Concilium fuiſſe Œcumenicum etiam dum ab eo abfuerunt , qui ad obedientiam Gregorii , & Benedicti ſpectabant . Neque eſt , cur ad quamdam indulgentiam referant , quod a Patribus Conſtantiæ congregatis cum iis ſervatum legimus , qui Benedicto , & Gregorio adhærebant , ſimilique indulgentia opponant uſos tum Patres Africanos cum Donatiſtis jam prædamnatis , cum quibus diſputationem ea conditione inſtituerunt , ut ſi demonſtrarent in ſola parte Donati Eccleſiam remanſiſſe , ſe quoque eorum conſilium ſequuturos : tum S. Cyrillum Alexandrinum erga Joannem Antiochenum , atque alios Orientales , cum quibus pacem iniit nulla facta mentione ejus ſententiæ , quæ contra illos in Epheſina Synodo lata fuerat : tum S. Gregorium Magnum , qui in epiſtola ad Theodelindam mentionem non fecit Synodi V. , ne illam offenderet : tum demum Martinum V. erga Ægidium Munionem , qui in defendendo nefario ſchiſmate Petri de Luna ſucceſſor exſtiterat .

Quandoquidem horum omnium exemplorum diſpar ſane ratio eſt . Nam de condemnatione Donatiſtarum omnes certi erant , nulluſque de ea dubitabat : indulgentiæ ergo tribuendum ,

(1) Vide hujus lib. cap.3. §.6. , & cap.4. §.6. (2) Boſſuetius *Defenſionis &c.* lib. 5. , alias 9. , cap. 21. , Arnaldus *Eclairceſſemens &c.* cap.17. , Natalis ab Alexandro in *Hiſt.Eccleſiaſt.* ſæc.xv. & xvi. Diſſert.4. art.1. §.8. num.80. , & Maimburgus *Traité Hiſtorique de l' Egliſe de Rome* chap. 23.

dum, ad disputandum iterum admissos fuisse, atque interim non factam mentionem eorum decretorum, quæ contra illos lata fuerant. Pacem quidem cum Joanne Antiocheno, & aliis Orientalibus Cyrillus iniit; verum hisce conditionibus, ut anathema Nestorii doctrinæ dicerent, illius depositioni assentirentur, ac Maximiani ordinationem ratam haberent. In eo ergo Cyrillus cum Joanne Antiocheno, & Orientalibus indulgentia usus, quod " Quum Paulus Emissenus Joannis Antio-
" cheni, & Orientalium propositum excusasset, (uti inquit
" Natalis ab Alexandro) illosque paratos esse affirmasset ad
" prava Nestorii dogmata anathemate confodienda, & ad sub-
" scribendum ejus depositioni, & Maximiani ordinationi;
" charitatis, pacisque Ecclesiasticæ causa purgationem admi-
" sit, Paulumque, his per se impletis conditionibus, ad syna-
" xim recepit S. Cyrillus, ut ipse testatur in epistola ad Do-
" natum Nicopolitanum (1) ". Quapropter licet Cyrillus Orientales non adegerit: " Ad retractanda capitula, quæ suis
" contra Nestorium anathematismis ab eadem sacra Synodo
" probatis opposuerant, nec ad revocandas calumnias in eis
" sparsas contra doctrinæ suæ integritatem "; (hoc vero est, quod Natalis loco supra citato urget; indeque infert similem indulgentiæ rationem etiam a Patribus Constantiensibus adhibitam) adegit tamen ad profitendum id, quod antea negabant. Qua vero ratione S. Gregorius cum Theodelinda Regina Longobardorum sese gesserit, ab eodem Natali explicatum habemus *Hist. Ecclesiast.* cap.3. art.1. §.2. " Scripsit (inquit)
" etiam ad Theodelindam Longobardorum Reginam S. Gre-
" gorius, quæ a schismaticis seducta se a Constantii Mediola-
" nensis Episcopi communione segregaverat, quod illa tria
" capitula damnasset. Hæc ad Reginam epistola data, est
" epist.4. lib.3., qua Synodum V. defendit, & commendat.
" Quum autem a Constantio intellexisset S. Pontifex Syno-
" di V. mentione, & commendatione Reginam tunc temporis
" offen-

(1) Vide Natalem ab Alexandro *Hist. Ecclesiast.* sæc. v. cap.3. §.8., & Christiànum Lupum tom. 2. *Synod. General.* Dissert. de Concilio Ephes. cap.6.

„ offendi poſſe ; alias ad ipſam litteras dedit, in quibus pru„denter ſiluit de V. Synodo. Quatuor autem Synodos Œcu„menicas recipere ſe, & prædicare profeſſus eſt, dicto illi „anathemate, *qui eorumdem quatuor Synodorum, maxime au„tem Chalcedonenſis, de qua quibuſdam imperitis hominibus nata „eſt ſuperſtitionis occaſio, fidei addere, vel demere præſumit*. „Datæ ſunt hæ litteræ an. 594. Depoſuit tamen errorem „Theodelinda, quum intellexiſſet Synodum V. Chalcedo„nenſis fidem Concilii nullatenus convellere“. Facti ergo error ille fuit, quem S. Gregorius ad tempus in Theodelinda diſſimulandum cenſuit, ne bona majora impediret. Martinum V. opera Petri Cardinalis Fuxenſis curaſſe, ut inter ſe, & Alphonſum Regem Aragonum fœdus iniretur, ſeu confirmaretur, indeque factum fuiſſe, ut Ægidius Munio, illius protectione deſtitutus, ornamenta *Pontificalis dignitatis*, ſpectantibus omnibus, depoſuerit, atque Martinum V. tum de confirmato fœdere cum Rege Aragonum, tum de abdicata Pontificia dignitate ab Ægidio Munione, quam tamen præter omnia jura retinebat, certiorem factum, valde lætatum fuiſſe; hæc vero ſunt, quæ ex Rainaldo, quem Boſſuetius citat, ad an. 1429. num. 1. novimus.

Nihil ſane iſtorum Adverſariis noſtris adjumento eſſe poſſe, nemo non videat oportet. Nam non indultum in Synodo Conſtantienſi, ut eorum, quæ in Piſana Synodo decreta fuerant, nulla mentio fieret, ſed hujuſmodi decretorum nulla omnino ratio habita fuit. Quandoquidem non ſecus ac Joannes XXIII. fecerat, etiam Gregorius XII., & quidem publice, Synodum indixit, auctoritatemque iis omnibus ſeſe adiicere pronuntiavit, quæ per illud decernenda forent (1). Convocatio Synodi ab iis quoque facta fuit, qui ad obedientiam Benedicti pertinebant (2). Uno verbo: quamvis duæ obedientiæ Gregorii XII., & Benedicti XIII. nunquam Joanni XXIII., qui Clementi V. electo in Piſano Concilio proxime ſucceſſerat, ſeſe ſubjecerint; tamen non ſecus, ac obedientia Joannis XXIII., poſtquam huic illæ ſeſe, nullo modo ſua

(1) Vide Seſſionem 14. (2) Vide Seſſ. 35.

sua pristina adhæsione retractata, conjunxerunt, eamdem auctoritatem in Concilio habuerunt, & exercuerunt. Hoc autem uno semel posito, quamvis alia non haberemus, recte inferre possemus, Constantiense Concilium in IV. & V. Sessione Œcumenicum non fuisse. Verum alia quoque suppetunt nobis, quibus eadem de veritate constat.

Quandoquidem Gregorii partibus adhærebant regnum Siciliæ, atque Neapolitanum, tota Romania, ejusque Princeps Carolus de Malatestis, celebres quoque Germaniæ Episcopatus Wormatiensis, Spirensis, atque Werdensis cum Duce Bavariæ, atque aliis, qui, quoad usque dignitatem Pontificiam non abdicavit, Gregorio paruerunt. Benedicti partes sequebantur quatuor integra regna, hoc est, Scotia, Navarra, Castella, & Arragonum, quorum Reges una cum celeberrimis totius Hispaniæ Academiis, & Ecclesiis Concilium uti Œcumenicum ante Sessionem XXXVII. habere noluerunt, prout in ipso Concilio Constantiensi coram Patribus, nemine illorum contradicente, protestati fuere. His autem si superaddantur Dux de Fuxo, & Armeniaco cum populis Bearnæ illi subjectis, insulæ Majoricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, qui Benedictum, & Joannes Dominicus Archiepiscopus Ragusinus cum aliis, qui Gregorium sequebantur, profecto constabit, Constantiense Concilium in IV. & V. Sessione Œcumenicum nullo modo fuisse (1). Quid? Anne omnes, qui ad Joannis XXIII. obedientiam spectabant, anne Joannes XXIII. decretis IV. & V. Sessionis assensum præbuerunt? Profecto Cardinales tam Sessione IV., quam V., atque in hac una cum Cardinalibus etiam Legati Regis Galliæ semper obstiterunt, ne in eis hæc edicerentur: *ad reformationem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris* (2). Inde autem obstiterunt, quia absque matura deliberatione, & absque prævio examine adjecta fuerant (3). Hinc est, ut contra decreta V. Sessionis etiam *reclamaverint plures Prælati, & Do-*

(1) Vide Schelstratium in Tract. *de sensu, & auctoritate &c.* Differt. 2. cap. 3. (2) Vide hujus lib. §. 3. & *6.* (3) Vide Schelstratium in Tract. *de sensu, & auctorit. Decret. Conc. Const.* Differt. 2. cap. 3. ex Mss. Codicibus id ostendentem.

& Doctores, quemadmodum sese audivisse a viris magnæ auctoritatis, qui Concilio Constantiensi interfuerunt, Roderigus Calaguritanus Episcopus in Dialogo *de Auctoritate*, *& potestate Romani Pontificis* testatur; ut *plures Patres doctissimi illius obedientiæ* (Joannis XXIII.) *illis* (decretis Sessionis IV. & V.) *non præstiterint consensum*, *aut assensum suum*, sicut Joannes de Turrecremata in *Summa de Ecclesia* lib.2. cap.99. tradit.

Nunc paucis videamus, utrum Joannes XXIII. prædictis decretis obstiterit. Illud quidem certum est, Joannem, dum se pro indubio, atque certo Pontifice haberi voluit, sententiæ illorum semper obstitisse, qui Concilio auctoritatem aliquam supra ipsum tribuebant (1). Quum vero Alliacensis, recurrente schismate, uti tunc contingebat, de Joanne judicium institui posse contendisset, sicuti ipse fatetur in Tractatu *de auctoritate Cardinalium*, incidit *in grave*, *& periculosum odium dicti Joannis Papæ*, qui se pro indubitato Pontifice habendum, & a Concilio cogi non posse tuebatur. Hinc est, quemadmostum refert Cardinalis Turrecramata, qui junior Constantiensi Concilio interfuit, in *Summa de Ecclesia* lib. 2. cap.99., ut " Dominis Oratoribus Regis Franciæ visitantibus „ eum, amaro animo conquestus fuerit Joannes, falsa quædam, & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis „ decreta per æmulos suos post recessum ejus (a Constantia) „ esse conclusa ". Modo ita: si Natalem ab Alexandro audiamus in *Hist. Ecclesiast.* sæc. XIII., & XIV. Dissert.5. art.3. num.16. dubitari potest, utrum I. Lugdunense Concilium fuerit Œcumenicum, quia " De regno Hungariæ, quæ pro maxima sui „ parte a Tartaris vastata erat, nulli venerint Episcopi, nulli „ ex Germania bello Imperiali perturbata, nullus ex Terra „ Sancta præter Berytensem Episcopum ". Bossuetius autem *Defensionis &c.* lib. 7., alias 12., cap. 29., Toletanos Patres ab omni nota temeritatis absolvit, quia ad VI. Synodum non vocati; *tanta*, ut ipse inquit, *Ecclesiæ pars*, eam, uti Œcumenicam, suscipere recusaverint. Quapropter juxta eos, quos

(1) Vide quæ ex duobus Mss. Victorinis Codicibus refert Schelstratius in Tract. *de sensu*, *& auctorit. Decret. Conc. Constant.* Dissert.2. cap.2.

quos tamen hac in re, de qua agimus, adversantes habemus, multo magis Synodum Constantiensem, & in aliis, & in Sessionibus IV. & V. Œcumenicam non fuisse potiori jure, dicendum erit. Ab ea enim non unius, aut alterius regni, non unius gentis, populi, atque nationis Præsules, sed plurimorum regnorum, gentium, atque nationum, quamvis nullis impediti difficultatibus absfuerunt, quia sicuti qui Constantiæ convocati fuerant, Joanni XXIII., ita ipsorum quidam Gregorio XII., alii Benedicto XIII., adhærendum censuere, neque per hoc, in aliquam suspicionem schismatis incurrerunt, quemadmodum jam animadvertimus. Quid vero dicendum, si ei decreto, de quo nunc agimus, IV., & V. Sessionis, eorum quoque plures dissenserunt, qui hisce Sessionibus interfuere, sicuti revera contigisse jam ostendimus? Si uti constat ex quatuor Mss. Codicibus, Legati Regis Arragoniæ (1) dixerunt: "Quod quidem vellent se unire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium"? Si, uti constat ex iisdem Codicibus, Rex, & Regina Castellæ ad Constantienses litteras dederunt cum hac inscriptione: *Ad Congregationem quatuor nationum in Constantia*: eæque litteræ cum hac inscriptione coram Patribus Concilii lectæ fuerunt, nullamque ipsi sibi injuriam fieri putarunt, quia in eis titulus Concilii Generalis omissus foret? Si Gregorius XII. una cum sua obedientia Patribus Constantiensibus in XIV. Sessione sese unire noluit, nisi improbata convocatione Synodi, quæ a Joanne XXIII. facta fuerat, & altera a se indicta Concilii convocatione (2)? Si ipsum Concilium juxta concordata Narbonæ Sessione XXII. tertiam convocationem admisit (3)? Quare quod se Œcumenicam Synodus ipsa Constantiensis vocaverit etiam in Sessione IV. & V. Adversarios nihil juvat, quoniam hac in re contradicentes semper habuit, quibus numquam obstitit, & aliunde ex facto ipso, in quod sane non semel consensit, se Œcumenicam non esse satis ostendit. Hac ergo de re ex iis, quæ usque modo disputavimus, unicuique

 omni-

(1) Vide Schelstratium cit. Differt. cap.3. (2) Vide Bullas Gregorii tom.16. Concil. edit. Venet. col.224. & seqq. (3) Cit. tom. col.47.

omnino perspectum esse debere arbitramur, quod nos modo contendimus, dum tamen contra apertam veritatem agere non voluerit.

§. XII. Martinus V. non confirmavit sua auctoritate sæpe memoratum decretum V. Sessionis Concilii Constantiensis.

Hac de re dubitare non sinit ea loquendi ratio, qua Martinus V. in sua confirmatione usus fuit. Nam Sessione XLV. palam edixit (1): " Se omnia, & singula determinata, con„ clusa, & decreta in materiis fidei per Concilium Constan„ tiense conciliariter, tenere velle, ipsaque sic conciliariter „ facta approbare, & ratificare, & non aliter, & non alio „ modo ". Hæc Martinus V., dum Legati Poloniæ contentiose urgebant, ut quidam liber Joannis a Falkenberg a nationibus, & Cardinalibus jam proscriptus, etiam in publica Sessione damnaretur, aut jam damnatus solemniter promulgaretur. Martinus ergo in hac sua declaratione, & solummodo *decreta fidei*, *& conciliariter* facta sese approbare, & ratificare decernit. Bullam quoque edidit Martinus V. *Inter cunctas pastoralis curæ sollicitudines*, quam in collectionibus Conciliorum canoni 45. subnexam videmus, indeque factum, sicut Schelstratius autumat in Tract. *de sensu, & auctorit. Decret. Conc. Constant.* Dissert.3. cap.4., ut multi putaverint, Martinum V. hac Bulla confirmasse condemnationem articulorum Joannis Hus, & Hieronymi de Praga. Verum hanc Bullam Martinus V. edidit pro Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, eaque iisdem rationem præscripsit, quam contra hæreticos servare deberent, sicuti ex illius lectione constat (2). Bulla ergo, qua Martinus V. Acta Concilii Constantiensis confirmavit, ea sane est, quam felici auspicio in Vaticana bibliotheca Schelstratius adinvenit, quæ incipit: *In eminentis Apostolicæ dignitatis specula* (3). In hac ergo facta commemoratione eorum, quæ contra errores Joannis Wiclefi, & Joannis Hus, ac Hieronymi de Praga in Concilio Romano Joan-

(1) Tom.16. Concil. edit. Venet. colum 746. (2) Vide Von der Hardtium tom.4. *Rerum Concil. Const.* par.12. pag.1518. (3) Tom.16. Concil. edit. Venet. colum.765.

Joannes XXIII. decreverat, deinde ſtatuta Concilii Conſtantienſis circa propoſitiones Wiclefi, Hus, nec non errorem Bohemorum de communione ſub duplici ſpecie refert, atque his verbis confirmat: " Nos igitur declarationes, decreta, „ definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſta- „ tuta, nec non condemnationes, & ſententias, ſupraſcri- „ pta rata habentes, & grata, illaque auctoritate Apoſtolica „ ex certa ſcientia tenore præſentium confirmantes, & præ- „ ſentis ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoque „ omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates juris „ in procedendo non ſervatas intervenerint in eiſdem, volu- „ mus etiam, & eadem auctoritate decernimus, quod decla- „ rationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibi- „ tiones, ſtatuta, nec non condemnationes, & ſententiæ, „ præinſerta plenam vim, plenumque robur, & vigorem per „ omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hæ noſtræ lit- „ teræ plene ſufficiant, quandocúmque, & ubicumque eas „ ſive in judicio, ſive alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi ". Nunc ita: Martinus V. indiſcriminatim primo quæ concluſa eſſent *conciliariter*, & *in materiis fidei*, approbavit, & rata habuit: deinde hæc ipſa in materiis fidei recenſuit, & ſunt errores Wiclefi, Hus, & Bohemorum: condemnationem de iſtis jam factam Apoſtolica auctoritate confirmat, ſuo ſcripto communit, ſupplet defectus juris, ſi qui forte irrepſerunt, decernitque, ut declarationes &c. *plenam vim*, *plenumque robur*, *& vigorem per omnia habeant*. Sua ergo confirmatione Martinus & quæ fidei ſunt, complexus fuit, & iſta eſſe illa, quæ ſpectabant ad prædamnatos errores Wiclefi, Hus, & Bohemorum, diſtinctis verbis expreſſit. A ſua ergo confirmatione decretum V. Seſſionis omnino excluſit: nam illud, quæ fidei ſunt, in ſe non complectebatur: immo vero contra Seſſionis V. definitionem, qua Summus Pontifex Concilii definitionibus ſubdebatur, Martinus ſua auctoritate ſuper illa uſus fuit. quæ contra errores Wiclefi, Hus, atque Bohemorum definita habebantur. Nam ſi quis negaverit. hoc manifeſte, aperteque præſeferri illis verbis, quæ Martinus in ſua confir-

confirmatione adhibuit, non video ſane, quid negare non poſſit.

Nunc pauca de decreto V. Seſſionis, videamuſque, utrum illud ad materias fidei revocari poſſit: fuiſſe ergo œconomicum, & accomodatum ad tempus ſchiſmatis, eſt jam pluribus oſtenſum a nobis (1). Quæ autem ſunt accomodata temporibus ſub fidem, quæ una, atque eadem ſemper eſſe debet, cadere non poſſunt, ſicuti nemo non novit. Deinde illud decretum ad fidem referri non poſſe, inde quoque conſtat, quia in ſe nihil eorum habet, quod cum decretis fidei conjungi debet: neque enim pro hæreticis habentur, qui contra docuerint, neque eis anathema dicitur, aut infligitur pœna excommunicationis, ſed *per modum Synodalium conſtitutionum* ab Epiſcopo Poſnanienſi promulgatum fuit: *Aviſamenta* autem *in materia fidei* idem ipſe vocavit, quæ contra Wiclefum, & Hus decernenda erant (2). Poſtremo, ut alia omittamus, hujuſmodi decretum in Martini confirmatione non ſolum nullo modo includi poſſe, ſed etiam ab ea omnino excludi debere, nullus ſane dubitaverit, ſemel ac ad eam rationem advertat, quam cum Legatis Polonis Martinus V. ſervavit. Nam in publico Conſiſtorio die Jovis 10. Martii an. 1418. Martinus V. damnavit appellationem Legatorum Polonorum a Papa ad futurum Concilium. Hujus Conſiſtorii, & Bullæ in eo editæ mentionem facit Gerſonius in Opuſculo inſcripto (3): *Quomodo, & an liceat in cauſis fidei a Summo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare.* Hæc autem verba Conſtitutionis in medium adducit: “ Nulli fas eſt a ſupremo judice, vi„ delicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, Jeſu Chri„ ſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis „ fidei quæ, tamquam majores, ad ipſum, & ad Sedem Apo„ ſtolicam deferendæ ſunt, declinare “. In *Dialogo Apologetico* (4) hæc ſuperaddit: “ Appellationi (Polonorum) quum „ reſpondendum eſſet, lecta eſt, ut dicitur, in Conſiſtorio „ ge-

(1) Hujus cap. 5.7. & 8. (2) Vide Von der Hardtium tom. 4. *Rerum Conc. Conſtant.* Seſ. Gener. 5. pag. 97. & ſeqq. (3) Tom. 2. Operum ejus editionis Dupinii. (4) Citato tomo.

„ generali, & publico, quod ultimo Constantiæ celebratum „ est, Minuta quædam sub forma Bullæ, destruens, ut asse- „ runt, qui legerunt eum, fundamentale penitus robur ne- „ dum Pisani, sed & Constantiensis Concilii, ... Contine- „ bat itaque in nullo casu licere appellationem a Papa facere, „ nec ejus judicium in causis fidei declinare". Quum igitur Legati Polonorum ægre ferrent librum Joannis a Falckenberg a Martino nullo modo condemnari, *multis indicarunt, se appellationem ad futurum Concilium interjecturos* (1). Ad eos ergo refellendos Martinus V. id egit, quod a Gersone accepimus. Illi tamen in sua obstinatione perstiterunt, atque in Sessione LV. suam appellationem prosequuti fuerunt, quemadmodum in tribus Mss. Codicibus Wolfenbuttellensi, Brunsvicensi, & Lipsiensi apud Von der Hardtium legere est (2): qui etiam ex Ms. Lipsiensi refert, impositum silentium Regio Legato Polonorum a Martino V. sub pœna excommunicationis. Hæc autem omnia, quæ fecit, atque decrevit Martinus V. in causa Polonorum, si contraria omnino non sint decreto V. Sessionis, non video sane quidnam contrarium esse possit.

Affirmare autem, sicuti Arnaldus fecit (3), Martini Bullam suppressam fuisse, divinare sane est. Ejus autem divinationis ne apparens quidem argumentum in eo latet, quod hujus Bullæ mentionem non fecerit Eugenius IV., Turrecremata, Pius II., & etiam ipse Gersonius in altero Tractatu: *Circa materiam excommunicationum, & irregularitatum resolutio*; & quando fecit, ad vulgi rumorem eam retulerit. Nam quia Eugenius IV., Turrecremata, & Pius II. hujus Bullæ mentionem non fecerunt, hoc inde tantum sequitur, quod testimonio eorum confirmatum illud non sit, nullo autem modo rejectum, quod aliunde omnino perspectum habemus. Satis est autem, ut Gersonius de hac Bulla in duobus Opusculis egerit, neque æquus rerum æstimator aliquid ultra requirere potest,

(1) Vide Schelstratium in Tract. *De Sensu, & Auct. Decret. Concil. Constant.* in Compen. Chronolog. pag.LXII., & Differt.3. cap.4.
(2) Tom.4. *Rerum Concil. Constant.* Sess.LV. pag.1549. & seqq.
(3) *Eclaircissimens &c.* cap.26.

potest, ut de testimonio illius compertum esse possit. Ad vulgi autem rumorem non Bullam, sed lectionem ejus in publico Consistorio factam Gersonius retulit, sicuti verba ejus manifeste præseferunt. Ex his autem omnibus constat, Martinum V. sua auctoritate non confirmasse sæpe memoratum decretum V. Sessionis.

§. XIII. Explicantur, quæ contra veritatem hujus facti Adversarii nostri in medium adducunt.

Horum ergo præcipua nunc expendemus. Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccles.* sec.14., & 19. Dissert.4. art.1. §.1. num.2., & art. 3. num.1. & seqq. hanc rem pertractat. In priori loco decretum, de quo agimus, ab ea Synodo editum dicit, quæ *salva fidei* veritate e numero Œcumenicarum expungi non potest. Illud autem a Martino V. confirmatum inde colligit, quia in Diplomate dato in ipso Concilio Constantiensi 8. Kal. Martii an.1418., sanxit, ut Wicleffista, Hussita, vel de hujusmodi hæresibus suspecti, quando ad Ecclesiam redirent, inter alia, quæ ipse refert, etiam de hoc interrogarentur; " Utrum credat, quod condemnationes Joan-
" nis Vicleff, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ
" de personis eorum, libris, & documentis, per sacrum Ge-
" nerale Constantiense Concilium, fuerint rite, & juste fa-
" ctæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmi-
" ter asserendæ ". Id urget etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ* cap.6. §.15. num.3., qui cum Natali etiam hoc alterum jungit, quod Hæretici profiteri debebant: " Utrum credant,
" quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantien-
" se, universam Ecclesiam repræsentet ".

Post hæc Natalis illud opponit, Martinum V. in ultima Sessione probasse, quæ erant ad fidem spectantia a Synodo decreta conciliariter. Hoc idem citato art. 3. num. 1. rursus urget, atque deinde animadvertit, Martinum, dum in sua Constitutione hunc errorem num.41. recenset: " Non est de necessi-
" tate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam in-
" ter alias Ecclesias "; hanc Concilii censuram probare, & suam facere: " Error est, si per Romanam Ecclesiam intelli-

" gat

„ gat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut „ pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias „ Ecclesias particulares". Ex hoc autem Natalis contendit, Martinum probasse decretum, quo Summus Pontifex Œcumenico Concilio subjicitur, quum Primatum Romani Pontificis posuerit super Ecclesias particulares, non vero super Ecclesiam universalem, quæ a Concilio Œcumenico repræsentatur. In hanc eamdem rem illud quoque affert, voluisse Martinum, ut ab hæresi venientes inter alia de hoc quoque quod spectat ad potestatem Romani Pontificis ita interrogarentur: " Utrum „ credat, quod Papa canonice electus qui pro tempore fuit, „ ejus nomine proprio expresso, sit Successor B. Petri, ha„ bens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei". Dixisse autem Martinum *in Ecclesia Dei*, non vero *in Ecclesiam Dei*, Natalis affirmat, ut ostenderet se non derogare auctoritati decreti Sessionis V.: qua etiam de causa, ipse inquit, & Constitutionem edidit, *sacro approbante Concilio*, & Generale Concilium indixit, ut satisfaceret decreto Concilii Constantiensis, quod incipit: *Frequens* (1).

Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 5., alias 9., cap. 28. dicit, necesse non fuisse, ut Martinus V. decreta Sessionis IV. & V. *expresse* approbaret: " Satis approbabat (inquit) qui de„ cernentibus præsens communicabat, eorumque conventum „ pro Œcumenico Concilio agnoscebat. Satis approbabat, „ qui Joanni XXIII., ex his sane decretis rite deposito, suffi„ ci se patiebatur. Satis approbabat, qui caput *Frequens* ex „ earum Sessionum auctoritate valiturum, & exequendum „ putabat. Satis approbabat, qui in Bulla *Inter cunctas*, & „ exscripserat, & exequendas mandaverat adscriptas a sacra „ Synodo articulo XLI. Wicleffiano censuras, quæ ad Sessio„ num IV., & V. decreta necessario referrentur. Satis de„ nique anteacta approbabat, qui eorum auctoritate omnibus „ præerat. Quia ipsum interesse, ipsum communicare, pro„ bare est: & nisi antiquitatem omnem, totamque vim Ca„ nonum

(1) Multa ex his opponit etiam Arnaldus *Eclaircissemens &c.* cap. 25., & Maimburgus *Traité Historique de l'Eglise de Rome* chap. 21. & 24.

„ nonum penitus ignoramus, Romani Pontificis, præsentis „ maxime, atque insuper collaudantis ipsa communicatio, „ validissima auctoritas, atque approbatio est “. Hæc vero initio 29. capitis superaddit: “ Ne quis tamen scrupulus superesse possit, addimus decreta ea Sessionum IV., & V., de „ quibus agimus, & ad fidem pertinere, & *Conciliariter* facta „ esse. Ad fidem quidem pertinent, quæ pertinent ad interpretationem Divini Juris, & ad traditam immediate a Christo Petri Successoribus, & Episcopis in Concilio generali „ sedentibus potestatem: neque Bellarminus, aut alii diffitentur. Quod autem *Conciliariter* facta sint, constat, quum „ in publica Sessione, immo in duabus publicis Sessionibus „ prolata sint “.

Verum nihil horum tale est, quod Adversariis nostris adjumento esse possit. Decretum ergo illud V. Sessionis, de quo nunc agimus, haberi nullo modo posse uti profectum ab Œcumenico Concilio, est pluribus jam ostensum a nobis (1). Non est ergo, cur Natalis Concilii Œcumenici rationem opponat, atque ex ea colligat, quod ipse falso vellet.

Martinus V. definitiones versantes circa hæresim Wiclefi, & Hus rite, & juste factas a Concilio Generali Constantiensi decernit, ut profiteantur, qui ad Catholicam Ecclesiam accesserint. Nullo autem modo aut probat decretum V. Sessionis, aut præsumi potest, eum putasse, Concilium Constantiense tunc fuisse Œcumenicum. Sicut enim habet Cl. Orsius *De Roman. Pontif. Auctorit.* lib.5. cap.28. art.5. “ Constat enim „ nonnisi absurdissime existimari, Martinum V. compellere „ voluisse eos, qui olim a Gregorii, vel Benedicti partibus „ steterant, nec ad Synodum accedere voluerant, nisi facta „ protestatione, quod præcedentes Sessiones pro Œcumenicis „ non agnoscerent; eos, inquam, Martinum compellere voluisse ad profitendam etiam priorum Sessionum Œcumenicam auctoritatem. Wicleffiani ergo, & Hussitæ, non perinde Gregoriani, & Hispani illis interrogationibus urgendi, & premendi erant. Quod sane argumento est prioribus „ illis

(1) Hujus cap. 5.10.

„ illis Sessionibus non utcumque, sed ut a plena deinceps „ Synodo in iis, quæ ad Wicleffi Hussique errorum damna„ tionem pertinerent, adprobatis, & a Romano Pontifice „ confirmatis Œcumenica auctoritas vindicanda est“. Et re quidem vera, sicut a Schelstratio traditum habemus (1), „ Martinus V. rogatus a Patribus, ut juberet per omnes or„ bis Catholici regiones inquiri in hæreticos Hussitas, & Wi„ clefistas, antequam litteras exequutorias ad hæreticæ pra„ vitatis Inquisitores in Anglia, Polonia, Bohemia, & aliis „ locis constitutos, publicaret, voluit primum auctoritate „ Apostolica confirmare omnia decreta in Concilio Romano „ sub Joanne XXIII., & in Concilio Constantiensi ante suam „ electionem contra hæreticos edita“. In hac autem sua Constitutione non solum confirmavit, sed etiam supplevit omnes defectus, qui forsan propter solemnitates juris in procedendo intervenerant (2). Unde ob hæc omnia uti prodita ab Œcumenica Synodo habenda esse merito voluit, quæ contra Joannem Wiclefum, Joannem Hus, & Hieronymum de Praga in Concilio Constantiensi definita fuerant.

Quid sentiendum sit de ea explicatione, quam articulo 41. superadditam novimus, satis supra hujus cap. §.8. explicavimus, Constantiensiumque Patrum mentem fuisse evicimus, Primatum Romani Pontificis super universam Ecclesiam extendi. Eodem in loco illud quoque ostendimus, ex eo quod Martinus satis habuerit, ut venientes ab hæresi interrogarentur, utrum crederent, Summum Pontificem habere supremam auctoritatem *in Ecclesia Dei*, non vero *super Ecclesiam Dei*, nihil minus colligi posse, quam quod Natalis vellet.

Non obstat autem supremæ auctoritati, ut Summus Pontifex, sacro approbante Concilio, aliqua credenda, aut facienda omnibus Fidelibus edicat (3). Attamen Martinus ex suo nomine absolute confirmavit, suique scripti patrocinio

V 2 commu-

(1) In Tract. *de sensu, & auctorit. Decret. Concil. Constant.* in *Compendio Chronologo* pag. LXXI. ex Regesto variorum Martini V. conscripto eo tempore, quo Bulla confirmationis edita fuit. (2) Vide præced. §.
(3) Vide lib.20. cap.4. §.16.

communivit, quæ contra hæreticos in Concilio Constantiensi definita fuerant (1). Proprio etiam nomine idem Martinus Concilium indixit, eorum omnium rationem non habuit, quæ in Synodo Constantiensi futuro Pontifici præscripta fuerant, quodque decrevit, sua auctoritate decrevit (2).

Nunc ad ea, quæ Bossuetius opponit. Satis profecto non approbabat decretum Sessionis V., qui una cum aliis Cardinalibus obstitit, ne in IV. Sessione promulgaretur, & dum in V. promulgatum fuit, suum assensum non præbuit (3): satis non approbabat, qui una cum aliis Cardinalibus etiam post V. Sessionem propugnavit, Ecclesiam Romanam esse caput sicuti omnium Ecclesiarum, ita etiam Concilii Œcumenici (4): satis non approbabat, qui cum aliis Cardinalibus, & nationibus semper obstitit, ne ante electionem Summi Pontificis aliqua Ecclesiæ reformatio fieret, & in obsequium Cæsaris consensit in cap. *Frequens* (5): satis non approbabat, qui censuram adjectam art.41. Wiclefi juxta sensum Patrum Constantiensium diversum ab eo, quem decreto Sessionis V. Adversarii tribuunt (6), in Bulla *Inter cunctas* exscripsit; si tamen hujusmodi censura uti genuina haberi debet (7): satis tandem non approbabat, qui primo sese condemnare statuit, quæ *in materiis fidei*, & *conciliariter* a Synodo decreta forent: deinde vero in Bulla data ad Inquisitores hæreticæ pravitatis, & in altera confirmationis errores Joannis Wiclefi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga singulariter expressit, atque in ipso Concilio in causa Legatorum Polonorum contra omnino egit, ac decretum Sessionis V. ferebat (8).

Sua agendi ratione Martinus V. apertissime probavit depositionem Joannis XXIII. in Concilio factam; quum supremum Ecclesiæ regimen sibi legitime delatum acceperit, atque tenuerit: unde non erat, cur eam singulari decreto confirmaret. Ejus autem agendi ratio decreto V. Sessionis omnino opposita fuit, sicuti jam animadvertimus. Qua

(1) Vide Constit. tom.16. Concil. edit. Venet. col.765. (2) Vide hujus cap. §.9. (3) Hujus cap. §.3., & 6. (4) Ejusdem cap. §. 7. (5) Ejusdem cap. §.5. (6) Ejusdem cap. §.8. & 9. (7) Cit. loco. (8) Ejusdem cap. §.11.

Qua autem ratione Bossuetius affirmare possit, decretum V. Sessionis & factum *conciliariter*, & *pertinere ad fidem*, sane non video. Ea ergo *conciliariter* decreta dici possunt, quæ, præmisso examine, discutiuntur, in ea consentiunt ii, quorum interest, consentit Romanus Pontifex, aut ille, qui vices ejus gerit, atque etiam majoris partis unanimi consensione decernuntur. Profecto decretum V. Sessionis editum fuit, Gregorii, & Benedicti obedientia non consentiente, quia nondum hæ duæ obedientiæ Concilio sese univerant, non consentientibus Cardinalibus, qui Romanam Ecclesiam quodammodo repræsentabant, immo repugnantibus, non consentiente Joanne XXIII., immo sese opponente, *reclamantibus pluribus Prælatis, & Doctoribus*, sicuti tradit Roderigus Calaguritanus, & etiam *pluribus Patribus doctissimis* obedientiæ Joannis XXIII., sicuti Turrecremata affirmat (1).

Dum vero Bossuetius ad fidem pertinere dicit decretum V. Sessionis, quatenus ad fidem pertinent, quæ *ad traditam immediate a Christo Petri successoribus, & Episcopis in Concilio Generali sedentibus potestatem* spectant, sibi contradicit. Nam ista ad fidem ita pertinent, ut sine jactura Catholicæ fidei a nemine negari possint: igitur etiam quod statutum legitur in decreto Sessionis V. ita ad fidem pertinet, ut sine jactura Catholicæ fidei a nemine negari, & a nemine etiam loco cujusdam opinionis haberi possit. Lib:6., alias 10., cap. 19. hunc titulum apposuit: *An Constantiensibus decretis nixa sententia ad fidem Catholicam pertineat*? Pertinere ad fidem Catholicam evincere conatur, quamvis id a se absolute definitum non velit; ea tamen solvere contendit, quæ suadent non pertinere ad Catholicam fidem, eoque tandem devenit, ut *censoribus coram Deo arbitro judicandum* relinquat, utrum hujusmodi decretum ad fidem Catholicam pertineat. Hæc tamen statim superaddit: *a gravi certe nota immunes esse non possent* (hi scilicet, qui tenent illud non spectare ad Catholicam fidem) *nisi bona fide agentes, non satis attenta re, excusari viderentur*. Hæc autem nota semel ac rei gravis sit, saltem erroneum,

(1) Hujus cap. §.10.

neum, aut hæresi proximum erit, contrariam sententiam tueri. Hac autem Bossuetii bona fide nimis multi hæretici, nimis multi errores ab Ecclesia proscripti excusari possent. At vero ipse Bossuetius in *Expositione Catholicæ fidei* art.21. loquens de hac tota nostra controversia, quæ est inter Catholicos, ita habet: " Quod attinet ad ea omnia, de quibus „ in Scholis variæ sunt, ac discrepantes sententiæ, etsi Mi„ nistri ea Catholicæ Ecclesiæ imputare solent, ut Pontificiæ „ potestati invidiam conflent, nihil attinet hìc commemorari, „ quum de fide Catholica non sint. Sufficit cognoscere caput „ a Deo institutum, ad gregem universum in via Domini „ gubernandum ". Et in Prævia Dissertat. præmissa operi Bossuetii *Defensionis &c.* in edit. Antuerpiensi an. 1745. §.6., in qua Auctor Gallicanam Declarationem immerito impugnatam defendit, tamquam esset decretum fidei, affirmatque, mentem sacri Conventus non fuisse. " Ut ex illa sententia „ decretum fidei faceret, sed tantum, ut eam opinionem „ adoptaret ". Hinc Auctor ejusdem Dissertationis: " En „ perspicuis verbis (inquit) Gallicani Patres testantur, ac „ probant, non eo se animo fuisse, ut decretum de fide „ conderent, sed ut eam *opinionem* tamquam potiorem, atque „ omnium optimam adoptarent ". Quomodo ergo decretum V. Sessionis ad fidem pertinere dici potest, quatenus ad fidem pertinent, quæ *ad traditam immediate a Christo Petri successoribus, & Episcopis in Generali Concilio sedentibus potestatem* spectant?

Illud nunc disputandum superesset, utrum decretum V. Sessionis sit *totius Ecclesiæ usu confirmatum*, & ab Ecclesia Gallicana *perpetua religione custoditum*, sicut Adversarii nostri volunt (1): verum prius falsum esse constat ex iis, quæ lib.21. cap.3. de primis octo Conciliis Œcumenicis, quæ teste Bossuetio *Defensionis &c.* lib.7., alias 12., cap. 32. *totius Christianæ doctrinæ, & disciplinæ fundamenta sunt*, fuse disputavimus: alterum Serryus, Auctor Gallus in *Appendice Historica de Romano Pontifice* uberius refutavit. Non est ergo, cur in aliquo horum nostram nunc operam impendamus.

CA-

(1) Vide cap.2. Gallicanæ Declarationis.

CAPUT V.

DE SUPREMA JUDICII POTESTATE, QUÆ SUMMO PONTIFICI TRIBUI DEBET, IIS ETIAM NON OBSTANTIBUS, QUÆ CONSTANTIENSE CONCILIUM PROXIME SEQUUTA FUERUNT.

§. I. EXpenditur qua de caufa, & quomodo Eugenius IV. revocaverit Concilii Bafileenfis femel, ac iterum a fe indictam diffolutionem.

In hoc toto capite quæftio nobis erit cum Adverfariis noftris de confirmatione prædicti decreti Concilii Conftantienfis, quam ipfi ab Eugenio IV. factam contendunt & occafione Concilii Bafileenfis, & poftquam idem Concilium diffolutum fuit. Si qua enim de mente Patrum Conftantienfium, fi qua de priorum illius Concilii Seffionum auctoritate difficultas pro ea fententia, qua tuentur, unquam fupererat, per Synodum Bafileenfem omnino fublatam inde contendunt, quia Bafileenfes decreta Conftantienfia de quibufcumque Romanis Pontificibus, & non de dubiis tantum intellexerunt, & Eugenius IV. fuis litteris approbavit eas Seffiones Concilii Bafileenfis, in quibus prædicta decreta repetita, atque firmata fuerunt.

Nunc ergo primo videamus, qua de caufa, & quomodo Eugenius IV. revocaverit Concilii Bafileenfis femel, ac iterum a fe indictam diffolutionem. Dicimus femel ac iterum, quia Bullam *Infcrutabilis*, & alteram *In Arcano*, quibus Concilium Bafileenfe folutum decernebatur, a fe prodiiffe ipfe teftatus fuit, non vero tertiam *Deus novit* (1). Nonnulla vero doctrinæ capita prius præmittimus, ex quibus de eo conftare poterit, quod nunc quærimus.

I. Uti certum haberi debet, decreta Pontificia, quæ fine plena libertate, fed gravi metu cogente, edita fuerint, neque firma effe, neque habere certam auctoritatem.

Quemad-

(1) Vide Conftitutionem, qua diffolutionem Concilii a fe factam revocat, tomo 17. Concil. edit. Venet. colum. 293.

Quemadmodum enim *Digestorum* lib.50. tit. 17. l. 116. legimus: " Nihil consensui tam contrarium est, qui & bonæ " fidei judicia sustinet, quam vis, atque metus; quam com- " probare contra bonos mores est ". Ex quo sane consequitur, sicuti etiam ipsa tum ratione, tum experientia compertum habemus, ut quod, urgente metu alicujus mali gravioris, fit, cum plena libertate nullo modo fiat, sed hac semper magis, minusve minuitur, prout incussus metus fuerit magis, vel minus gravis. Si quæ autem unquam libere prorsus, & absque impendente metu alicujus mali gravioris, fieri debent, ut ea firmiter, atque maturo consilio constituta dici possint, sunt sane Pontificia decreta. Decreta enim Pontificia potissimum inter leges humanas locum habent, aliundeque cum ea, qua decet, libertate, deliberatione, atque ex animo edita dici non possunt, semel ac, impendente metu alicujus mali gravioris, illa edita fuisse constet. Uti certum igitur haberi debet, decreta Pontificia, quæ sine plena libertate, sed, gravi cogente metu, edita fuerint, neque firma esse, neque habere certam auctoritatem.

II. Decreta, quæ a Summis Pontificibus, vel Conciliis ex metu edita fuerunt, auctoritatem in Ecclesia non habuere.

Hoc profecto fundamento innixus S. Athanasius in epistola ad Africanos num. 3. (1) eos, qui auctoritatem Synodi Ariminensis auctoritati Concilii Nicæni præponebant, vehementer redarguit, ostenditque eis, inde etiam nullam Synodi Ariminensis rationem habendam esse, quia in ea vi, atque metu omnia constituta fuerant: " Quis eos non oderit, (in- " quit) qui, abjectis Patrum decretis, recentiora Arimini " per vim, & contentionem constituta, illis anteponunt "? Lateranensis Concilii Patres privilegium *de Investituris*, quod Paschalis II. Henrico V. concesserat, eodem etiam Paschali simul cum eis decernente, solemni judicio revocarunt, quia in illud Paschalis gravibus minis adactus consenserat, sicuti ipse coram Patribus protestatus fuit (2): " Privilegium illud, " (in-

(1) Tom. 1. edit. Maurin. pag. 891. (2) Tom. 12. Concil. edit. Venet. colum. 1165.

„ (inquiunt Patres) quod non est privilegium (neque enim „ debet dici privilegium, sed pravilegium) pro liberatione „ captivorum, & Ecclesiæ a Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto „ Concilio cum eodem Domino Papa congregati, canonica „ censura, & Ecclesiastica auctoritate, judicio Sancti Spiritus „ damnamus, & irritum esse judicamus“.

III. De mente ergo Summorum Pontificum judicandum est ex iis, quæ omnino libere, & nullo cogente metu, edixerunt; & si quando contigerit, ut modo rem unam, modo contrariam edixerint, de mente eorum judicandum est juxta id, quod omnino libere, &, nullo cogente metu, edixerunt.

Quæ omnino libere decernuntur, ea profecto ex animi sententia decernuntur: quæ autem cogente metu, illa sane decernere non voluissemus. Si autem ab iis, quæ ex animi sententia ab aliquo decreta fuisse constat, certum de illius mente judicium non habeatur, non video sane, unde haberi possit; contra vero nullum certum judicium de mente alicujus ex iis ferri potest, quæ invitus, & urgente metu, ille gesserit. Ex hoc autem illud alterum consequitur: nam quando agitur de duabus sententiis contrariis, in quas quispiam iverit, & modo unum, modo contrarium ejus decreverit, ad cognoscendum quid revera senserit, nihil aliud superest, nisi ut videamus, quid omnino libere, & nullo cogente metu, aut alio sese opponente principio libertati contrario, sequutus fuerit. Unde neque de mente Paschalis II. ex iis judicamus, quæ minis perterrefactus Henrico V. concessit, sed ex aliis, quæ in Lateranensi Concilio protestatus fuit, unaque cum Patribus Lateranensibus decrevit. Modo ad rem nostram.

Eugenius primo in Bulla *Inscrutabilis*, deinde in altera Bulla *In arcano*, quæ Basileenses in prioribus Sessionibus contra auctoritatem Apostolicæ Sedis suam etiam in sententiam trahentes decreta Concilii Constantiensis, & illud potissimum, de quo nunc agimus, decernere auserant, omnino reprobavit, atque damnavit. Id autem & *ex debito pastoralis officii*,

& *incumbenti cura officii pastoralis adstrictus fecit* (1). Quum autem Sigismundus Imperator illud quoque postea ab illo peteret, ut Basileensi Concilio *omnino* adhæreret, ipse in litteris datis ad Franciscum Foscarum Ducem Venetiarum in hunc modum protestatus fuit (2): " Potius enim hanc Apostolicam „ dignitatem, & vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse causa, & initium, ut Pontificalis dignitas, & Sedis Apostolicæ auctoritas submitteretur Concilio contra „ omnes canonicas sanctiones, quod nunquam antea neque „ aliquis nostrorum prædecessorum fecit, neque ab ullo extitit requisitum, atque in hoc ipse postmodum Imperator „ acquievit ".

Sicuti autem Eugenius IV. omnino libere Basileense Concilium dissolutum esse, semel, atque iterum declaravit; ita etiam non libere, sed metu cogente, eamdem dissolutionem revocavit. Illud enim a Turrecremata traditum accepimus lib.2. *de Ecclesia* cap.100., Oratorem Venetorum, atque etiam Cardinales, oblata specie imminentium malorum, ad id Eugeninm impulisse: "Si vera sunt (inquit), quæ a pluribus „ magnæ probitatis, & gravitatis viris dicta sunt in Curia, videlicet, quod præfatæ Bullæ magis extortæ fuerint minis, quam „ de mente Domini Eugenii emanaverint. Nam, ut refertur, „ D. Andreas Venetus Dominii Venetorum tunc Orator, „ & aliqui DD. Cardinales tunc apud Eugenium præsentes, „ timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati „ sunt D. Eugenio, quod nisi Bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent, præfato Do„ mino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur Bul„ las illas taliter qualiter expedivisse, & misisse Basileam ". Quod quidem ita accipi debet, ut in hanc expeditionem, quamvis urgente metu, etiam Eugenius consenserit. Non solum enim Concilii dissolutionem, quam indixerat, a se revocatam esse, numquam negavit, sed etiam in Concilio Florentino hujusmodi a se factam revocationem confessus fuit. Ob

(1) Vide Bullas tom.17. Concil. edit. Venet. colum. 293. & seqq.
(2) Apud Raynaldum ad an. 1433. num.18.

Ob prænuntiatorum ergo malorum metum, qui hominem in lecto decumbentem graviter afficere debebat, Eugenius a se jam indictam Concilii dissolutionem revocandam duxit.

Natalis ab Alexandro in *Hist. Ecclesiast.* sæc.xv., & xvi. Dissert.8. art.3. num.41. nihili faciendum dicit, quod a Turrecremata traditur. Idem censet etiam Bossuetius *Defensionis &c.* lib.6., alias 10., cap.4., quia id *nullis actis probatum*, *nullo scriptore proditum*, *& ab ipso Eugenio negatum*.

At vero Augustinus Patricius *in Hist. Concil. Basileensis*, sicuti inquit Bossuetius (1), *hujus ævi auctor diligens*, tradit, ipsum quoque Cæsarem, qui antea inter Basileenses, & Eugenium sequester pacis fuerat, constituisse Concilii auctoritatem contra Eugenium defendere: hæc enim ad Eugenium scripsisse Cardinalem Julianum Basilææ degentem, ab illo accepimus: " Quod si non fecerit; (hoc est, si non revocave„ rit eam Concilii dissolutionem, quam antea indixerat) „ sciat, Cæsarem Concilii auctoritatem, quam ita expedire „ Christianæ reipublicæ putat, defensurum ". Philippus autem Dux Mediolanensium, atque etiam Veneti Eugenio indixerunt, se bellum adversus eum suscepturos, si ab instituto proposito dissolvendi Concilium non recederet (2). Non minus autem foris, quam domi omnia perturbata erant, quemadmodum ex Spondano novimus (3). A Blondo autem, ipsi Eugenio quondam a secretis, traditum habemus *Histor. ab inclinatione Romanorum* Decadis 3. lib.5. Philippum Ducem Mediolanensium hac prava astutia usum fuisse, ut res Eugenii subverteret; hoc est, sparsisse in vulgus exemplum cujusdam epistolæ a Concilio Basileensi sibi datæ, qua ipse Vicarius Concilii in Italia constituebatur, ab ipso autem id muneris datum Sfortiæ, & Fortebracio, qui, ut habetur apud Blondum, *prophanarum Ecclesiæ rerum statum reciperent*, *& Pontificem Eugenium ad exitium persequerentur*. His autem omnibus, quæ usque modo commemoravimus, semel positis, nihil

X 2 faci-

(1) *Defensionis &c.* lib.6., alias 10., cap.5. (2) Videatur Lenfantius *Histoire du Concil. de Basle* lib.17. num.29., & seqq. (3) Ad annum 1433. num.27.

facilius fuit, quam ut etiam Cardinales, ficuti Turrecremata fe audiviffe tradit, ne tanta mala contingerent, Eugenium impulerint ad revocandam a fe jam indictam Concilii diffolutionem.

Neque eft, cur Boffuetius Turrecrematæ ipfum Turrecrematam opponat, qui lib.2. *de Ecclefia* cap.100. refert, fe Florentiæ audiviffe Eugenium dicentem: " Nos quidem bene " progreffum Concilii approbavimus volentes, non tamen " approbamus ejus decreta ": quandoquidem volens fane, non tamen libere, progreffum Concilii probavit. Nam ille quoque, qui, tempeftate cogente, fuas merces in mare proiicit, volens proiicit, nifi enim vellet, non proiiceret; tamen non libere id facit, fed impulfus ab urgente tempeftate. Ita quoque externus metus malorum, quæ impendebant, effecit fane, ut Eugenius vellet, quod aliunde nullo modo voluiffet.

§. II. Nullo adjumento Adverfariis noftris ea effe poffunt, quæ geffit Eugenius, dum abftulit indictam a fe diffolutionem Concilii Bafileenfis.

Decreta, quæ Summi Pontifices non edunt libere, fed malorum graviorum cogente metu, firma non funt, eaque certam in fe auctoritatem habere, nunquam in Ecclefia exiftimatum fuit (1): at Eugenius graviorum malorum urgente metu a fe indictam Concilii diffolutionem revocavit: igitur Adverfariis noftris nullo adjumento effe ea poffunt, quæ geffit Eugenius, dum indictam a fe Concilii Bafileenfis diffolutionem revocavit.

Deinde de mente Summorum Pontificum judicandum eft ex iis, quæ libere, & nullo cogente metu, edixerunt; & fi quando modo rem unam, modo contrariam edixerint, de mente eorum decernendum eft juxta id, quod libere edixerunt (2). Eugenius autem dum nullo metu cogeretur, & omnino libere ageret, Bafileenfe Concilium diffolvit, diffolutionem vero revocavit graviorum malorum metu ductus (3): verum ergo eft, quod nos contra Adverfarios noftros modo volumus.

§. III.

(1) Præced. §. num.1. & 2. (2) Præced. §. n.3. (3) Præced. §.

§. III. Dum Eugenius IV. ea cum Basileensibus indulgentia usus fuit, ut, quemadmodum ii sibi præscripserant, indictam a se antea Concilii dissolutionem revocavit, diligentissime præcavit, ne decreta Constantiensia, & Basileensia a se probari viderentur.

Non ergo Constantiensium, aut Basileensium auctoritate permotus, sed Cæsaris, Caroli Francorum Regis, atque aliorum Principum precibus inductus, ac propter Ecclesiæ pacem, atque salutem populorum, ne scilicet malum magis magisque serperet, & graviores dissensiones orirentur, in revocationem dissolutionis Concilii, quam jam indixerat, Eugenius consensit. Ita enim ipse habet in epistola, quam ad Cæsarem dedit (1). " Accepimus exhortationes tuas ... & acceptavimus decretum illud Concilii Basileensis ... Verum quidquid „ fecimus, sub spe tua, & tuo moti consilio fecimus, pro „ pace Ecclesiæ, & bono populi Christiani, voluimusque „ potius cedere de jure nostro, tui contemplatione, & pro „ salute Fidelium, quam perstare in conservanda dignitate, „ & auctoritate nostra, & Apostolicæ Sedis ". Curare deinde ipsum rogat, *ut Sedes Apostolica in sua dignitate, & auctoritate conservetur*. Datis quoque litteris ad Romani Imperii Electores, illos certiores fecit, se gessisse morem Patribus Basileensibus, atque eos rogavit, ne *auctoritatem Ecclesiæ Romanæ suppeditari* paterentur (2). Etiam ad Wladislaum Regem Polonorum scripsit Eugenius, & postquam illum certiorem fecit, precibus Sigismundi Romanorum Imperatoris, Caroli Francorum Regis, & aliorum *plurimorum* Principum, necnon Ecclesiæ pace, & salute Christiani populi se inductum, Concilii dissolutionem revocasse, ipsum rogat, ut mittat ad Concilium sui regni Præsules, ut in eo dignitatem Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ tueantur (3).

Hæc tamen satis non fuerunt Eugenio, ut manifeste præseferret, prædicta decreta a se nullo modo probari. Duas sane Bullas hac de re ab Eugenio editas fuisse novimus: prior illa

(1) Apud Raynaldum ad an. 1434. num. 3. (2) Apud Raynaldum cit. loco. (3) Apud eumdem cit. loco.

illa est, quam dedit ad Imperatorem Sigismundum, atque per eum Concilii Deputatis oblata fuit: altera, quam ad Patres Basileenses direxit. In ista in id consentit, ut ea decreta veluti non edita habeantur, quæ ipse antea contra Concilii prosequutionem vulgaverat, auctoritatemque Concilii nullo modo suppressam edicit (1): in illa vero se quidem revocare ea decreta profitetur, quibus antea Concilium dissolutum esse declaraverat, atque *ipsum Concilium Basileense pure, simpliciter, cum effectu, atque omni charitate* amplectitur; verumtamen eas ad hoc conditiones ponit, quibus diligentissime præcavet, tum ne auctoritas Sedis Apostolicæ minuatur, tum ne decreta Basileensia aliquid auctoritatis habere videantur: "Ita tamen (inquit) quod Præsidentes nostri „ ad præfati Concilii præsidentiam admittantur cum effectu, „ & omnia singula contra personam, auctoritatem, ac libertatem nostram, & Sedis Apostolicæ, ac Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum quorumcumque nobis adhærentium, in dicto Concilio facta, & gesta, per dictum Concilium prius omnino „ tollantur, & in pristinum statum reducantur" (2). Hac quidem in Bulla habebantur illa verba: *volumus, & contentamur, præfatum generale Basileense Concilium a tempore inchoationis suæ continuatum fuisse*, quæ Imperatorem voluisse, ut auferrentur, & loco eorum hæc alia ponerentur: *decernimus, & declaramus*, in litteris ad Franciscum Foscarum Ducem Venetorum datis Eugenius graviter conquestus fuit (3): attamen id quoque nomine Patrum Basileensium Imperatorem contendisse, ne vel Legati Apostolicæ Sedis Concilio præsiderent, aut ne tollerentur, quæ a Concilio contra auctoritatem Apostolicæ Sedis decreta fuerant, nullo modo novimus; ac propterea hæc duo capita a Basileensibus admissa fuisse, quamvis ea postea non servaverint, recte, certoque inferre posse videmur, quia Eugenius quum de re longe minoris momenti apud

(1) Hæc in XVI. Sess. Concil. Basileen. legitur tom. 17. Concil. edit. Venet. colum. 992. (2) Cit. tomo in Appendice 1. pag. 742.
(3) Apud Raynaldum ad ann. 1433. num. 18.

apud Franciscum Foscarum conquestus fuerit, hæc sane duo non omisisset, quæ auctoritatem Apostolicæ Sedis directe petebant. Hinc est, ut Eugenius (1) Joannem Archiepiscopum Tarentinum, Petrum Episcopum Paduanum, & Ludovicum Abbatem Monasterii S. Justinæ Concilii Præsides constituerit, quibus etiam Julianum S. Angeli Cardinalem, & Legatum Apostolicæ Sedis adjunxit. Etiam ad Patres Basileenses litteras dedit, quibus se valde confidere significavit, ut *pro Apostolicæ Sedis reverentia* devotum erga se animum gererent (2): „ Hujus siquidem confidentiæ (inquit) signa perspeximus: „ primo quod ex nostro consensu ad sacrum Generale Basileense Concilium plurimum lætati estis: iterum, quod „ Præsidentes nostros affectu, & opere amodo sic vobis conjunctos, ut pene unum invicem esse videamini, audiamus ".

Patres Basileenses Sessione XVII. statim iniquas conditiones præscripsisse Concilii Præsidibus, Sessione XVIII. innovasse, quod in prioribus decreverant de potestate Conciliorum supra Summum Pontificem, multaque alia subinde statuisse contra auctoritatem Apostolicæ Sedis, non ignoramus; sed Basileensium Patrum fidem, & æquitatem tueri non suscepimus; quin immo hujusmodi ab eis facta decreta cum Eugenio omnino damnamus. Eugenium ergo diligentissime præcavisse nos volumus, ne decreta Constantiensia, & Basileensia de auctoritate Conciliorum supra Summum Pontificem probare videretur, dum parumper a jure suo recedendo, juxta ac præscripserant Basileenses, jam indictam a se Concilii dissolutionem abstulit. His autem, quæ usque modo disputavimus, duo alia in eamdem rem superaddenda censemus: 1. teste Turrecremata lib. 2. *de Ecclesia* cap. 100. in publica disputatione, quam coram Summo Pontifice Eugenio, & Cardinalibus, de hoc argumento ipse habuit, Cardinali Juliano contra opponenti Bullas, quæ in confirmationem Synodi Basileensis editæ fuerant, Eugenius ita respondit: " Nos quidem bene pro„ gressum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, „ ut

(1) Tom. 17. Concil. edit. Venet. in 1. Appendice colum. 745. & seq. (2) Cit. loco colum. 747.

„ ut incœperat: non tamen approbavimus ejus decreta": 2. Eugenium aperte indicasse, qua de causa consenserat in revocationem dissolutionis Concilii a se antea factæ: in qua sane revocatione confirmatio illorum decretorum, de quibus modo agimus, nullum locum habuit. Nam Eugenius in litteris datis ad Enricum Daniæ, & Wladislaum Poloniæ Reges, postquam exposuit seditionem Patrum Basileensium, & conatus eorum ad depressionem Apostolicæ Sedis, ita de se habet (1): " Verumtamen nos semper ad pacem, & quietem Ecclesiæ, „ & Christifidelium intenti misimus Basileam nostros Oratores „ cum pleno mandato de comprobando illud Concilium super „ tribus rebus, propter quas solas fuerat Concilium a principio congregatum, extirpationem hæresum, reformationem Ecclesiæ, ac procurandam Christifidelium pacem. „ Quod si illi acceptabunt, lætabimur in Domino propter „ bonum reipublicæ Christianæ: si vero minus; notum erit „ omnibus Fidelibus, illos sequi consilia perniciosa Ecclesiæ, „ & ab unione remota". Quare, ut hæc omnia paucis complectamur, de jure quidem suo Eugenius parumper cessit, dum per indulgentiam, quemadmodum Patres Basileenses sibi præscripserant, indictam a se Concilii dissolutionem revocavit; verum hoc non fecit ipsius Concilii auctoritate inductus, sed plurimorum Principum suasione permotus, atque impulsus bono pacis, quam obstinatione Basileensium ut ab Ecclesia omnino tolleretur, futurum prævidebat. Deinde dum hac ratione juri suo cessit, diligentissime curavit, ut opera eorum Principum, quibus ipse assensus fuerat, Sedis Apostolicæ auctoritas sarta tecta servaretur. Hac de causa ad Concilium & eos misit, qui sui nomine illi præsiderent, & a Concilii Patribus deletum voluit, quod ab iisdem contra auctoritatem Apostolicæ Sedis constitutum fuerat, & non solum quoad tria tantum, inter quæ sane confirmatio decretorum computari non poterat, in Concilii prosequutionem se consentire declaravit, sed etiam propter hoc in confirmationem decretorum ejus nunquam se consensisse, manifeste expressit. Quod ergo nunc volumus, abunde confectum arbitramur. §. IV.

(1) Apud Raynaldum ad an. 1433. num. 22.

§. IV. Ex eo quod Eugenius jam a se indictam Basileensis Concilii dissolutionem revocaverit, atque Basileensi Concilio adhæserit, quod non possunt, neque debent, Adversarii nostri colligunt.

Natalis ab Alexandro Dissert.8. in *Hist. Ecclesiast.* sæc.xv., & xvi. num.37. decreta ante Sessionem XVI. a Basileensi Concilio edita Eugenium probasse ita suadere conatur 1. Eugenius Concilium Basileense esse *Generale* declaravit: 2. Continuatum agnovit usque ad Sessionem XVI. *pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, & pertinentibus ad ea*: 3. Statuit, *Concilium semper prosequutionem habuisse, ac habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset*: 4. *Sacrum Generale Concilium Basileense pure, & simpliciter, & cum effectu, ac omni devotione, & favore se prosequi* dixit. " An „ autem (inquit Natalis) cum effectu, omni devotione, „ & favore prosequutus esset, si ejus decreta non appro„ basset "? 5. Tres Bullas revocavit, in quarum tertia, quæ incipit *Deus novit*, hæc propositio habebatur: *super omnia Concilia habet potestatem Papa*. 5. Rescidit quidquid suo nomine *in præjudicium, aut derogationem prædicti Sacri Concilii Basileensis, seu contra ejus auctoritatem factum, aut attentatum, seu assertum esset*. Unde ipse Natalis colligit ab Eugenio confirmatum, quod in Sessione II. Concilii Basileensis de auctoritate Concilii supra Summum Pontificem decretum fuerat. Alia, quæ superaddit, ad rem nostram modo non faciunt.

Huc quoque tendunt omnes illæ argumentationes, quas urget Bossuetius *Defensionis &c.* lib.6., alias 10., cap.2. & duobus sequentibus, atque superaddit in 4. cap. Eugenium in hoc negotio cessisse suo juri, idque fecisse impulsum studio pacis, ex epistola privata Eugenii constare: " Sed hujusmodi episto„ lis (inquit) negamus jura contineri ".

Eugenius ergo Concilium Basileense esse quidem *Generale* declaravit; verum hoc dum fecit, suos ad illud Legatos misit, qui sui vices agerent, cavitque, ut ea rescinderentur, quæ in eodem Concilio contra auctoritatem Apostolicæ Sedis

in eodem Concilio decreta fuerant (1). Ex eo autem quod Eugenius Concilium esse continuatum agnoverit ob hæc tria capita, hoc est, pro extirpatione hæresum, pro pace populi Christiani, pro reformatione Ecclesiæ etiam in capite, quod Natalis vellet, nullo modo colligi debet. Nam, ipsis quoque Adversariis nostris consentientibus (2) hæreticum non est, affirmare: Concilia Œcumenica Summo Pontifici subesse: quoad ea ergo, quæ hujusmodi disputationem respiciebant, Eugenius Basileense Concilium continuatum non agnovit, licet illud pro pace Ecclesiæ continuatum voluerit. Ex hoc autem confirmatur, quod supra pluribus ostendimus, Eugenium inductum Ecclesiæ pace, & ne quæ imminebant, graviora mala contingerent, parumper de suo jure cessisse. Ad reformationem autem Ecclesiæ, nulla facta mentione capitis, Concilium continuatum se velle, in litteris datis ad Enricum Daniæ, & Wladislaum Poloniæ Reges, Eugenius edixit (3). At in Bulla, qua Concilii dissolutionem revocavit, reformationem etiam in capite faciendam expressit. Ita sane: verum anne hæc in capite reformatio, ipso Eugenio dante, fieri non permittebatur? anne de ea agi in eo Concilio non poterat, cui Eugenius per suos Legatos erat præfuturus? Profecto quando qui sua auctoritate, licet suprema, præest ceteris, istis decernendi de se quoque facultatem confert, nihil de illius suprema potestate deperit. Quod enim tunc inferiores faciunt, non sua, sed sibi tradita auctoritate faciunt. Quod si illud quoque accedat, ut qui præest aliis vel ipse per se, vel in persona eorum, qui illum repræsentant, cum illis in unum coeuntibus quidpiam etiam de sua agendi ratione decerni consentiat; multo minus potestati illius præjudicium aliquod affertur. Si ergo attendamus, & qua ratione Eugenius diligentissime præcaverit, ne Constantiensia decreta a se aliquo modo probari viderentur, & quomodo reformationem Ecclesiæ in capite, atque membris faciendam permiserit, nihil sane habetur, quod Adversariis nostris adjumento sit.

Cum effectu, omni devotione, atque favore Concilium Basileense

(1) Præced. §. (2) Hujus lib. cap.4. §.ult. (3) Vide præced. §.

lecnse sese prosequi, Eugenius quidem protestatus fuit; verumtamen ea conditione, ut illi pro se sui Legati præsiderent, atque revocarentur, quæ contra auctoritatem Apostolicæ Sedis decreta fuerant (1).

Dum vero Eugenius revocavit eas Constitutiones, quas contra Concilii prosequutionem edidetat, in hoc unum consensit, ut illud veluti legitime continuatum haberetur. Ceterum de ea quæstione, utrum videlicet sit potior auctoritas Summi Pontificis, an Concilii, nihil definitum voluit, sed ab ea omnino abstinendum censuit, atque habita ratione temporum, secundum jura agendum a se non esse putavit. Nam sicuti ait Abbas de Moniacis, unus ex Eugenii Oratoribus (2): " De suo jure etiam clarissimo non parum concedere „ pro scandalo evitando censuerat, firmiterque decreverat ". Unde in disputationem eorum, in quibus sibi a suis adversariis contradicendum videbat, Eugenius venire noluit. Summam, atque hic in terris nullius auctoritati obnoxiam Pontificiam potestatem asseruisse contentus: "Ne jura, (sicuti ait idem Auctor) „ & potestates Sedis Apostolicæ contemni, & comprimi. con„ niventibus oculis pati videretur ". Hinc etiam Episcopus Spalatensis, & ipse quoque Eugenii ad Synodum Orator, in mandatis a Summo Pontifice se habere dixit, ne disputaret de potestate Apostolicæ Sedis quoad dissolvendam, vel non dissolvendam Synodum Œcumenicam semel coactam (3): „ Nobis datum est in mandatis, ut super hujusmodi potestate „ non disputemus; ideo an legitima, & justa fuerit, nostrum „ non est decidere. Vos moveamini ex juribus scriptis, & con„ scientiis vestris ". Quapropter Eugenius id a se tantum sublatum voluit, quod contra prosequutionem Concilii Basileensis in duabus Bullis jam decreverat: ceterum si attendatur ad potestatem Pontificiam supra Concilia, tunc temporis ob bonum pacis disputationem de ea institui noluit, sed, uti Abbas de Moniacis dixit, *de suo jure etiam clarissimo non parum concedere pro scandalo evitando censuit*.

Y 2 Resci-

(1) Cit. §. (2) Apud Martene tom. 8. nov. Collect. pag. 545)
(3) Cit. loco pag. 656.

Rescidit ergo Eugenius quod ad Basileensis Concilii a se indictam dissolutionem spectabat, non vero ab eodem Concilio jam edita decreta de auctoritate supra Pontificem probavit, quin immo ea rescissa se velle constituit, quemadmodum ostendimus (1). Hoc idem constat etiam ex *Cedula oblata pro parte Domini Imperatoris*, *instantibus Ambassiatoribus Domini Papæ*, *singulis deputationibus*, *die Mercurii* 14. *Octobris* (2), in qua præter alia hæc leguntur: " Petit præfatus Sanctissimus „ Dominus noster quidquid contra personam, auctoritatem, „ & libertatem suam, & Sedis Apostolicæ, & aliorum sibi „ adhærentium, & fidelium actum est, revocari, & in pristinum statum reduci. Ipse etiam, si quid dictæ prosequutioni, & continuationi obstans est, tollit, & revocat. Petit „ etiam, ut justissimum est, suo, & Apostolicæ Sedis nomine præsidentem admitti. Hanc siquidem revocationem „ pro expeditiori concordia, & pace petit in genere. Similiter etiam ex parte sua vobis offert, si quid contra ipsum „ Concilium, aut singulares personas forsitan fecisset, ut „ ex serie litterarum suarum plane comprehenditur ". In hac autem *Cedula*, quæ mandante Imperatore, & urgentibus Eugenii Legatis, oblata fuit singulis Deputationibus *pro expeditiori concordia*, *& bono pacis* Eugenium satis habuisse dicitur, ut decreta jam facta contra auctoritatem Sedis Apostolicæ *in genere* revocarentur. Quo sane semper magis magisque constat, quod supra dicebamus, hoc est, Eugenium venire noluisse in disputationem suæ auctoritatis supra Concilium, sed satis habuisse, ut a Basileensibus in genere revocaretur, quod contra auctoritatem Apostolicæ Sedis ab illis decretum fuerat.

Non solum ergo Eugenius, & quidem in litteris non ad privatas personas a se datas, sed ad Enricum Daniæ, & Wladislaum Poloniæ Reges (3) bono pacis inductum se consensisse dixit in prosequutionem Concilii Basileensis, sed etiam in publica *Cedula* oblata singulis Deputationibus *pro expeditiori concordia*,

(1) Præced. §. (2) Apud Martene tom. 8. novæ Collect. pag. 667.
(3) Præced. §.

cordia, *& pace* Eugenium petiisse dicitur *in genere* revocationem decretorum, quæ lata contra auctoritatem Apostolicæ Sedis in Concilio Basileensi fuerant. Unde non est, cur Bossuetius ad privatas epistolas pro se recurrat.

Hic autem ultimo ea iterum animadvertenda censemus, de quibus supra multis jam egimus (1), hoc est, quæ decreta Summi Pontifices, cogente metu, ediderunt, neque firma esse, neque ea pro certis in Ecclesia habita fuisse: unde si quando rem unam, deinde contrariam ii decreverint, illius sane rationem habendam, quam plena libertate sanxerint; ac propterea quum Eugenius omnino libere Basileense Concilium dissolverit, non libere autem consenserit in prosequutionem ejus, illum revera ex animi sententia egisse, dum illud prius fecit, dici oportere. Quo sane semper magis magisque constat, ex consensione Eugenii, quoniam ea omnino libera non fuit, nihil minus colligi posse, quam quod Adversarii nostri vellent. Ex his autem omnibus quum refutata maneant etiam nonnulla alia levioris momenti, quæ ipsi Adversarii pro se in medium adducunt; non est cur nunc illa sine ulla necessitate, atque fructu distinctim refellenda aggrediamur.

§. V. Bossuetius falso contendit constare *de Actis ab Eugenio IV. adversus Basileenses in Ferrariensi Concilio editis*, decreta *priora Basileensia*, *quibus Constantiensia confirmantur*, *integra auctoritate esse*.

Idem Auctor *Defensionis &c.* lib.6., alias 10., cap.7. illud animadvertit, Clerum Gallicanum non quidem posteriora Basileensia decreta defendenda suscepisse, sed Constantiensia, *Basileensibus prioribus gestis*, *consentiente Pontifice*, sicuti ipse inquit, *toties repetita*. Hæc ergo *immota stare* ex Ferrariensi Concilio in sequenti 8. capite contendit, ex Florentino autem in capite 9. Nos in hoc §. Ferrariensis Concilii, in sequenti, Florentini habita ratione, illum refutabimus, atque ita huic quæstioni finem imponemus. Hæc ergo sunt, quæ Bossuetius in capite 8. pro se in medium adducit. 1. Urget Decretalem *Salvatoris*, in qua Eugenius confirmat decretum

(1) Vide hujus cap. §.1. & seq.

tum *Hæc sacrosancta* XXV. Sessionis Concilii Basileensis, uti verum, ac legitimum decretum legitimi Concilii, atque ex eodem decreto Florentiæ, vel Utini futuram Synodum habendam determinat. " Ergo (colligit Bossuetius) Basileensibus „ gestis ad XXV. Sessionem innititur, nedum ea edicto im- „ probavit ". 2. Appellat ad Bullam *Doctoris gentium* in quo commemorat idem Eugenius decretum *Hæc sacrosancta* Sessione XXV. in Basileensi Concilio editum, atque ob illud edicit, Concilium Basileense Ferrariam transferendum esse. „ Ad hæc (inquit Bossuetius) de Basileensibus multa conque- „ stus est, (Eugenius) nihil vero de iis, quæ ad Constan- „ tiensia decreta spectarent ". 3. Provocat ad decretum I. Sessionis Ferrariæ habitæ ante adventum Græcorum, quo statuitur, Synodum Ferrariensem Basileensis prosequutionem esse. " Igitur (inquit Bossuetius) adeo non improbat anterio- „ ra Basileensia decreta, ut iis innitatur, & ea continuet ". Denique in medium adducit Eugenii præsentis in Synodo Ferrariensi decretum, approbante Concilio, editum, in quo *signanter* declarat gesta Concilii a die translationis esse nullius roboris. " Ergo (infert Bossuetius) nec ipse Pontifex ante- „ riora gesta rescissa esse voluit ". Animadvertit autem posteriora Basileensia decreta ob hanc causam ab Eugenio rejecta, quam ipse Eugenius his verbis expressit: " Nos igitur „ attendentes excessus eorum adeo notorios, ut non possint „ aliqua tergiversatione celari, quodque error, cui non re- „ sistitur, approbari videtur, & latum pandit delinquentibus „ iter is, qui eorum conatibus non resistit &c. " Ex his autem ita Bossuetius infert: " Atqui haud minus notoria erant, „ quæ pro Constantiensibus decretis Basileenses gesserant, „ ante dissolutionem quidem Sessione II., post instauratam „ vero Synodum Sessionibus maxime XVI., & XVIII. Ergo si „ Eugenius improbanda ea esse censuisset, & tamen conti- „ cesceret, veritatem prodidisset. Conticuit autem: non „ ergo ea improbanda censuit. Ex his omnibus liquet Basi- „ leensibus gestis detractam auctoritatem, eis quidem præci- „ se, quæ post translationem facta sint, anterioribus vero „ mini-

„ minime ... Quare anteriora Basileensia decreta, quibus „ Constantiensia confirmantur, repugnante nemine, immo „ tota Ecclesia iis decretis nixa, plena auctoritate constant".

Absolute quidem Bossuetius ita pronuntiat: attamen non vere, sicuti pluribus est jam ostensum a nobis. Nunc igitur singula expendamus. Eugenius ergo in Decreto, quod incipit *Salvatoris* nihil se magis desiderare, atque expetere præmittit, quam unionem Græcæ cum Latina Ecclesia: ad Synodum Basileensem suos Legatos misisse deinde dicit, ut una cum Patribus locum determinarent, in quo Synodus pro unione Græcorum habenda foret: *Cedulam* illam postea refert, quam Orator Græcorum Synodo Basileensi obtulit, atque in ea nomine suorum reclamavit contra determinationem factam a majori parte Patrum, Legatis Sedis Apostolicæ, aliisque contradicentibus, de Synodo cogendâ Avenione. Tandem a Græcis se exoratum affirmat, ut Synodum in Italia haberi præciperet. Hisce præmissis, ita statuit (1): " Electio„ nem Florentiæ, vel Utini, aut alterius loci pro celebratio„ ne Œcumenici Concilii, ut in decreto continetur, acce„ ptamus, ac etiam confirmamus. Nulli ergo omnino homi„ num liceat hanc paginam nostræ susceptionis, acceptatio„ nis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario „ contraire". His autem Eugenius, & suæ supremæ legislativæ potestatis manifestum argumentum dedit, uti nemo non videt, &, quod sane animadvertendum est, prius decretum editum a majori parte Patrum Basileensium in Sessione XXV. rescidit, & alterum confirmavit, uti dicit idem Eugenius *superinde confectum*, & quidem a saniori parte Concilii, consentientibusque Legatis Apostolicæ Sedis (2). Nam in priori decreto, contra quod Orator Græcorum nomine suorum reclamaverat, sancitum erat, ut Concilium Avenione haberetur, atque ita quidem ut omnibus, atque etiam Summo Pontifici aliter hac de re decernendi facultas sublata esset (3). Hæc

(1) Tom.18. Concil. edit. Venet. colum.856. (2) Vide Patricium tom.18. Concil. edit. Venet. colum.856. Vide idem Decretum in eodem tomo colum.847. (3) Tom.17. Concil. edit. Venet. col.347.

Hæc quum ita sese habeant, inde refelli Bossuetium, unde adversus nos prævalere se posse arbitratur, quis non videat?

In Bulla *Doctoris gentium* antequam Eugenius decernat Concilium Ferrariæ habendum, appellat quidem ad decretum *Sacrosancta*, quod in Sessione XXV. Concilii Basileensis editum fuit; verumtamen plena sua auctoritate utitur, cui nulla potestas contradicere possit, dum Concilium Ferrariæ habendum indicit (1): " Tenore præsentium, (inquit) auctoritate „ Apostolica, & ex certa scientia, & ex plenitudine potesta- „ tis, civitatem Ferrariensem, quam & pro futuro Œcume- „ nico Concilio ex nunc assumimus, ex nunc prout ex tunc, „ & ex tunc prout ex nunc pro loco dicti Concilii transfe- „ rendi nominamus, assignamus, & etiam deputamus ". Postquam vero declaravit, sese permittere, ut de causa Bohemorum adhuc per triginta dies Basilææ ageretur, ita prosequitur: " Decernentes, ac etiam declarantes omnem aliam „ nominationem, declarationem, electionem, vel translatio- „ nem quavis auctoritate, aut quocumque prætextu factam, „ vel etiam in posterum faciendam, præter quam auctoritate „ nostra, de qua constat per authenticas litteras nostras, „ super hoc conficiendas, nullius esse, prout est, roboris, „ vel momenti ". Mandat postea omnibus, quorum est Concilio interesse, ut ad dictum locum sese conferant, & ne ullum *conciliarem actum* Basilææ amplius habeant, sub pœna excommunicationis, & privationis omnium dignitatum *ipso facto incurrenda* interdicit. De multis autem aliis, quæ spectant ad locum, quem pro Concilio habendo Basileenses elegerant, cum iisdem Eugenius conquestus fuit: attamen de decretis Constantiensibus non erat, cur conquereretur, tum quia non ferebat res, de qua agebatur, tum quia suo facto eorum se nullam habere rationem, nemini dubitandi locum reliquit.

In decreto I. Sessionis habitæ Ferrariæ non dicitur, sicuti Bossuetius habet: *Synodum Ferrariensem Basileensis continuationem, ac prosequutionem esse*; sed (2) " Hanc ipsam sanctam „ Synodum ad ea omnia, pro quibus dictum olim Basileense „ Conci-

(1) Tom.18. Concil. cit. edit. colum.880. (2) Cit. tomo col.899.

„ Concilium ab initio fuerat institutum, præsertim pro futuro Œcumenico Concilio pro ipsa sanctissima unione prædicta in præsenti civitate Ferrariæ in Spiritu Sancto esse legitime congregatam, & stabilitam, continuationemque deinceps, & prosequutionem ad prædicta omnia debere habere". Ita vero sancitum in hoc decreto fuit consentanee ad ea, quæ in *Avisamentis Reverendissimi Domini Legati super stabilimento hujus sacri Concilii Ferrariensis* leguntur (1). In eis enim primo loco proponebatur: "Quod in hac civitate Ferrariæ sit Concilium fundatum, & stabilitum ad continuandum, & prosequendum ea, pro quibus Basileense Concilium fuerat institutum, & etiam pro Œcumenico Concilio pro unione Græcorum". Ceterum quam alieni Ferrarienses a sententia Patrum Basilensium fuerint in iis, quæ Summi Pontificis, Conciliorumque auctoritatem spectant, citati decreti initio statim apertissime declarant: "Sancta universalis Synodus (inquiunt) per ipsius Dei gratiam, auctorizante Beatissimo Domino Eugenio Papa IV., in hac civitate Ferrariæ in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, præsidente vice, & nomine ipsius Sanctissimi Domini Eugenii Reverendissimo in Christo Patre, & Domino, Domino Nicolao, tituli S. Crucis in Jerusalem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, illius inhærens firmissimo fundamento, qui Apostolorum Principi dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, sollicita servare unitatem spiritus in vinculo pacis, ut simus unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostræ". Hæc profecto tam manifesta sunt, ut ad refellendam Bossuetii interpretationem nulla nostra commentatione egeant.

Tandem ex eo decreto, quod Eugenius, sacro approbante Concilio, in Synodo Ferrariensi edidit, non consequitur, quod Bossuetius contendit. Vult enim ipse Eugenium in eo probasse, quæ Patres Basileenses, antequam Concilium

(1) Cit. tomo colum. 896.

Ferrariam transferretur, statuerunt, quia, ut ipse inquit, *signanter declarat gesta Concilii a die translationis nullius esse roboris*. Verum enim vero nunc quoque non secus, ac in Bulla *Doctoris gentium* facto suo Eugenius apertissime declaravit, quæ Patres Basileenses de auctoritate Conciliorum supra Pontificem decreverunt, antequam Concilium Ferrariam transferretur, contra omne jus decrevisse. Quandoquidem illud Patres Basileenses Sessione XI. constituerant: " Concilium per „ neminem, etiamsi Papalis fuerit dignitatis, sine consensu „ duarum partium Concilii dissolvi, aut de loco ad locum „ mutari posse ". Hujus vero decreti Eugenius nullam rationem habuit, immo illud omnino despexit, dum Synodum sua auctoritate Ferrariam transtulit. Non solum enim duæ Concilii partes huic translationi non consenserunt, sed repugnavit pars maxima Patrum, quemadmodum etiam Bossuetius fatetur. Inter pauciores, attamen sapientiores, qui translationi consensere, fuerunt quidem Legati Apostolicæ Sedis: verum ex sententia Basileensium suffragium illorum suffragiis ceterorum Patrum præferendum non erat, quum vellent, ut sine potestate, atque jurisdictione, quam coactivam vocant, Synodo præsiderent. Facto itaque simul atque decretis Eugenius improbavit, quod a Patribus Basileensibus de auctoritate Conciliorum supra Pontificem constitutum fuerat.

Est illud etiam animadvertendum, solemne totius Concilii decretum de Synodo non transferenda sine consensu duarum partium, eos Concilii Patres, qui prudentia, doctrina, atque æquitate præstabant ceteris, nihil fuisse moratos. " Ideo Basileenses (ita pro suo more acute, & dilucide „ Cl. Orsius *de Rom. Pontif. auctorit.* lib. 6. cap. 8. art. 3.) ad „ Synodum jure, ac legitime transferendam duarum partium „ consensum requirebant, quoniam in duabus partibus to„ tius Concilii auctoritatem residere judicabant, adeoque „ & summam illam inesse Catholicæ Ecclesiæ potestatem, cui „ parere Pontifex teneatur, & quæ in summis Ecclesiæ ne„ gotiis a Spiritu Sancto regatur, nec deficere possit. Atqui „ optima Concilii pars decretum majoris partis velut impro„ bum,

„ bum, & Ecclesiæ noxium rejecit, & improbavit, statuitque „ Synodum esse in Italiam transferendam, quamquam major „ numerus repugnaret : ergo illustrior Basileensium portio, „ translationi ad votum Pontificis consentiendo, priora gesta „ damnavit, agnovitque fuisse olim tota Synodi auctoritate „ factum decretum, quod Ecclesiæ noxium, & perniciosum „ esset : quamquam & hoc ex eorum numero haberetur, „ quod cum Constantiensibus connexum esset, eisque innite„ retur“. Ex his autem omnibus, quæ usque modo disseruimus, totam Bossuetii ratiocinationem falso fundamento nixam esse, nemo non videt.

y. VI. Falso contendit Bossuetius Decretali : *Moyses*, in Synodo Florentina edita, *priora Basileensia, & Constantiensia decreta firmari*.

„ Qua quidem Decretali (inquit idem Auctor *Defensio„ nis &c.* lib.6., alias 10., cap. 9.) Eugenius eisdem insistens „ vestigiis, Basileensia posteriora convellit; ea scilicet, quæ „ post translationem facta sint, non autem antecedentia: „ tum etiam Basileensia illa posteriora sic improbat, ut firmet „ Constantiensia“. Verum rem totam diligenter expendamus, videbimusque Bossuetium, nolentem tamen, statuere, contra ac in animo sibi induxerat, Constantiensia decreta ab Eugenio reprobata fuisse, si eo sensu accipiantur, quo tum ipse, tum Basileenses acceperunt. Basileenses igitur Sessione XXXIII. (1) quemadmodum etiam Bossuetius animadvertit, hæc tria decreverunt: “ 1. Ut veritas de potestate Concilii „ Generalis supra Papam, declarata per Constantiense, & hoc „ Basileense, Generalia Concilia, sit veritas fidei Catholicæ: „ 2. veritas hæc, quod Papa Concilium Generale, sine ejus „ consensu, nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut „ ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transfer„ re, sit fidei Catholicæ : 3. Ut veritatibus his duabus perti„ naciter repugnans, sit censendus hæreticus“. Fundamentum autem harum veritatum, quemadmodum eas Basileenses vocabant, ipsi reposuerunt in præcedentibus declarationibus

(1) Tom.17. Concil. edit. Venet. colum. 390.

tam in Constantiensi, tum in eodem Basileensi Concilio factis. Nam antequam illas constituant, ita habent (1). "Et licet „ has esse veritates fidei Catholicæ constet ex pluribus decla- „ rationibus præcedentibus, tam in præfato Constantiensi „ Concilio, quam in hoc Basileensi factis, ad majorem tamen „ soliditatem, & firmitatem omnium Catholicorum in unani- „ mi professione veritatum ipsarum, hæc sancta Synodus defi- „ nit &c." Id etiam Bossuetius in citato capite confessus fuit, singulariterque ad decretum V. Sessionis Synodi Constantiensis retulit fundamentum prædictarum veritatum: "Has vero (hoc „ est, veritates, inquit,) fulciebant Constantiensibus decre- „ tis Sessionis V. toties Basilææ repetitis: eaque decreta pri- „ ma illa veritate apertissimis verbis iterum repetita". Has ergo tres veritates Basileensium, re autem vera pertinaces errores, Eugenius in suo Decreto: *Moyses* damnavit, uti editas (2) *ab impiis hominibus, & nullam potestatem habentibus, sed a Deo abjectis, & reprobatis*. Modo ita: Profecto Basileenses, & cum iis Bossuetio consentiente (3), suarum illarum trium veritatum fundamentum in decreto V. Sessionis Concilii Constantiensis inde posuerunt, quia tuebantur, in illa Sessione Concilium Constantiense Œcumenicum fuisse, & decretum illius spectare non solum ad Pontifices dubios, sed etiam certos, ita ut quilibet Pontifex *mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis cujuscumque Concilii Generalis* subjectus esset: at vero Eugenius & tres confictas veritates Basileensium damnavit, & antequam damnaret, illud quoque declaravit, Basileenses, ut *suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorarent, Constantiense Concilium in malum, & reprobum sensum, & a sana doctrina penitus alienum*, pertraxisse (4): semel ac ergo Bossuetius statuat, quemadmodum non statuere non potest, tres prædictas veritates Basileensium ab Eugenio in decreto *Moyses* damnatas fuisse, non quod ipse vult, colligitur, sed nolens fateri debet, Constantiensia decreta ab Eugenio reprobata fuisse, si eo sensu accipiantur, quo tum ipse, tum

(1) Vide cit. tom. colum. 389. (2) Tomo 18. ejusdem edit. colum. 1206. (3) Cit. tom. colum. 1205. (4) Cit. loco.

tum Basileenses acceperunt. Eum ergo non minus quam Basileenses, quoad rem istam Eugenii decretum petit.

Verum, reponit Bossuetius, Eugenius quidem damnavit tres illas veritates Sessionis XXXIII. Concilii Basileensis, at *ad pravum eorum intellectum*. Pravitas autem hujusmodi sensus in eo posita erat, prosequitur Bossuetius, ut Synodum ob nullam prorsus causam transferri posse, atque id spectare ad fidem, Basileenses vellent. Quum ergo Eugenius damnaverit eas veritates uti *contrarias scripturis*, *Patribus*, *& Concilii Constantiensis sensui*: inde consequitur, Eugenium sensisse, investigandum quidem esse sensum Constantiensium decretorum, eorum tamen auctoritatem certam esse, quum illam conjunxerit cum scripturis, & Patribus, ut *certam fidei normam*.

At vero ipsum Eugenium sibi semper eodem modo contradicentem Bossuetius habet. Nam idem Bossuetius *Defensionis &c.* lib.5., alias 9., cap.13., sicut alias eum confutando animadvertimus (1), contendit a Concilio Constantiensi constitutum fuisse, " Ut in fidei, schismatis, reformationis casu, „ non tantum Constantiensi, sed etiam cuicumque, quocumque tempore, & quacumque causa congregato Concilio „ Generali obedientia a Papa etiam præstari oporteat ". Sequentibus quoque capitibus usque ad 20. in id quam maxime nititur, ut evincat, Decreta Concilii Constantiensis de auctoritate Conciliorum supra Pontificem aut ad solum tempus schismatis, aut ad dubium Pontificem referri non oportere, indeque post multa, ut cetera omittam, quæ in defensionem suæ assertionis cap. 15. profert, ita concludit: " Quod est „ de Papa in Sessionibus IV., & V. definitum, non ad Papam „ dubium, aut ad schismatis tempus; sed ad omnia tempo„ ra, & ad ipsum Papatum, qualis est a Christo institutus, „ pertinet; contra quod Adversarii interpretabantur ". Rursus illud quoque Bossuetius tuetur, decretum V. Sessionis Concilii Constantiensis ad fidem pertinere, & factum *conciliariter* (2).

Verum hæc duo sunt, ipso Bossuetio teste, quæ Eugenius damnat in tribus illis veritatibus, quas Basileenses in Sessione

(1) Vide hujus lib. cap.4. §.6. (2) Vide ejusd. cap. §. ult.

sione XXXIII. constituerant. Quandoquidem semel ac *cuicumque*, *quocumque tempore*, *& quacumque causa congregato Concilio Generali*, *obedientia a Papa etiam præstari oporteat*; semel ac *non ad Papam dubium*, *aut ad schismatis tempus*, *sed ad omnia tempora*, *& ad ipsum Papatum*, *qualis est a Christo institutus* pertineant, quæ Patres Constantienses de auctoritate Conciliorum supra Pontificem definierunt; inde necessario consequitur, ob nullam causam Synodum a Summo Pontifice propria auctoritate transferri posse, quia hoc dum ille facit; nec *cuicumque*, *nec quocumque tempore*, *nec quacumque causa congregato Concilio Generali obedientiam præstat*, *nec ad omnia tempora*, *& ad ipsum Papatum*, *qualis est a Christo institutus*, auctoritas Conciliorum extenditur, sed Pontifex suo jure, atque superiori potestate in ipsa Concilia utitur. Semper ergo Bossuetius Eugenium eodem modo sibi contradicentem habet.

Hoc autem inde magis magisque confirmatur, quia quod Bossuetius tuetur, fundamentum est ejus, quod Basileenses tuebantur, hoc est, ob nullam causam Synodum a Summo Pontifice transferri posse: quod sane ab Eugenio damnatum fuit. Nisi enim primo ponatur, *cuicumque*, *quocumque tempore*, *quacumque causa congregato Concilio Generali* Summum Pontificem obedientiam præstare debere, & potestatem Conciliorum supra Summum Pontificem extendi *ad omnia tempora*, *& ad ipsum Papatum*, *qualis est a Christo institutus*; hoc alterum nullo modo constitui potest, videlicet, nullam causam esse, ob quam Summus Pontifex Synodum transferre valeat. Hoc Eugenius damnat in Basileensibus, ipso Bossuetio consentiente: ergo & illud quoque, quod idem Bossuetius tuetur.

Prædictas tres veritates, quemadmodum eas Basileenses vocabant, inde etiam Eugenius damnavit, quemadmodum Bossuetius consentit, quia illas ad fidem spectare definiverant. Harum autem veritatum prima hæc erat: " Sacrum Generale „ Concilium supra Papam, & alium quemvis potestatem ha„ bere ". At Bossuetius etiam contendit (1), ad fidem pertinere decretum illud, quo in Constantiensi Concilio definitum fuit,

(1) Vide hujus lib.4. cap.4. §.13.

fuit, Summum Pontificem cuicumque Œcumenico Concilio subesse debere: quo sane decreto Bossuetius una cum aliis definitum censet, quod adversus nos propugnat, atque etiam ab eodem decreto tempus determinatum schismatis vult exclusum, sed in eo quodvis tempus designatum contendit (1): semper ergo magis magisque constat, Bossuetium habere Eugenium sibi contradicentem. Tantum ergo abest, ut Decretali: *Moyses* in Synodo Florentina edita Basileensia, & Constantiensia decreta, prout vult Bossuetius, firmata fuerint, ut tum illa, tum ista secundum eum sensum, quo Adversarii nostri accipiunt, Eugenius in eadem Decretali omnino reprobaverit. Nunc ea Bossuetii resumamus, quæ omisisse videmur.

Attamen, inquit Bossuetius, Eugenius posteriora decreta, quæ post translationem facta fuerunt, non vero priora convellit: deinde sensum Constantiensium decretorum investigandum relinquit, eorum tamen auctoritatem uti certam habet, quum illam conjungat cum Scripturis, & Patribus *uti certam fidei normam*. Ita ne vero? Eugenius in Decretali: *Moyses* quid gestum in Synodo Basileensi foret, his verbis primo exponit (2): " Quam Basileensem impietatem dudum prævidere cœpimus: quandoquidem illud tunc Basileense Concilium intuebamur jam in tyramnidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, standumque pro libitu factionis auctorum cogerentur, dum nonnullorum vota, & judicia diversis artibus extorquerentur, dum conspirationibus, conjurationibus, monopoliis, & conventiculis pene omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturna protractio ipsius Concilii quærebatur. Ubi denique innumeræ novitates, inordinationes, deformitates, & quasi infinita patrabantur mala, ad quod etiam laici, & clerici infra sacros Ordines constituti, ignorantes, inexperti, vagi, discoli, profugi, apostatæ, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, nobis, & suis superioribus rebelles, & reliqua istiusmodi hominum monstra concurrerent ". Hæc vero postquam de Basileensi Concilio coram iis quoque, qui

(1) Vide hujus lib. cap.4. §.10.

(2) Tom. 18. Concil. edit. Venet. colum. 1202. & seq.

qui illi adfuerant, Eugenius commemoravit, ob ea se inductum fuisse profitetur, ut Concilium Ferrariam transferret. Quapropter *innumeras novitates*, *inordinationes*, *deformitates*, *& quasi infinita mala*, & quidem etiam a perditis hominibus in Ecclesiam inducta fuisse a Concilio Basileensi Eugenius conqueritur, antequam illud Ferrariam transferretur: ergo improbavit, rejecit, atque damnavit decreta Basileensium etiam ante translationem edita.

Nunc de Eugenii judicio quoad Constantiensia decreta. Ita ergo Eugenius habet de Basileensibus, dum, ut ipsi ajebant, tres prædictas veritates constituere (1): " Sessionem fecerunt (2), in qua quibusdam decretis, licet per unam tantum ex tribus obedientiis post recessum Joannis XXIII., sic in eadem obedientia nuncupati, Constantiæ schismate tunc vigente, editis, inhærere se dicentes, tres propositiones, quas fidei veritates vocant .... protulerunt ". Constantiensia ergo decreta Eugenius edita commemorat & ab una obedientia, & post recessum ab ea Joannis XXIII., & Constantiæ vigente schismate. Ex quibus sane constat, quam auctoritatem iisdem decretis Eugenius delatam voluerit. Tamen inde quoque Basileenses graviter carpit, quod ea *in malum*, *& reprobum sensum* pertraxissent. Unde postea etiam affirmat, quod Basileenses decreverant, contrarium esse Scripturis, Patribus, & Concilio Constantiensi. Utrum ex hoc consequatur, voluisse Eugenium, ut decreta Constantiensia haberentur sicuti *certa fidei norma*, aliis judicandum relinquimus.

Usque modo satis multa de iis, quæ spectant ad Constantiense Concilium. Nonnulla alia, quæ superaddere possemus, prætermittimus, quum satis constare arbitremur, omnino esse perspectum de ea suprema judicii ratione, quam Summo Pontifici vindicare nobis proposuimus, habita etiam ratione illorum, quæ in Constantiensi Concilio, proximeque ante, & post illud decreta fuerunt. Graviora autem, quæ contra nos quoad rem istam totam Adversarii nostri in medium producunt, nullius momenti esse, jam ostendisse nobis sufficit, quædam alia leviora omittimus. LI-

(1) Cit. tomo colum. 1204. (2) Hæc est Sessio XXXIII.

LIBER XXV.

DE UNITATE FIDEI, ATQUE COMMUNIONIS, QUAM CUM SUPREMO ECCLESIÆ CAPITE OMNES FIDELES HABERE DEBENT.

NOtam unitatis solius Ecclesiæ Catholicæ propriam esse, qua ab omnibus hæreticis, atque schismaticis ipsa discernitur, ita certum Irenæo fuit, ut in ea defensionis veræ fidei firmissimum præsidium constituerit, atque disputandi initium ab illa sumpserit: " Hanc prædicationem „ (inquit lib. 1. *cont. Hæreses* cap. 10. num. 2.) quum ac„ ceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ec„ clesia in universum mundum disseminata, diligenter cu„ stodit, quasi unam domum inhabitans: & similiter cre„ dit iis, quasi unam animam habens, & unum cor, „ & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi „ unum possidens os ". Hinc etiam Tertullianus ajebat *de Præscript. Hæret.* cap. 20. " Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ „ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes „ prima, & Apostolicæ, dum unam omnes probant unita„ tem ". Et S. Cyprianus in lib. *de Unitate Ecclesiæ*: " Quam „ unam Ecclesiam (inquit) etiam in *Cantico Canticorum* Spiri„ tus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit: *Una est* „ *columba mea*... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, „ tenere se fidem credit "? Potissima, atque præcipua visibilis Ecclesiæ unitas duplex est: una fidei, altera communionis. De priori in hujus libri 1. capite, de altera in 2. capite disputabimus. Quia ergo ad habendam unitatem fidei in omnibus Fidelibus, visibile principium necessarium est, cum quo cuncti Fideles in sua fide omnino conformentur, illudque habeant loco cujusdam lydii lapidis, cum quo a se credenda, vel non credenda comparent; ideo de hoc nunc principio quærimus, dicimusque esse fidem Romani Pontificis, quatenus ipse est supremus universæ Ecclesiæ moderator, & rector, atque

super eam Primatum non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam auctoritatis, & jurisdictionis gerit, indeque tuemur, cunctos Fideles cum Summo Pontifice in unitate fidei conjunctos esse debere.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS, QUIBUS CONSTAT, CUNCTOS FIDELES CUM SUMMO PONTIFICE CONJUNCTOS ESSE DEBERE IN UNITATE FIDEI.

§. I. EX ipsa traditione omnino constat, cunctos Fideles fidei unitate cum Romanis Pontificibus consociatos esse debere.

S. Irenæus lib.3. *cont. Hæreses* cap.3. num.2. dixit, ad Ecclesiam Romanam, & quidem habita ratione fidei, necesse esse omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique, Fideles. Mentionem deinde facit, Romanorum Pontificum, qui Petro successerunt usque ad sua tempora, atque ex successione eorum ita colligit: " Hac ordinatione, & successione ea, quæ ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam, & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate ". Irenæus igitur duo affirmat: 1. ad Ecclesiam Romanam, habita ratione fidei, convenire oportere omnes, qui sunt undique Fideles: 2. successione Romanorum Pontificum factum esse, ut quæ est ab Apostolis traditio usque ad nos pervenerit, indeque ostendatur, " Unam, & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate ". S. Cyprianus in lib. *De unitate Ecclesiæ* affirmat: " Primatum fuisse datum Petro, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur ". Cathedræ autem nomine nonnisi doctrina fidei hic intelligi potest. Sicut ergo, teste Cypriano, Ecclesiæ unitas Primatui Petri innititur; ita etiam eidem Primarui innititur unitas doctrinæ: ad Primatum ergo Petri refertur

non

non minus Ecclesiæ, quam doctrinæ unitas. Hinc est, ut ipse Cyprianus faciat idem judicium tum de illo, qui Ecclesiæ resistit, tum de altero, qui Cathedram Petri deserit: inquit enim in eodem libro: " Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Ca-
" thedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit,
" in Ecclesia se esse confidit " ? Optatus Milevitanus lib. 2. *Cont. Parmenianum* cap. 2. Episcopalem Cathedram idcirco uni Petro collatam dicit, ut *in ea una Cathedra unitas ab omnibus servaretur*: ita enim Parmenianum affatur: " Negare non potes
" scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem
" esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput
" Petrus, unde & Cephas appellatus est, in qua una Cathe-
" dra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli sin-
" gulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus, & pec-
" cator esset, qui contra singularem Cathedram alteram col-
" locaret. Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus
" (Ecclesiæ) sedit prior Petrus, cui successit Linus ". Cathedræ significationem nunc distinctius exponamus, ut quid Optatus, aliique, quos postea afferemus, per Cathedram significatum voluerint, facile intelligi ab unoquoque possit. Cathedræ ergo appellationem Ecclesia accepit ab Hebræis, ac præsertim ex Evangelio *Matthæi* cap. 23. v. 2., in quo mentio fit cathedræ Moysis, ex qua Scribæ, & Pharisæi legem explicabant. Mosaicæ autem cathedræ nomine non intelligitur ille locus, ex quo Scribæ, & Pharisæi populum docebant, sed doctrinam Moysis, quam explicabant: *Per cathedram Moysis doctrinam legis intelligit*, inquit S. Hieronymus lib. 3. in *Matth.* Idem vero confirmat etiam S. Athanasius in Expositione 1. Psalmi ad illa verba: *Et cathedram pestilentiæ*, inquiens: *per cathedram doctrinam significat, ut ipse ait: super cathedram Moysis*. Hinc nomen Cathedræ ad fidem, quam Episcopi docent, S. Fulgentius retulit. In libro enim *de Trinitate ad Felicem Nolanum* loquens de fide, quæ in Ecclesiis Apostolicis tenebatur, hæc habet: " Quæ usque nunc
" per successionum seriem in Cathedra Petri Apostoli Romæ,
" vel Antiochiæ, in Cathedra Marci Evangelistæ in Alexan-

 " dria,

„ dria, in Cathedra Joannis Evangelistæ Ephesi, in cathedra „ Jacobi Hierosolymæ ab ipsarum Episcopis prædicatur “.

Dum ergo Optatus affirmat, in una Cathedra Petri Romæ fundata, ab omnibus unitatem servandam esse, id sane vult, in doctrina fidei cum Cathedra Petri omnes conjunctos esse debere, ita ut sine hac unione intra Ecclesiam persistere non possint. Hujus rei rationem tradit S. Ambrosius in *Psal.*40. num.30. his verbis: “ Ipse est Petrus, cui dixit Christus: *Tu „ es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Ubi „ ergo Petrus, ibi Ecclesia “. Hinc idem S. Doctor lib. 1. *de Pœnitentia* cap.7. illud quoque affirmat, neminem salutem æternam consequuturum, si Petri fidem non habeat: “ Non „ habent enim (inquit) Petri hæreditatem, qui Petri fidem „ non habent, quam impia divisione discerpunt “. S. Damasus in epistola ad Paulinum (1) fidei confessionem subjecit, cui assentiri omnes, & subscribere deberent, qui, ut ipse ait, *Ecclesiæ copulari, id est, nobis per te voluerint sociari*: „ Ne tibi scrupulus resideret, & volentes forsitan Ecclesiæ „ copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus „ non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, „ quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis „ per te voluerint sociari “. Hieronymi autem ea semper sententia fuit, ab unoquoque Fideli fidei illi firmiter adhærendum esse, quam Romani Pontifices tenerent: “ Illud te „ pio affectu charitatis præmonendam puto (ita ad Deme- „ triadem epist.130. num.16.) ut S. Innocentii, qui Aposto- „ licæ Cathedræ successor est, teneas fidem; nec peregri- „ nam, quatenus tibi prudens, callidaque videaris, doctri- „ nam recipias “.

Quæ sententia Augustini, immo vero totius Ecclesiæ Africanæ hac de re fuerit, constat ex iis tribus epistolis, quas ad Innocentium datas legimus, unam quidem nomine Concilii Carthaginensis, alteram Milevitani, tertiam quinque Episcoporum (2). In iis enim tum Augustinus, tum ceteri Africa-

(1) Apud Coustantium in Collect. epist. Roman. Pont. (2) Juxta Maurinam editionem inter epistolas Augustini epist.175. & seq.

Africani Episcopi nihil evidentius testantur, quam fidem Romani Pontificis regulam esse debere fidei omnium Fidelium (1). S. Cyrillus in sua epistola ad Cælestinum postquam præmisit de Nestorii errore a se scribendum ad eum fuisse, ita habet (2): „ Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, & utrum „ aliquando cum illo communicare oporteat, an libere de„ nunciare, neminem cum eo, qui talia sentit, ac docet, „ communicare. Opus est autem, ut tuæ pietatis super hac „ re sententia tum piissimis, Deique amantissimis Macedoniæ „ Episcopis, tum omnibus Orientis Antistitibus per litteras „ manifesta fiat, ut uno animo in una sententia persistant, „ & rectæ fidei, quæ impugnatur, opem ferant “. Sixtus III. in litteris datis ad Joannem Antiochenum, qui Nestorio quondam adhærens ad Catholicam communionem redierat, fidei unitatem cum Romano Pontifice necessariam inde esse dicit, quia fides, quam tenent Summi Pontifices Petri successores, ea ipsa est, quam S. Petrus e Christi ore acceptam Romanæ Ecclesiæ tradidit, atque reliquit (3): “ Expertus es (inquit) „ negotii præsentis eventu, quid sit sentire nobiscum. B. Pe„ trus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tra„ didit, quis ab ejus velit se separare doctrina, quem inter „ Apostolos primum magister edocuit “? Ab eodem principio necessitatem unitatis fidei cum Sede Apostolica etiam S. Leo repetit in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis (4), & S. Gregorius Magnus epist. *39.* ad Joannem Episcopum, alias *36.*, affirmavit: “ Sanctam Ecclesiam in Apostolorum „ Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit „ in nomine, ut Petrus a Petra vocaretur “. S. Bernardus *de Considerat.* lib. 2. cap. 8. num. 1. postquam docuit cunctas omnino oves Petro traditas fuisse pascendas, hæc supperaddit: “ Et forte præsentes ceteri condiscipuli erant, quum „ committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno „ grege, & uno pastore secundum illud (5): *Una est columba* „ *mea*,

(1) Vide lib. 24. cap 1. §. 12. (2) Apud Coustantium in Collect. epist. Rom. Pontif. inter Cælestini epist. 8. num. 7 (3) Apud eumdem Sixti ep. 7. num. 5. (4) Juxta editionem Cacciarii. (5) *Cantic.* cap. 6. v. 8.

„ *mea*, *formosa mea*, *perfecta mea*". Non esset autem in uno pastore commendata unitas, si cum eo omnes Fideles in unitate fidei convenire non deberent. Tandem, ut alios sane multos omittamus, S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 10. pro certo statuit, spectare ad Summum Pontificem determinare symbolum fidei, ductus auctoritate eorum, quæ Christum Petro dixisse legimus *Luca* cap. 22. v. 32., atque hæc superaddit: „ Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Eccle„ siæ secundum illud 1. *Corinth.* 1. 10. *Id ipsum dicatis omnes*, „ *& non sint in vobis schismata*: quod servari non posset, nisi „ quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Eccle„ siæ præest; ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter te„ neatur". Quapropter unam esse non posse totius Ecclesiæ fidem decernit S. Thomas, nisi unus, qui toti Ecclesiæ præest, quæ fidei sunt, decernat, atque ita fiat, ut sententia ejus in tota Ecclesia firmiter teneatur. Qua ergo ratione necesse est, ut una sit Ecclesiæ fides, oportet quoque, ut omnes Fideles in unitate fidei cum eo conveniant, qui universæ Ecclesiæ præest. Esse ergo debere omnes Fideles cum Romanis Pontificibus in unitate fidei consociatos, ex traditione omnino compertum habemus.

§. II. Hujusmodi doctrinæ caput tale est, ut omnino connexum sit cum iis, quæ de auctoritate, potestate, atque jurisdictione Romani Pontificis jam ostendimus.

Ut ergo ab ultimo hujusmodi doctrinæ capite, de quo jam egimus, nunc exordiamur, lib. præced. cap. 2. & seqq. pluribus ostendimus, supremam judicii rationem, & potissimum eorum, quæ ad fidem spectant, Summi Pontificis propriam esse. Huic autem principio, a quo hæc suprema judicii ratio in rebus fidei habetur, si Fideles suam fidem conformatam non habeant, neque eamdem supremam judicii rationem in eo recognoscunt, neque in sua fide omnino certi esse poterunt, quia in eo principio nondum steterûnt, ultra quod nihil amplius expeti potest.

Pontificia de fide judicia infallibilia esse, tam si ratio habeatur ejus fundamenti, supra quod Christus Ecclesiam extruxit,

truxit, quam si attendatur ad ea, quæ tum *Lucæ* cap. 22. v.31. & seq., tum *Joan.* cap.21. v.11. & seqq., Christum Petro dixisse legimus, lib.23. cap.2. & seq. est jam confectum a nobis. Hæc autem infallibilitas neque a Romanæ Ecclesiæ, neque ab universæ Ecclesiæ, sive ubique diffusæ, sive in Conciliis Œcumenicis congregatæ, consensione pendet, sed eam ipsi Summi Pontifices secundum supremam rationem suæ præ ectūræ super universam Ecclesiam ex Divina institutione habent (1). Quum ergo ea fide, quæ ex se infallibilitatem habet, nulla certior excogitari possit; cum hac sane consequitur, ut Fideles, si ab omni periculo errandi abesse volunt, suam conformare debeant.

Quamvis jus appellationis non solum cadat supra jam edita judicia fidei, sed etiam supra alia, quæ ad disciplinam spectant; tamen supremum jus appellationum, quod Romano Pontifici lib.22. cap.2. & seqq. vindicavimus circa edita judicia fidei potissimum versatur. Est autem hujusmodi supremum jus appellationum in eo positum, ut Summi Pontificis sit, de fidei judiciis jam prolatis ultimam sententiam ferre, posteaque nullus amplius supersit disputationi locus, utrum hoc, vel illud ad fidem spectet, vel non spectet. Si ergo Fideles in sua fide certi, atque securi esse velint, ut in ea sese conforment fidei Romani Pontificis, necesse sane est.

Supra cœtum universæ Ecclesiæ simul in unum in Conciliis Œcumenicis congregatæ Summum Pontificem esse, & ad eum spectare Conciliorum Œcumenicorum decreta confirmare, lib.21. cap.3. evicimus. Ex quo sane hoc idem consequitur, quod nos modo volumus. Nam si Patres in Œcumenico Concilio simul uniti (quo sane cœtu, nullus nobilior, gravior, atque quovis ex capite præcellentior haberi potest) in fidei suæ decretis fidei Summi Pontificis conformari debent, multo id magis omnes alii Fideles faciant oportet.

Est etiam Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum, in quo unus præest omnibus, sive singillatim, sive simul acceptis, quemadmodum lib.20. cap.4. ostendimus, & Summus Ponti-

(1) Ejusdem libri sequentibus capitibus.

Pontifex, qui hoc regimen tenet non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam potestatis, ac jurisdictionis Primatum habet, qui universam Ecclesiam complectitur, atque inter cetera spiritualia, quæ sunt fidei, potissimum respicit, uti constat ex iis, quæ lib. 18. cap. 1. & seqq. pluribus differuimus. Hoc autem regimen perfecte Monarchicum, cui tum singuli, tum omnes subjiciuntur; hic Primatus non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam potestatis, atque jurisdictionis super universam Ecclesiam, quum, uti dicebamus, inter cetera spiritualia, quæ sunt fidei, potissimum complectatur, inde sane consequitur, ut uni illi, qui supremum Monarchicum regimen in Ecclesia tenet, qui super universam Ecclesiam Primatum non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam auctoritatis, & jurisdictionis habet, omnes Fideles in fide conformari debeant.

Hoc vero totum de conformatione fidei, quod etiam Adversarii nostri tuentur (1) cum aliis eorum doctrinæ capitibus sane non concordat. Nam supremam judicii rationem Summo Pontifici denegant: Pontificia de fide judicia ex se infallibilia non esse tuentur: supremum jus appellationum ei ob divinam auctoritatem tribuendum non esse contendunt: auctoritati Conciliorum Œcumenicorum illum subjiciunt: Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum esse, in quo Summus Pontifex sicuti singulis, ita omnibus simul præsit, non volunt (2). Ex his autem consequitur, ut Fideles suam fidem conformare debeant non cum fide Summi Pontificis, sed ejus, qui supremam judiciorum rationem habeat; cujus auctoritate fiat, ut judicia infallibilia sint; illius definitioni nullus supersit appellationi locus; ejusdem auctoritate in fidei decretis nulla alia superior habeatur; ejusque sit Monarchico regimine, quo tam singulis, quam omnibus simul præsit, Ecclesiam gubernare. Hæc enim sane faciunt, ut Fideles suam fidem absque ulla hæsitatione, immo cum omni certitudine ei principio

(1) Vide lib. 23. cap. 7. §. 15. Vide etiam Petrum Ballerinium uberius hac de re differentem *de vi, & ratione Primatus Rom. Pont.* cap. 14.

(2) Lib. 18. & seqq. has illorum opiniones refutavimus.

cipio omnino conformare possint, atque etiam debeant, in quo illa reperiuntur: illi autem principio, in quo hæc non habentur, si in sua fide sese conforment; adhuc ulterius principium ab eis semper requirendum erit, in quo quoad rem omnium gravissimam prorsus conquiescere possint.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS, QUIBUS CONSTAT CUNCTOS FIDELES UNITATE COMMUNIONIS CUM SUMMO PONTIFICE CONJUNCTOS ESSE DEBERE.

§. I. SIcut unitas fidei, ita etiam unitas communionis ad Ecclesiæ unitatem requiritur.

Non minus Ecclesia, quam unitas illius debet esse visibilis. Nam, quemadmodum inquit S. Augustinus in lib. 3. *cont. Parmenianum* num. 28., *nulla esset securitas unitatis*, si Ecclesiæ unitas non pateret. Quamvis autem Ecclesiæ unitas sese quam maxime prodat, si ad eam unionem fidei attendatur, quam cum supremo Ecclesiæ Præsule omnes Fideles habere debent, de qua in superiori capite egimus; tamen luculentissime etiam in ea unione manifestatur, quæ dicitur communionis, & non in interioribus quidem actibus charitatis consistit, sed in exterioribus mutuæ communicationis ad Ecclesiam spectantibus, eaque fit, ut omnes Fideles uno vinculo quodammodo ligati, in unum simul coeant, unamque visibilem Ecclesiam Christi constituant. Singuli Fideles immediate secum invicem uniri non possunt: unde satis est, si uniantur, atque communicent cum proprio Episcopo, qui tamen unitus sit cum aliis Episcopis Catholicæ communionis, potissimum autem cum Romano Pontifice, uti origine, ac veluti centro totius Catholicæ communionis. Qui enim cum Romano Pontifice communicat, consociationem quoque habet cum omnibus aliis Catholicis simul cum eo unitis. „ Ecclesiæ autem unitas (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 39. „ art. 1.) in duobus attenditur, scilicet in connexione mem„ brorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & ite„ rum

„ rum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum „ caput, secundum illud *ad Colossen.* 2. 18. *Inflatus sensu car-* „ *nis suæ*, *& non tenens caput*, *ex quo totum corpus per nexus*, „ *& conjunctiones subministratum*, *& constructum crescit in* „ *augmentum Dei*. Hoc autem caput est ipse Christus, cujus „ vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo schisma- „ tici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui „ membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant". Quapropter sicuti singularium Ecclesiarum unitas communionis, seu pacis, in eo posita est, ut omnes Fideles illarum Ecclesiarum cum suo Episcopo communicent, eique uti membra ejus uniantur; ita etiam unitas communionis totius Ecclesiæ in eo consistit, ut omnium singularium Ecclesiarum Episcopi una cum suis membris Romano Pontifici, uti supremo totius Ecclesiæ Capiti uniantur, atque cum eo communicent. De hac ergo unitate communionis nunc agimus. Hisce præmissis, nunc quod proposuimus.

Unum ovile, unum corpus, una sponsa, atque una columba in sacris Litteris Ecclesia dicitur. Quod autem unum est, schismate, seu scissione dividitur in partes, ita ut amplius unum dici non possit. Ecclesiæ unitatem veste inconsutili Jesu Christi designatam fuisse, S. Cyprianus affirmat in libro *De Unitate Ecclesiæ*, in quo illud quoque superaddit, Ecclesiam esse unam, quamvis sua fœcunditate latius extendatur, sicut solis est unum lumen, etsi multi sint radii ejus, una arbor, licet plures rami, unusque fons, quamvis multi rivi illius. His autem exemplis insistens illud quoque e vincit, quod ab Ecclesia præcisum est, partem ejus dici nullo modo posse: " Ecclesia „ quoque (inquit) una est, quæ in multitudinem latius incre- „ mento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, „ sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum „ tenaci radice fundatum, & quum de fonte uno rivi plurimi „ defluant, numerositas licet diffusa videatur exundantis co- „ piæ largitate, unitas tamen servatur in origine..... Sic Ec- „ clesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos por- „ rigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec „ unitas

„ unitas corporis separatur : ramos suos in universam terram „ copia ubertatis extendit : profluentes largiter rivos latius „ expandit . Unum tamen caput est , & virgo una , & una „ mater fœcunditatis successibus copiosa“. Sicuti ergo ad veram unitatem membrorum cum suo capite requiritur, ut membra cum eo communicationem habeant ; ita etiam ad unitatem Ecclesiæ oportet , ut Fideles , quamvis ubique diffusi, cum Supremo capite illius communicent , ac propterea non minus unitas fidei , quam communionis ad unitatem Ecclesiæ requiritur.

§. II. Ex ipsa Traditione omnino constat , cunctos Fideles unitate communionis cum Romanis Pontificibus consociatos esse debere.

„ Ad hanc enim Ecclesiam (hoc est Romanam , inquit „ S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 2. num. 3.) propter „ potiorem principalitatem necesse est ; omnem convenire „ Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles, in qua „ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea , quæ „ est ab Apostolis traditio “ . Dici autem non potest , S. Irenæum putasse, oportere, eos, qui sunt undique , Fideles, ad Romanam Ecclesiam corporaliter commeare . Superest ergo, ut necessarium esse voluerit, omnes, qui sunt undique, Fideles ad Romanam Ecclesiam convenire vel propter fidei , vel propter communionis unitatem . Propter utramque communionem sane voluit. Necessariam putasse communionem fidei, jam ostendimus (1) . Eamdem quoque fuisse sententiam ejus de unitate communionis inde constat , quia necesse est , ut illi cum ea Ecclesia communionem habeant , ad quam convenire debent . S. Cyprianus epist. 40. loquens de quinque Presbyteris schismaticis addictis factioni Felicissimi : “ Deus unus est, „ (inquit) & Christus unus , & una Ecclesia , & Cathedra una „ supra petram Domini voce fundata . Aliud altare constitui , „ aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare , & unum „ Sacerdotium non potest . Quisquis alibi collegerit, spargit “. Epist. 70.: “ Una Ecclesia a Christo Domino super Petrum

 „ ori-

(1) Lib. præcud. cap. unico §. 1.

„ origine unitatis, & ratione fundata". Epist. 73.: " Nam
„ Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam,
„ & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem
„ istam dedit, ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in
„ terris". Quæ in libro *De Unitate Ecclesiæ* in hanc rem habet, non est, cur repetamus. Id tantum animadvertimus, in hoc quidem libro tradi ab ipso, Petro datum fuisse, ut Ecclesiæ unitatem repræsentaret; tamen ejus unitatis, quæ ab illo repræsentanda foret, auctorem Petrum a Cypriano habitum fuisse. Quare sicut quilibet in sua Ecclesia Episcopus origo est, atque centrum unitatis, quatenus Fideles communi consensione adhærendo illi, in unum coadunantur, atque ex unione gregis cum pastore illa Ecclesia evadit una; ita in universali Ecclesia unus Summus Sacerdos, & Pastor S. Petrus, Romanusque Pontifex successor ejus, Catholicæ unitatis origo, atque centrum est, & unitatem totius Catholicæ Ecclesiæ continet, quatenus omnes tum Episcopi, tum Pastores inferiores, ceterique Fideles illi adhærent, atque ita ex pluribus peculiaribus gregibus uni Supremo Sacerdoti, atque Pastori adhærentibus, unus grex, & una Ecclesia universalis coalescit. Optatus Milevitanus lib. 2. *Adversus Parmenianum* cap. 2. postquam eum de nefario schismate convicit, ignorari non posse illi opponit, Cathedram unam in Petro Principe Apostolorum positam fuisse, ut *unitas servaretur ab omnibus*: unde eum peccatorem, & schismaticum simpliciter vocat, qui ab hac se Cathedra separat, alteramque constituit: " Ut jam schismaticus,
„ (inquit) & peccator esset, qui contra singularem Cathe-
„ dram Petri alteram collocaret". De ea vero separatione Optatus agit, ob quam esset quispiam schismaticus, atque peccator. S. Hieronymus lib. 1. *Contra Jovinianum* num. 16." Pro-
„ pterea (inquit) inter duodecim unus eligitur, ut, capite
„ constituto, schismatis tollatur occasio". Esset autem frustra constitutum hujusmodi caput ad tollendam occasionem schismatis, si neque ipsum caput pertrahendi omnes in suam communionem facultatem haberet, neque omnes ei consociati in eadem communione esse deberent. Hinc idem S. Doctor in

Dia-

Dialogo contra Luciferianos num.9. " Ecclesiæ salus (ait) in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot Sacerdotes ". S. Augustinus lib. 3. *Contra Cresconium* cap. 34. Romanum Episcopum Catholicæ communionis centrum esse agnoscit, cum quo ii, qui non communicant, uti Catholici haberi non possint. Unde quum Cresconius societatem, atque auctoritatem quorumdam Orientalium in medium adduceret; eosdem Orientales extra Ecclesiam esse, inde quoque Augustinus collegit, quia Orientales Catholici ad quemvis etiam magni nominis Episcopum nunquam scribere consueverant, *Romano prætermisso*, sicuti illi fecerant, qui communionem habere curaverant cum Episcopo Carthaginensi, non autem cum Romano. Quum autem Donatistæ Cæcilianum Episcopum Carthaginensem a communione suarum Ecclesiarum sejunxissent, indeque eum ab Ecclesia separatum dicerent, Augustinus ut eumdem in Ecclesia constitisse probaret, cum Ecclesia Romana communicare Donatistis objecit: " Qui posset (inquit) non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum " (1). S. Cyrillus antequam se a Nestorii communione separaret, ut in re tam gravi cum omni maturitate procederet, S. Cælestinum sibi consulendum censuit, ne ab ipso centro totius Catholicæ communionis hac in re dissentiret: " Ab illius tamen communione palam (2), & aperte nosmetipsos non prius divellimus, quam hæc pietati tuæ indicaverimus. Digneris igitur declarare, quid tibi videatur, & utrum aliquando cum illo communicare oporteat ". S. Leo in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem cap. 12. (3) postquam Ecclesiæ regimen ita distributum animadvertit, ut quidam ampliorem in

(1) Epist. 43. num. 7., alias 162. (2) Ita S. Cyrillus in epist. ad Cælestinum data, epist. 8 apud Coustantium inter Cælestini epistolas.
(3) Juxta edit. Cacciarii epist. 12.

in eo sollicitudinem haberent, " Per quos (sicuti ipse inquit) „ ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, „ & nihil usquam a suo capite dissideret ". S. Gregorius Magnus: " Quis enim nesciat (inquit) Sanctam Ecclesiam in „ Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem „ mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur ..... „ Itaque quum multi sint Apostoli pro ipso tamen Principatu so„ la Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit" (1). Si ergo Sancta Ecclesia in Apostolorum Principis soliditate firmatur, & sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, inde sequitur, ut cum Romanis Pontificibus Petri sedem tenentibus ii omnes uniti communione esse debeant, qui in Sanctæ Ecclesiæ soliditate permanere volunt. Jam inde a Felicis III. temporibus sese sejunxerant a communione Apostolicæ Sedis, qui Acacii partibus studebant. Quamvis autem, Acacio mortuo, ad eam iterum redire vellent, id tamen nunquam obtinere potuerunt, quousque ex sacris Dypthycis non expunxere Acacii nomen. Sub Hormisda in communionem Apostolicæ Sedis ea lege admissi fuere, ut cuidam professioni fidei subscriberent, in qua de utraque unitate fidei, & communionis servanda cum Apostolica Sede cavebatur. Hac autem in professione, quod attinet ad unitatem communionis, ita habebatur (2): " Quapropter, sicut prædiximus, sequen„ tes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicamus omnia, „ quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in una com„ munione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me „ futurum, in qua est integra Christianæ Religionis, & per„ fecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestra„ tos a communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus „ non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter Sa„ cra non recitanda esse mysteria ". Quæ de hujusmodi professione fidei ipse Bossuetius habet *Defensionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 7., nunc animadvertenda censemus, atque, omissis, aliis multis, quæ in rem hanc nostram afferre possemus, de ea finem

(1) Epist. lib. 7. Indict. 15. epist. 19., alias 36. (2) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 1017.

finem dicendi faciemus: " Omnes ergo Ecclesiæ, subsignata „ formula, profitebantur Romanam fidem, Sedis Apostolicæ, „ & Ecclesiæ Romanæ fidem, integra, & perfecta soliditate „ constare, ac, ne unquam deficiat, certa Domini pollicita„ tione firmatam. Nempe hanc fidem ab Episcopis ad Metro„ politanos, ab his ad Patriarchas, a Patriarchis ad Papam „ mitti oportebat; ut omnium confessionem unus exciperet, „ ac pro confessione fidei communionem omnibus, unitatem„ que rependeret. Hanc professionem eodem initio, eadem „ conclusione, additis subinde hæresibus, atque hæreticis, „ qui suis temporibus Ecclesiam conturbassent, per sequuta „ secula frequentatam scimus. Hanc uti S. Hormisdæ Papæ, „ Sanctoque Agapeto, & Nicolao I. fecerant; ita iisdem ver„ bis Hadriano II. Papæ, Nicolai successori factam in Conci„ lio VIII. Œcumenico legimus ". Cunctos ergo Fideles unitate communionis cum Romanis Pontificibus consociatos esse debere, ex ipsa Traditione perspectum habemus.

§. III. Hujusmodi doctrinæ caput tale est, ut omnino connexum sit cum iis, quæ de auctoritate, potestate, atque jurisdictione Romani Pontificis jam ostendimus.

Supremam judicii rationem in Summo Pontifice esse, quæ nullius sententiæ subjiciatur, judicio autem illius omnium sententiæ ultimo subjiciantur, libro præcedenti cap. 2., & seqq. pluribus confecimus. Hæc autem judicii ratio, habito respectu omnium Fidelium, sicuti revera haberi debet, suprema dici non posset, & revera non esset, si ab illa Ecclesiæ singulares, vel quicumque Fideles sese subtrahere cum Romano Pontifice non communicando possent. Sine mutua enim communicatione hæc Suprema judicii ratio non habetur. Ob eam ergo consequitur, ut cuncti Fideles unitate communionis cum Romanis Pontificibus consociati esse debeant.

Pontificia de fide judicia infallibilia esse, lib. 23. cap. 2. & seqq., jam ostendimus. Ex hoc autem simili ratione consequitur, ut cuncti Fideles cum Romanis Pontificibus unitatem communionis habere debeant. Nam si hanc non habeant; infallibili, & eo quidem visibili principio, prout ad præsentem

statum

statum requiritur, destituti erunt, quo in sua fide regantur.

Supremum jus appellationum, quod lib. 22. cap. 2. & seqq. Summo Pontifici vindicavimus, in eo positum est, ut Summi Pontificis sit, tum de fidei judiciis, tum de aliis ad Dei cultum spectantibus ultimam sententiam ferre, nullusque amplius postea supersit disputationi locus. Huic autem juri sese subtrahunt, qui unitatem communionis cum Romano Pontifice non servant, indeque ei denegant, quod debetur, & non ab humana, sed Divina institutione ipse habet.

Summi Pontificis esse, præesse Conciliis Œcumenicis, eorumque decreta confirmare, lib. 21. cap. 2. & 3. jam evicimus. Oportet ergo, ut Patres, qui in Conciliis Œcumenicis congregantur, cum Romano Pontifice communicent: illa enim duo haberi non possunt, si hoc quoque alterum non habeatur. Si ergo est Patrum una cum Romano Pontifice in Conciliis Œcumenicis simul unitorum, qui sunt profecto præstantissima, atque nobilissima Ecclesiæ pars, immo ipsam Ecclesiam repræsentant, cum Romano Pontifice communicare; multo potiori jure ceterorum omnium Fidelium esse debet.

Tandem Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum esse, in quo unus præsit omnibus, sive singillatim, sive simul acceptis, & eum qui hoc regimen tenet, Primatum etiam auctoritatis, & jurisdictionis habere super universam Ecclesiam lib. 18. cap. 1. & seqq. est sane pluribus jam ostensum a nobis. Regimen autem nullum, & præcipue Monarchicum, super alios haberi, nullusque Primatus auctoritatis, & jurisdictionis exerceri potest, semel ac qui subesse debent, unitate communionis conjuncti cum eo non sint, qui regimen tenet, Primatumque auctoritatis, & jurisdictionis habet: ergo ex hoc quoque capite evidentissime constat de ea unitate communionis cum Romano Pontifice, de qua usque modo egimus.

Hoc totum de unitate communionis cum Romano Pontifice, quod etiam Adversarii nostri tuentur (1), cum aliis eorum doctrinæ capitibus sane non cohæret. Nam quemadmodum ex S. Tho-

(1) Vide lib. 23. cap. 7. §. 15. Vide etiam Petrum Ballerinium ulterius id ostendentem *De Vi, & Ratione Primatus Rom. Pont.* cap. 14.

S. Thoma monuimus (1), & ex se perspicuum est: *Ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput.* Hoc autem caput est Christus, cujus vices Summus Pontifex in Ecclesia gerit. Quare unitas communionis, quam inter se invicem Fideles servare debent, diversa est ab ea unitate communionis, quam cuncti Fideles cum Romano Pontifice habeant oportet. Ista enim est unio membrorum cum capite: illa membrorum ad invicem, quamvis nonnulla eorum respectu quorumdam aliorum membrorum rationem capitis, non tamen Supremi, habeant. In priori unitate membra suo capiti, veluti unico principio conformari debent, in altera oportet, ut membra inter se invicem conformentur, ita tamen, ut tota conformatio eorum in hac unitate communionis ad caput ultimo referatur, illudque sit veluti centrum totius unitatis. Nunc ita.

Adversarii nostri supremam judicii rationem Summo Pontifici denegant: Pontificia de fide judicia ex se infallibilia esse nolunt: Supremum jus appellationum ei ob Divinam auctoritatem tribui non debere contendunt: illum subjiciunt auctoritati Conciliorum Œcumenicorum: Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum esse, in quo Summus Pontifex sicuti singulis, ita omnibus simul præsit, non volunt. Fideles igitur, his semel positis, eam unionem communionis, quæ ad caput ultimo refertur, illudque veluti centrum totius unitatis respicit, non cum Romano Pontifice habere debebunt, sed cum illo, qui in Ecclesia supremam judiciorum rationem habet, est infallibilis in suis judiciis, judicia aliorum sententiæ illius ultimo subjiciuntur, Supremam in Ecclesiastico ordine potestatem obtinet, ac regimen absolute Monarchicum in eodem ordine tenet. In hoc sane convenit, ut totius Catholicæ communionis centrum constituatur. In eo enim principio, uti nemo non novit, illud constituendum est, quo nullum majus, atque præcellentius in Catholica Republica haberi possit. Juxta princi-

(1) Hujus cap. §. 1.

pia ergo noſtrorum Adverſariorum Fideles non eam unitatem communionis, quam tamen & ipſi quoque requirunt, cum Summo Pontifice habere debebunt, quæ ad ipſum ultimo referatur, eumque veluti centrum unitatis totius Catholicæ communionis reſpiciat, ſed alteram tantum, quæ inter alios quoque Fideles ad invicem habetur, vel Fideles ſingularum Eccleſiarum cum ſuo Præſule ſingulariter habent. Verum eſt igitur, quod nos contendebamus.

LI-

LIBER XXVI.

DE NECESSITATE CIVILIS REGIMINIS.

NOmine civilis regiminis eam potestatem intelligimus, qua homines in Republica quoad ea omnia reguntur, quæ requirit ipsa societas hominum, si ad eorum mutuam politicam convivendi rationem attendatur. Nullus sane hujusmodi potestati locus esse potest, semel ac non habeantur, qui inter se aliqua sint societate conjuncti, sed unus ab altero omnino divisus maneat, vel præter consociationem eorum, qui ad unam familiam spectant, nulla alia habeatur. Quapropter ea potestas, quæ regimen civile complectitur, habita ratione conditionis ipsorum hominum, necessaria non foret, semel ac illi ex sui natura ad mutuam societatem non inclinarent, immo vero omnino non tenderent. Quoniam vero homines ex sui natura ad mutuam societatem omnino tendunt, quemadmodum in 1. capite hujus libri demonstraturi sumus; inde consequitur, ut sit etiam necessaria potestas, quæ totum civile regimen complectatur, sicuti nos in 2. capite ostendemus.

CAPUT I.

DE IIS PRINCIPIIS, QUIBUS HOMINES NATURALITER AD MUTUAM SOCIETATEM OMNINO TENDUNT.

§. I. STatum naturalem hominum esse belli, quod ipsi homines contra se invicem gerant, & turpissimum commentum est, & non omnem naturalem societatem excludit.

„ Illud axioma: hominem esse animal politicum, seu ad „ societatem natum a plurimis receptum, falsum est; errorque „ a nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est " inquit Hobbesius (1). Unde, ipse prosequitur (2): " Natura „ dedit unicuique jus in omnia: hoc est, in statu mere natu- „ rali, sive antequam homines ullis pactis sese obstrinxissent, „ unicuique licebat facere quæcumque, & in quoscumque li- „ bebat".

(1) Initio lib. *De Cive*. (2) *De Cive* cap. 1. §. 10.

„ bebat". Ex hoc autem colligit, quod *omnium adversus omnes perpetuæ suspiciones*, *& bellum omnium in omnes: spes unicuique securitatis conservationisque suæ in eo sita, ut viribus artibusque propriis proximum suum, vel palam, vel ex insidiis præoccuparet*. Thomasius (1) statum naturalem hominis in quadam mixtione belli, & pacis reponit, ita tamen ut bellum supra pacem potiorem locum habeat: " Status naturalis (inquit) ho-„ minum omnium accurate loquendo, nec status belli est, „ nec pacis, sed confusum chaos ex utroque, plus tamen „ participans de statu belli, quam de statu pacis ". Pufendorfius *De officio hominis*, *& civis* lib.2. cap.5. §.6. " Nullum „ (ait) homine animal ferocius, aut indomitum magis, quod „ in plura vitia pacem societatis perturbare apta, sit procli-„ ve ... Accedit, quod eo furore in proprium genus sævire „ gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana „ conditio vivit obnoxia, ab ipso homine proficiscatur ".

Talia hæc omnia sunt, ut in mentem cujusvis hominis cadere non potuisse videantur: in eorum tamen mentem ceciderunt, qui philosophari sibi constituerant. Hi sane tribuerunt hominibus, quæ etiam ab ipsa naturali conditione brutorum omnino abhorrent. Nam bruta non solum mutuam consociationem habent in commixtione sexus, sed etiam contra filios non agunt, semel ac eos genuerint, immo vero si opera illorum ad istos alendos necessaria sit, nihil eorum omittunt, quæ ad id conducere possit. Quid? Anne bruta contra naturalem inclinationem agunt, dum simul pascuntur, simul in unum locum conveniunt, simul ex uno loco ad alium sese transferunt, simulque etiam in uno longiori tempore conquiescunt, dormiunt, & eamdem quodammodo vitam agunt? At sint ista sane secundum naturalem inclinationem brutorum, non tamen hominum: igitur sunt homines secundum naturalem inclinationem brutis deteriores: nam iis omnibus, quæ commemoravimus, aliisque sane multis similibus, quæ commemorari possent, bruta ob suam naturalem inclinationem quid in se habere, quod ab ipsa natura abhorreat, nemo dixerit. At

(1) *In Fundamen. Juris Nat. & Gent.* lib.10. cap.3. §.55.

At vero quænam ſit quoad rem iſtam natura hominis, nunc pacis expendamus. Pueri etiam antequam habeant uſum rationis, etiam antequam aliquibus pactis ſe eſſe obſtrictos cognoſcere poſſint, ſed ab annis tenerioribus, in quibus naturæ ductum potiſſimum ſequuntur, ſocietatem aliorum quærunt, eaque oblectantur, ac potiſſimum conſortio ſibi æqualium puerorum perfruuntur. Soli ſi maneant, quamvis nulla re indigeant, etſi nihil mali aliunde patiantur, lugent, ſtrident, atque fundunt lacrymas uberiores. Saltem cum aliquo ſuorum domeſticorum ſemper eſſe, ipſa natura impellente, quærunt. Hæc autem naturalis inclinatio ad ſocietatem nunquam extinguitur, ſed ſemper perſeverat. Nam, ut alia nunc omittamus, & quæ nos ipſi noverimus, manifeſtare aliis, & quæ alii noverint, ab eis intelligere cupimus. “ Quin etiam „ (ſicuti Cicero in lib. *De Amicitia* habet) ſi quis ea aſpe„ ritate eſt, & immanitate naturæ, ut congreſſus, & ſocie„ tatem hominum fugiat, atque oderit, qualem fuiſſe Athe„ nis Timonem, neſcio quem, accepimus; tandem is pati „ non poſſit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat „ virus acerbitatis ſuæ “ Quapropter (proſequitur idem Cicero lib. 5. *De Finibus*) “ Nihil eſt tam illuſtre, nec quod la„ tius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & „ quaſi quædam ſocietas, & communicatio utilitatum, & „ ipſa charitas generis humani, quæ nata a primo ſtatu, quo „ a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio, „ & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus „ primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, poſt civita„ tibus cum civibus, & iis, qui publice ſocii, & amici ſunt, „ deinde totius complexu gentis humanæ “. Nihil ergo ineptius fingi poteſt, quam naturalem ſtatum hominum eſſe belli, quod ipſi contra ſe invicem gerant.

Hac tamen tanta abſurditate principii, qua ipſa humanitate exuuntur homines, ſemel poſita, inde non conſequetur, ut omnis ſit ab hominibus ſublata ſocietas. Quod quidem paucis ita conficio. Hæc naturalis inclinatio ad bellum alteri inclinationi, quam naturaliter inſitam habemus ad conſerva-

servationem nostri, contraria esse non potest: igitur semel ac secundum illam priorem inclinationem agant homines, contra hanc alteram agere eodem modo non possunt, ac si illa penitus destituti forent: nam inclinatione ad conservationem nostri ita intrinsecus afficimur, ut nunquam ea a nobis omnino exui possit. Igitur semel ac homines secundum illam priorem inclinationem agant, & bellum inferant aliis, adjutores sibi naturaliter quærant oportet. Hac enim una ratione conservationi suæ vitæ aliquo modo consulere possunt, vel singulatim cum uno bellum gerant, vel simul cum pluribus, sicuti ab hac fictitia inclinatione impellendi videntur: igitur etiam in hoc turpissimo statu suus semper superest societati locus.

§. II. Naturalis status hominum non est vita sylvestris, atque solitaria, & conditio hominis in societate positi est longe nobilior, atque perfectior conditione solitarii hominis, & sylvestris.

Contra hoc utrumque pugnat nuperus quidam Philosophus nostri temporis, qui sui ingenii acumen, quo sane turpiter abusus fuit, in id intendit, ut subtiliori ratione luculentiora quoque philosophiæ præcepta perverteret (1). Naturalem ergo statum hominis in vita *sylvestri*, & *solitaria*, atque quoad rem istam non aliam ab ea, quæ degitur a brutis, ipse reponit. Hominem primo considerat, physici status habita ratione, ipsumque, semel ac cum aliis convivat, imbecillem, & timidum evadere affirmat, ac talem suæ vitæ tenere rationem, ob quam suum robur, animique fortitudinem amittat. In statu naturæ, ipse inquit, cura suæ conservationis prope unica est in hominibus: unde suas vires exercere debent tum ad bellum inferendum aliis, tum ad seipsos tuendos. Ea quidem organa, quæ nonnisi ab illecebris sensuum, nimiaque mollitie perficiuntur, in hoc statu rudiora remanent, ut sunt sensus tactus, & gustatus; tamen valde subtilis, atque acuta erit videndi, audiendi, atque odorandi facultas. Nonnulla quoque

(1) Rosseau: *Discours sur l'Origine, & les Fondamens de l'inegalité parmi les Hommes*. Tomo 2. Operum illius edit. Amstelodam. an.1772.

quoque alia animadvertit, quæ tamen ſunt ejuſdem, ac ſuperiora, generis, quibus, ſi ad phyſicum ſtatum hominis attendatur, ejus in hoc ordine naturæ felicitatem omnibus perſpectam eſſe contendit.

Hominis deinde metaphyſicum, atque moralem ſtatum expendit. Hoc dum facit, multa ſane involvit, ſus deque miſcet; in id tamen ſemper collimat, ut hominis ſylveſtris præ alterius in ſocietate viventis feliciorem conditionem eſſe inde oſtendat, quia quum ſit homo ſylveſtris omni genere cognitionum deſtitutus ad ea tantum tendit, quæ ipſa natura exigit, indeque ſuis deſideriis ea, quæ phyſicam neceſſitatem reſpiciunt, ſolummodo complectitur. Illud quoque commemorat, ut nullum dubitandi locum relinquat, ejus ſe tantum felicitatis habere rationem, quæ vitam animalem reſpicit, hominem ſylveſtrem nulla cura angi rerum addiſcendarum, de ſuo hujus vitæ fine ſollicitum non eſſe, futura non proſpicere, eſſe exutum omni eo labore, qui ſuſtinendus eſt in acquirenda cognitione linguarum, atque ſcientiarum. Alibi inſuper (1) mentionem illorum malorum facit, quæ proficiſcuntur ab homine in ſocietate poſito, atque etiam affirmat (2), hominem a ſtatu naturæ ad ſocietatem translatum multas quidem utilitates acquirere, atque illuc pervenire, ut ſi propter abuſum hujuſmodi conditionis ad conditionem inferiorem illa, quam antea habebat, non redigeretur; peroptandum ſane illi fore, ex animali ſtupido evaſiſſe hominem, atque ens intelligens.

At hæc omnia non ſunt philoſophantis, ſed ejus, qui lumen rationis amiſiſſe videtur. Nunc ergo nos de ea ſocietate, ad quam ex ſui natura inclinant homines, non loquemur: de ea enim quædam jam diſſeruimus, & multo plura inferius diſſeremus. Iſto ergo Philoſopho conſentiente (3), homo, dum e ſtatu ſuo illo naturæ ad ſocietatem transfertur, brutorum propriam ſtupiditatem exuit, fitque revera homo, atque ens intelligens. Hanc ergo novam conditionem, quam acquirit

(1) Adnotatione 9. (2) In Opere *Du Contract Social* li. 1. chap. 8. in eodem tomo. (3) Mox citato loco.

rit homo, semel ac, relicta sylvestri vita, cum aliis hominibus societatem inierit, statui brutorum vel præferendam ipse statuit, vel non præferendam: si prius velit, sicuti velle necessario debet, ne bruta hominibus prætulisse videatur; non est sane, cur queratur de iis, quæ amittit homo, dum a vita sylvestri ad societatem transit, multoque minus est, cur ob illorum jacturam sylvestrem vitam societati præferendam ducat: si autem alterum velit; nihil aliud illi superest, nisi ut eam agendi rationem sequatur, quam sylvestria bruta tenent, atque humanam naturam exuere, animalem vero induere omnino contendat, ut instar brutorum sylvestrem vitam agat. Profecto si optio illi daretur, ut si vellet, homo esse desineret, & non dicam ferocioris alicujus animalis in nemoribus semper degentis, aut serpentis rabidioris, (quamvis hujusmodi animalia omnino sylvestrem, atque prorsus solitariam vitam ducant, qualem ipse ceteris præfert) sed cujusdam pulchrioris aviculæ, aut catelli venustioris naturam induere, nunquam eum tam stultum, aut ineptissime insipientem putaverim, ut de suo statu naturæ decidere, & in alicujus hujusmodi animalium naturam transmutari seligeret. Non erat ergo sane, cur statum illum tantopere commendaret, quem sibi deligere nonnisi factus omnium hominum insipientissimus non posset.

Homo in societate positus, ut nunc aliqua de physico illius statu dicamus, neque imbecillis, aut timidus evadit, neque illud robur amittit, quod proprium ejus esse debet. Nam semel ac sit unitus cum aliis, plura sane habet, & ea quidem propria hominis, in quibus sese exerceat, quæ sane nullo modo haberet in nemoribus degens; aliundeque ipsa solitudo quamdam timiditatem per se incutit, societas vero animum alacriorem, atque ad multa expeditiorem facit. Quapropter non est quidem, cur homo semel ac cum aliis vitam ducat, ferarum instar suum robur exerceat; illud tamen exercere potest tum in iis muneribus obeundis, in quibus rationis judicium sese quam maxime prodit, tum in illis laboribus sustinendis, qui tum privatam, tum communem utilitatem sibi conjunctam habent. In hac conditione vitæ non est sane, cur homo

mo suas vires exerceat vel ad sui defensionem, vel ad bellum inferendum aliis: at quid inde? anne talis esse debet natura hominum, ut bellum contra se invicem gerant? anne in hoc, quid possint suis viribus, experiri debent? Deinde neque etiam in vita sylvestri, atque solitaria facile habebunt homines, unde suas vires exerceant vel ad defensionem sui, vel ad bellum inferendum aliis: nam hujusmodi vitæ genus omnem consociationem prorsus excludit. Unde noster Philosophus in hoc suo statu illam exercitationem virium præsupponit, quæ ex sui natura abesse ab illo debet.

Sit sane homo in hoc commentitio statu quoad aliquos sensus acutiori facultate præditus: verum anne in eo plura illa adjumenta sensuum habere potest, quæ in societate positus facile habet? Cultura animi, quæ in sylvestri vitæ genere ne fingi quidem potest, in mutua autem consociatione aliorum tum ob exempla, tum ob præclara præcepta facile comparatur, est sane præferenda illis omnibus sensibilibus utilitatibus, quæ in vita sylvestri occurrunt. Animus certe est, qui sensus regere debet, & si animus, prout requiritur, probe excultus non sit, a sensibus & fallitur, & in prava trahitur.

Dum vero noster Philosophus hominem considerat, metaphysici, atque moralis status illius habita ratione, eum sane ipsa humanitate exuere semper persequitur. " O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt! Miseros, atque miserabiles, qui stultitiam suam litteris memoriæque mandaverunt " (1)! Ergone hominem maxima felicitate frui, inde existimandum erit, quia omnibus animi bonis contemptis, bona corporis solummodo quærat, in iisdem conquiescat, suumque ultimum finem ponat? si quam in se sentit, alia, atque alia semper addiscendi nunquam explendam capacitatem, atque aviditatem, omnino suffocet? si quam ad consequutionem summi boni insitam inclinationem habet, ad nonnulla solummodo coarctet, quæ hanc vitam sensibilem respiciunt? si ad dignoscendum quod turpe est, vel honestum, quid sibi post præsentem vitam superesse debeat, omnem viam præ-

(1) Lactantius *Div. Instit.* lib. 6. cap. 10.

cludat? Hac sane ratione fit, ut ipsis brutis homo deterior evadat. Nam, quemadmodum Lactantius animadvertit *Divin. Instit.* lib. 6. cap. 20., bruta " Utuntur sensibus ad suæ naturæ necessitatem: vident, ut appetant ea, quibus opus est ad vitam tuendam: audiunt invicem, seque dignoscunt, ut possint congregari. Quæ utilia sunt ad victum aut ex odore inveniunt, aut ex sapore percipiunt: inutilia respuunt, aut recusant. Edendi, & bibendi officia ventris plenitudine metiuntur. Homini vero solertissimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem, quia proposuit ei virtutem, quæ cum voluptate semper, tamquam cum domestico hoste pugnaret ". Quum ergo noster Philosophus in sua illa vita omnem cultum rationis excludat, atque iis, quæ spectant ad sensus, hominem detentum faciat, eumdem infra bruta ab eo deprimi consequitur. De hoc autem ut nullum dubitandi locum relinquat, illud quoque affirmat (1), in statu societatis cum actionibus hominum conjungi quamdam moralitatem, qua ipsæ destitutæ erant in statu naturæ, quia in eo homo ad illa, quæ aggreditur, jus incircumscriptum habet (2).

Quum vero nihil boni sit, quod malitia hominum in malum aliquando converti non possit, inde consequitur, omne bonum exterminandum esse, ne illo homines abutantur, semel ac nostri Philosophi rationem sequamur. Nam quas homo utilitates in societate comparavit, nisi in usum ita pravum converteret, ut in statum eo inferiorem, quem antea habebat, detruderetur; tunc sane futurum dicit, cur homo gauderet, a vita sylvestri ad humanam societatem sese transiisse. Vult ergo omnia bona societatis sublata esse, quia iis nonnulli sua malitia abutuntur. In tantam vero absurditatem opinionis dum incidit, & non sine gravi injuria totius humani generis omnes homines iis utilitatibus abuti præsupponit, quæ a societate proficiscuntur, & eorum omnium bonorum se inscium fin-

(1) In Tractatu *Du Contract Social* lib. 1. cap. 8. tomo 2. Operum ejus edit. Amstelodamen. an. 1772. (2) Vide quæ disseruimus lib. 4. de lege naturæ.

fingit, quæ ſcientiarum, artium, moraliumque virtutum habita ratione, in ſocietatem a viris præclariſſimis omni tempore profluxerunt, & modo etiam profluunt, ſemperque uberrima profluent. Ipſe ſane unus eorum eſt, qui bonis ſocietatis turpiſſime abuſus fuit, atque præter cetera illam ingenii culturam, quam ſine ſocietate nullo modo habere potuiſſet, ad inferendum bellum eidem ſocietati adhibuit.

Dum autem unius ſtatus cum altero comparatio fit, non eſt attendendum ad vitia aliquorum, ſed ad conditionem utriuſque ſtatus, videndumque quænam tum iſtius, tum illius conditio ſit, quæ nam commoda, vel detrimenta. Societate fieri, ut homo, relicta ſtupiditate brutorum, ens intelligens evadat, veruſque propterea homo dici poſſit, noſter quoque Philoſophus concedit: ergo juxta ſua principia illud quoque concedat oportet, ſocietatem ſylveſtri vitæ quam maxime præcellere.

§. III. Si ad originem noſtram attendamus, de ea inclinatione certiſſime monemur, quam ad ſocietatem naturaliter habemus.

Subjecti parentibus naſcimur, & non naſceremur, ſi aliquam parentes noſtri inter ſe ſocietatem non iniiſſent. Non minus autem ſubjectio, quam procreatio filiorum aliquam ſocietatem ſibi neceſſario conjunctam habent. Unde non eſt dubitandum ab ipſa noſtra origine nos de ea inclinatione moneri, quam ad ſocietatem naturaliter habemus.

§. IV. Societatem homini naturalem eſſe, multa, quibus indigemus, & per nos comparare non poſſumus, omnino ſuadent.

Infans, ſi poſtquam eſt in lucem editus, ab omnibus deſtituatur, intereat oportet. Dum vero grandior evaſit, multa ſane mala vitabit, ſi aliorum judicio, atque ope regatur. Ea quoque ſemper hominum in quacumque ætate conditio eſt, ut conſortio aliorum indigeat ad ſui incolumitatem, atque conſervationem: « Quo alio tuti ſumus (inquit Seneca lib. 4. „ *De Beneficiis* cap. 18.) quam quod mutuis juvamur officiis?

„ Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas „ munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, „ quid sumus? Præda animalium, ac victimæ, ac imbecillissimus, ac facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcumque vaga nascuntur, & actura vitam segregem; armata sunt: hominem „ imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit: nudum, & infirmum societas munit. „ Duas res dedit, quæ illum obnoxium validissimum facerent, „ rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, „ si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium „ omnium animalium dedit: societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari „ jussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: hæc fortes facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: & „ unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes". Igitur etiam Ethnicis philosophis ipsa rei evidentia convictis persuasum fuit, ob multa, quibus indigemus, societatem homini naturalem esse.

§. V. In civilem societatem consensisse homines, ut adversus alios homines sese impugnantes defensionem haberent, Pufendorfii inane commentum est, & illud quidem contrarium etiam principiis illius.

„ Genuina igitur, & principalis causa (inquit Pufendorfius *De officio hominis, & civis* lib. 2. cap. 5. §. 7.) quare „ patresfamilias, deserta naturali libertate, ad civitates constituendas descenderint, fuit, ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent". Ita autem habet, postquam §. præced. suum Hobbesium sequutus „ tradidit: "Nullum homine animal ferocius, aut indomitum „ magis, & quod in plura vitia, pacem societatis turbare apta, „ sit proclive". Multis in hanc rem commemoratis, ita concludit, ne quispiam dubitare possit, systema Hobbesianum non omnino a se probari: "Accedit, quod eo furore sævire in pro„ prium

„ prium genus gaudeat homo, ut maxima pars malorum, qui„ bus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine pro„ ficiſcatur " (1).

Hìc ergo nos, ne rem modo actam agamus, non oſtendemus, homines, duce natura, ferri ad ſocietatem, ab ipſa naturali ratione, atque etiam experièntia, compertum eſſe. Verum quidem eſt etiam juxta principia rationis, homines impulſos fuiſſe ad ſocietatem colendam, aliqua neceſſitate cogente, non ea tamen, quam Pufendorfius nobis obtrudit, ſed alia, qua, nemine contra nos agente, naturaliter præmimur (2). Quapropter homines ſibi non conſuluiſſe ab iis malis, quæ ab aliis hominibus vel metuere, vel pati poterant, ſi & natura hominum talis eſt, qualem Pufendorfius fingit, & in quamdam ſocietatem homines coaluerint, ut belli mala vitarent, hoc vero eſt, quod contra illum oſtendendum modo aggredimur. Quandoquidem vel exuunt homines eam naturam, quam habent, dum in quamdam ſocietatem congregantur, vel non exuunt: non exuunt ſane, ſi Pufendorfium audiamus, quum " Eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, „ ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit „ obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur ". Et re quidem vera ſi " Nullum homine animal ferocius, aut indomitum magis, „ & quod in plura vitia pacem ſocietatis turbare apta, ſit pro„ clive " ; quum nonnulla animalia vix, alia autem ne vix quidem ad manſuetudinem redigi poſſint; multo id magis contingere debet in hominibus, quorum *nullum eſt animal ferocius, aut indomitum magis*. Hoc autem ſemel cònſtituto, inde per ſe conſequitur, ut homines in quamdam ſocietatem coeuntes, bello, quod ſibi immineret ab aliis hominibus, nullo modo proſpexerint. Bello quidem inteſtino non proſpexerunt, quia licet ſocietate quadam inter ſe uniti ſint; tamen eam naturæ feritatem non amittunt, ob quam ad mutuum bellum cóntra ſe

(1) In Opere quoque *De Jure nat.*, *& gent.* lib. 7. cap. 1. §. 7. ab eodem principio repetit initium ſocietatis: repetunt alii quoque cum ipſo, uti conſtat ex Barbeyraco in Adnotatione ad prædictum §.

(2) Præced. §.

se gerendum adiguntur. Si autem dicatur, feritatem eorum contra illos exardescere, qui secum una non conjunguntur; tunc & amplius sermo non est de societate humani generis, quæ est universalis, & falso supponitur, singulares societates contra se invicem non pugnaturas. Nam quum bellandi cupiditas contra alium semper in unoquoque subsistat; ipsæ societates propter insitam in unoquoque feritatem contra se invicem pugnabunt, nihilque una omittet, quo alteri malum inferre possit. Si autem homines exuunt feritatem, quam naturaliter insitam habent, dum in unam societatem coeunt; tunc sane dici non potest: " Nullum homine animal ferocius, aut indomitum magis, & quod in plura vitia pacem societatis turbare apta, sit proclive ": & : " Quod eo furore in proprium genus sævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipso homine proficiscatur ". Hæc de homine, quatenus cum aliis est societate conjunctus a Pufendorfio dicuntur. Est ergo manifestum, si ad Pufendorfii principia attendamus, evidenti contradictione illum implicari, dum affirmat, homines inter se societatem inivisse, ut prospicerent iis maliis, quæ ab aliis hominibus sibi metuere poterant.

§. VI. Plures sunt, atque inter se diversæ species illius societatis, qua homines inter se uniuntur.

Prima ergo, atque potissima societas hominum inter homines est unio inter homines in una eademque humana natura. Ab hac societate sese nemo divellere potest, quum in ipsa natura suum illa fundamentum habeat. Ex ea autem societas illa altera æque naturalis proficiscitur, quæ est inter virum, & uxorem, atque etiam mutuo invicem inter parentes, & liberos. Nam unitas quoad humanam naturam facit, ut vir, & mulier ad conservationem humani generis simul uniantur, indeque sit etiam inter eos, atque filios illorum societas singularis non quidem propter similitudinem naturæ, sed quia filii sunt naturaliter pars quædam ipsorum parentum. Ab hoc autem capite tota societas consanguinitatum dimanat, quæ est ipsa quoque naturalis, suumque in naturali ordine fundamentum habet.

Præ-

Præter naturalem ſocietatem maximam omnium ſingularis ſocietas inter homines inſtitui poteſt, qua alii cum aliis ſibi mutuo aliqua in re ſingulariter conſocientur. Hæc autem vel Divino jure, vel humano naturali ſocietati ſuperadditur. Jure Divino ſuperadditur naturali ſocietati, quando ea a Deo inſtituitur, caput illi præficitur, atque ejus eſt ſupernaturalem finem reſpicere. Talis profectо olim ſynagoga fuit, nunc vero eſt, & multo quidem perfectiori ratione, Eccleſia Catholica, quam Chriſtus ſub una eademque fidei ratione certis quibuſdam ſignis ab ipſo conſtitutis præſeferenda, & ſub unius obedientia capitis, cui ipſe Chriſtus ſuas vices in terris commiſit, non pro una, aut altera gente, ſed pro omnibus erexit, atque poſitam voluit. Ad hanc ſocietatem omnes Divinæ leges per ſe primo ordinatæ ſunt, atque etiam ad eamdem leges canonicæ referuntur, quamvis earum non omnes reſpiciant ſingulos Fideles.

Tunc vero ſocietas humano jure naturali ſocietati ſuperadditur, quando plures, inter ſe inito fœdere, ob aliquem finem ſui ſingularem gubernationem alicui committunt. Nam ſine quodam morali vinculo nulla inter homines ſocietas haberi poteſt. Hoc autem morale vinculum tum a mutuo fœdere pendet, tum etiam a præfectura unius ſupra ceteros, quia nulla ſocietas eſſe poteſt, niſi in unum conveniat. Hæc ſocietas, quæ politica dicitur, ut vera ſit, atque perfecta, capax eſſe debet politicæ gubernationis, hoc eſt ejus, quæ bonum commune ex ſe reſpiciat, & legislativam poteſtatem ſibi conjunctam habeat. In civitate, in qua plures familiæ congregatæ ſunt, & in alia quavis unione plurimarum familiarum perfecta politica ſocietas haberi poteſt, & multo magis in quovis Principatu, & quidem ſemper perfectiori modo, quo plures fuerint civitates, provinciæ, aut regna, ſupra quæ ille extenditur. Tunc enim membrorum, quæ politicum corpus conſtituunt, numerus augetur, atque ipſa politica ratio, quæ in aliis regendis commune bonum ex ſe reſpicit, ſuaque legislativa poteſtate moderatur omnes, magis magiſque dilatatur. Hac de ſocietate nos uſque modo loquuti fuimus, & inferius etiam ſemper loquemur. Qua-

Quapropter politica ſocietas in perfectam, atque imperfectam dividi debet: illa ex ſui natura, & ex ſe commune bonum reſpicit, atque in eo, qui eamdem cum auctoritate regit, legislativa poteſtas ſit oportet: imperfecta autem ſocietas, quamvis & ipſa ad commune bonum conducat, illud tamen ex ſui inſtitutione primo non intendit, ſed ſingulare bonum eorum, qui inter ſe ſingulariter conſociantur, & nulla legislativa poteſtas in eo eſt, qui ipſam ſocietatem moderatur. Societates hujus generis variæ ſunt, atque multiplices, de quibus ſecundum inſtituti noſtri rationem non eſt, cur diſſeramus.

CAPUT II.

DE NECESSARIA CONNEXIONE POLITICI REGIMINIS CUM POLITICA SOCIETATE.

§. I. NON eſt contrarium libertati hominum, ut ii in ſocietatem uniti alicujus regimini ſubjiciantur.

Hoc eſt, quod Puſendorfius negat *De Jure naturæ, & gentium* lib. 7. cap. 1. §. 4. ipſumque ſequutus Thomaſiùs *Jurisprudent. Div.* lib. 1. cap. 6. num. 24. & ſeq. Ita vero putant, quia propter hujuſmodi ſubjectionem homines privantur ea libertate, qua naturaliter præditi ſunt, ſubjiciuntur poteſtati, quæ vitæ illorum dominatur, & a qua ſæpe compelluntur facere, quod nollent, aut omittere, quod vellent.

Verum enimvero ut error tam manifeſtus refellatur, quid naturale ſit homini, primo videamus, deinde quid illi convenire debeat, quatenus eſt naturaliter libertate præditus: “ Eſt
„ autem (inquit S. Thomas Opuſculo 20. *De Regimine Princi-*
„ *pum* lib. 1. cap. 1.) unicuique hominum naturaliter inditum
„ rationis lumen, quo in ſuis actibus dirigatur ad finem. Et ſi
„ quidem homini conveniret, ſingulariter vivere, ſicut multis
„ animalium, nullo alio dirigente indigeret ad finem: ſed ipſe ſi-
„ bi unuſquiſque eſſet Rex ſub Deo Summo Rege; in quantum
„ per lumen rationis divinitus datum ſibi in ſuis actibus diri-
„ geret ſe ipſum. Naturale autem eſt homini, ut ſit animal
„ ſociale, & politicum, in multitudine vivens, magis etiam,
„ quam

„ quam omnia alia animantia “. Id autem pluribus ostendit S. Doctor, quæ supra, ad evincendum homines tendere ad societatem, in medium prolata sunt a nobis.

Quid ergo ex hac naturali inclinatione ad societatem consequatur, modo videamus. “ Si ergo (prosequitur S. Thomas) naturale est homini, quod in societatem multorum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, & unoquoque id, quod est sibi congruum, providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens: sicut & corpus hominis, & cujuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet “. Huc sane tendit natura hominis. At homo est etiam sua natura liber. Est quidem liber: recta tamen ratio principium, & regula ejus libertatis esse debet: recta autem ratio bene ordinatam societatem postulat, quæ haberi non potest, si nullus sit, qui præsit omnibus, atque boni communis curam gerat. Verum ex hoc consequitur, quod homines subjiciantur potestati, quæ vitæ illorum dominatur, & a qua sæpe compelluntur facere, quod nollent, & omittere, quod vellent. De potestate vitæ, & necis, quæ est in Principibus supra suos subditos, infra agemus: neque enim de omnibus in uno loco disputari potest. Nunc ergo hoc unum urgemus: homines, quamvis liberi sint, naturaliter ferri ad societatem: politica recte ordinata societas haberi sine eo non potest, qui illi cum auctoritate præsit, atque boni communis curam gerat: hæc cura boni communis ut habeatur, multa sane auctoritate publica præcipienda sunt omnibus, plura quoque prohibenda: igitur semel ac homines, licet liberi in societatem naturaliter tendant, non est etiam contra libertatem eorum, ut lege illius, qui societati præest, a multis abstinere debeant, quæ ipsi facere vellent, & plura facere, a quibus ex se abstinerent. Non effrænis ergo libertas in homine admitti debet, sed talis, quæ illud quoque habeat, ut proportionata sit ei, qui cum aliis in societate vivere debet. Quo

ſane conſtat, non eſſe contrarium libertati hominum, ut ii in ſocietatem uniti alicujus regimini ſubjiciantur.

§. II. Hominum politica ſocietas requirit, ut habeat, a quo cum poteſtate regatur.

Conjunctio, quæ intercedit inter membra politici corporis, qualis eſt ipſa hominum ſocietas, & minor eſt illa, quæ habetur inter membra alicujus familiæ, & multo minor altera, quæ ineſt inter membra phyſici corporis. Nam membra unius familiæ præter eam conſociationem, quæ commune familiæ bonum ſibi propoſitum habet, retinent inter ſe unionem quamdam ſanguinis, qua ab uno capite derivantur, proximeque, quamvis non primo, ab illo habent, ut ſint. Membra phyſici corporis phyſico quodam nexu colligata ſunt, & ab invicem disjungi ſine ſui pernicie non poſſunt.

Membra demum politici corporis unionem quamdam ſocietatis inter ſe quidem habent, quæ bonum commune reſpicit; attamen neque ab uno capite proficiſcuntur, ſed propemodum infinitis, atque inter ſe longe diverſis, & ſine ſui detrimento alia ab aliis ſeparari poſſunt. Quapropter ſi ad unionem ſervandam inter membra familiæ, ac ipſius propterea familiæ conſervationem, neceſſe eſt, ut habeatur, qui toti familiæ cum auctoritate præſit, atque ab eo pendeant omnes, qui ad eamdem familiam ſpectant; ſi inter membra phyſici corporis talis conjunctio ſit oportet, quæ ad caput referatur, atque a capite membra omnia regantur; multo potiori jure quia unio, quæ intercedit inter membra politicæ ſocietatis, eſt minor illa, quæ habetur inter membra unius familiæ, & multo minor altera, qua phyſica membra inter ſe connectuntur, politica ſocietas ex ſui natura exigit, ut habeat a quo regatur, cujus imperio, ſi ipſam politicam ſocietatem ſpectemus, omnia membra ſubdantur.

Deinde politica ſocietas communi bono alitur, atque fovetur, eoque ſemel dempto, vel ad infeliciſſimum ſtatum redigitur, vel omnino deſtruitur: oportet ergo, ut in ea ſit, qui communi bono ex ſui inſtitutione proſpiciat. Nemo autem ſine auctoritate ſupra omnes communi bono proſpicere poteſt. Nam ad

ad commune bonum suam omnes operam conferre debent, prout necesse fuerit, non vero prout singulis expedire poterit: nisi ergo in politica societate sit, qui omnibus cum auctoritate præsit, eosque ad illa facienda adigere possit, quæ ad bonum commune conducunt, vel omittenda alia, quæ illi adversarentur, communi bono in politica societate nullus locus reliquus erit, ac propterea ipsa societas destruetur. Requiri ergo, ut politica societas hominum aliquem habeat, a quo cum potestate regatur, nemo non videre potest.

§. III. Imperii vis publica, ac legislativa potestas in eo sit oportet, qui societatem politicam regit.

Est de hoc utroque capite doctrinæ unicuique per se compertum. Qui enim hoc munus gerit, publico, & communi, non autem privato, aut singulari bono prospicere debet: publicum enim, & commune est illud bonum, quo politica societas sustentatur. Omnes ergo sua opera ad hujusmodi bonum procurandum conspirare debent: vis ergo publica requiritur, quæ ad hunc finem omnes compellere possit. Nam quamvis sint aliqui, qui commune bonum cordi habeant, tamen sunt multo plures, qui de illo nullam sollicitudinem gerunt: deinde etiam oportet, ut unius imperio ii quoque regantur, qui communi bono prospectum volunt, ne dum ad eumdem finem contraria ratione tendunt, & prout unicuique magis libuerit, eum nullo modo assequantur.

Legibus autem politicæ societati indicetur oportet, quid ab ea fieri, vel non fieri debet. Nam legislatione & publica potestas sese quam maxime prodit, & per eam facile devenit in cognitionem omnium, qui ad politicam societatem spectant, iisdemque sua præcepta indicendo manifestat. Hinc est, ut hac ratione in gubernatione suorum subditorum eos semper usos fuisse legamus, qui imperii habenas tenuerunt. Res hæc tota tam perspicua est, ut argumentatione non egeat, Veritatem tamen ejus obscurare inanibus quibusdam subtilitatibus quidam Philosophus nostri temporis aggressus fuit. Quid ergo ipse hac de re habeat, nunc expendamus.

Hæc ergo ſunt (1): 1. Suprema poteſtas neque alienari, neque dividi poteſt: non quidem alienari, quia ea conſiſtit in exercitio voluntatis generalis, quæ in ſe quid collectivum habet, & nonniſi per ſe repræſentari poteſt: neque etiam dividi; quum voluntas ſupremæ poteſtatis ſit generalis, ideoque totius populi (2). 2. Qui promulgat leges, nullum jus legislativum habere debet: eo enim populus, etiamſi vellet, ſeſe ſpoliare non poſſet, quia ſola voluntas generalis obligat ſingulares homines, & nunquam putandum eſt, voluntatem alicujus ſingularis eſſe generali voluntati conformem. 3. In politico corpore vis a voluntate diſtingui debet (3): nomine voluntatis legislativa, nomine autem vis intelligitur exequutiva poteſtas: illa ad populum tantum ſpectare poteſt, quia ſola voluntas generalis obligat ſingulares homines: iſta tamen ſpectare poteſt etiam ad Principem, quia actu ſingulari exercetur, unuſquiſque ſingularis homo unire debet illam vim, quæ eſt in populo, atque ea ſemel unita uti ſecundum voluntatem generalem, hoc eſt, populi. Unde ratio regiminis in eo poſita eſt, ut unus voluntatem generalem exequatur, ac propterea non eſt confundendum regimen cum ſuprema poteſtate, quum regimen in ſe tantum habeat miniſterium hujus ſupremæ poteſtatis. Quapropter Principi eſt officium exequutoris tribuendum, Principatus tamen eſt totius corporis. Si ergo exequutiva poteſtas in uno tantum unita ſit, Monarchicum, ſi in pluribus Polyarchicum regimen habetur.

Verum his nihil magis abſurdum, magiſque idoneum ad ſeditionem excitandam eſſe poteſt. Hoc alterum unicuique per ſe perſpectum eſt, de abſurditate ergo maxima videamus, & quidem juxta principia hujuſce noſtri Philoſophi. Ab eo itaque ego quæro, utrum Principi exequenti (Principi enim exequutionem tantum ipſe tribuit) quod eſt lege conſtitutum, obedire ſinguli teneantur: ejus profecto audacia non eo uſque per-

(1) Ita Rouſſeau in Tract. *Du Contract Social* lib. 2. cap. 1. tom. 2. Operum ejus edit. Amſtelodam. an. 1771. (2) Cit. loco cap. 7.
(3) Cit. Tract. lib. 3. cap. 1.

pervenit, ut id negare ausus fuerit: immo quum hoc jus exequutionis Principibus tribuat, consequens inde est, ut etiam voluerit, subditos obtemperare debere Principi, dum eodem jure utitur. Jus enim ex sui natura quid relativum est, sicuti Philosophi dicunt, & obligationem in altero parit. At vero, ipso sentiente, sola voluntas generalis, & ea quidem talis, quæ & esse in solo populo, & nec dividi, nec ab eo separari potest, obligat singulares homines: igitur juxta principia ejus Principi utenti suo illo jure exequutivo nemo sane obtemperare debebit: quod tamen & ipse quoque negat. Rursus quæro, a quonam Princeps hoc jus exequutivum habeat: a voluntate generali, inquit ipse, quam a populo inseparabilem esse contendit: id igitur Princeps a populo habet, quod respicit omnes, singulorumque subjectionem, atque obedientiam postulat: rursus ergo nova contradictione implicatur, dum affirmat, sola voluntate generali, quæ juxta ipsum est solius populi, singulos homines obligari, & hac de causa legislativam potestatem in Principe a populo transferri non posse. Tandem si quæ unquam potestas conformis alteri esse debet, exequutiva legislativæ sit oportet; alioquin quod per legislativam constituitur, exequutiva non præstabit. Potissimum vero hæ duæ potestates conformitatem in eo habere inter se debent, ut exequutiva ea omnia possit, quæ legislativa præcipit: exequutiva est perticularis, & ideo juxta nostrum Philosophum non habet vim obligandi omnes; legislativa est generalis, ac propterea vim obligandi omnes habet: istæ igitur duæ potestates inter se eam conformitatem non habent, quæ inter eas necessario interesse debet: unde ex hoc etiam capite constat, inane commentum esse, quod de hisce duabus potestatibus a nostro Philosopho confingitur.

Quoniam vero nunc sermo nobis est de gente, populo, aut natione, cujus singularia membra, quam antea nullo modo habebant, politicam societatem inter se inire volunt, indeque necessario fit, ut sibi aliquem præficiant, a quo cum potestate regantur (1), atque sit penes eum tum vis publica, tum

(1) Præced. §.

tum legislativa poteſtas, ſicuti ſuprà modo oſtendimus, animadvertendum eſt, duplici ratione nobis perſpectum eſſe poſſe de illa generali voluntate, de qua loquimur: 1. per hoc, quod ſinguli in unum convenientes unanimi conſenſione aliquid decernant, ſicuti potiſſimum contingit, ut in re noſtra ſiſtamus, quando in politicam ſocietatem coeuntes aliquem ſibi præficiunt, a quo cum poteſtate regantur: 2. ea ratione, ut ſinguli in alterius voluntate, atque poteſtate reponant regimen ſupra ſe. Tunc enim quidquid ille ſtatuit, atque decernit, habita ratione ſibi traditi regiminis, atque poteſtatis generali eum voluntate ſtatuere, atque decernere, exiſtimandum eſt. Quapropter quando alicujus gentis, vel populi ſingularia membra in unam politicam ſocietatem ſimul coire conſtituunt, indeque ſibi aliquem præficiunt, a quo cum poteſtate regantur, penes quem ad hunc finem tum vis publica, tum legislativa poteſtas eſſe debet; quidquid ille ſanxerit, conſtituerit, atque præceperit, generali voluntate ſancitum, conſtitutum, & præceptum, dicatur oportet, ac propterea legibus, juſſionibus, præceptiſque illius omnes obedientiam præſtare debent. Unde qua ratione etiam juxta noſtrum Philoſophum Princeps poteſtatem exequutivam ſupra omnes habet, quamvis voluntas ejus in ſe ſpectata ſit ſingularis; eadem quoque ratione poteſtatem legislativam habere debet, quum ipſa politica ſocietas hanc primo in eo requirat, qui ſibi præeſt, deinde uti complementum ejus etiam exequutivam.

§. IV. Ea obligatio, qua politica ſocietas ſuo Principi obedientiam præſtare debet, in ſolo præcepto Veteris, aut Evangelicæ Legis ſuum fundamentum non habet, ſed etiam in jure naturali, quod ab ipſa politica ſocietate ſecundum rectam rationem proficiſcitur.

Inter alios Burlemaquius (1) tuetur, obligationem *proprie dictam* a voluntate ſuprema proficiſci, cui nos ſubjectos eſſe debere cognoſcimus: unde hac una voluntate libertati noſtræ frænum injici poſſe contendit. Nemo (ipſe ſuperaddit) in ſua agendi ratione certa quadam regula, quæ præteri-ri

(1) *Juris Natural. Elementa* par. 1. cap. 6. §. 12.

ri non possit, inde regitur, quia rerum aptitudinem, & convenientiam videat, cui ipsa ratio suffragetur. "Quoniam
„ enim inter nostram rationem, & nosmetipsos nihil interest,
„ nemo, si proprie loquamur, a semetipso potest obligari":
His autem positis, consequitur, in solo mandato Dei suum fundamentum habere subjectionem illam, quam politica societas suo Principi præstare debet. At vero quædam independenter a quavis lege, & ex se intrinsecam habere honestatem, vel turpitudinem, jam confecimus (1). Illud quoque ostendimus, legi naturali vim obligandi inesse, quemadmodum etiam interius nos monemur, atque omnem obligationem cujusvis positivæ legis in legem naturalem quodammodo refundi (2). Semel ac ergo videamus, quid secundum legem turpe sit, aut honestum, a nobis quodammodo cogimur, quatenus, ipsa ratione prælucente, (quam sane sequi debemus, si prout sumus homines, agere velimus) ad honestum prosequendum, & turpe vitandum inducimur. Unde præcepta legis naturæ obligarent, quamvis ea in Divina Revelatione non continerentur (3). Quare inter nos, & rationem nostram nihil quidem interest, si totum nostrum physicum compositum spectemus: interest tamen multum, quatenus est solius rationis regere actiones totius nostri physici compositi, ac propterea imperium rationis versatur circa has actiones, quæ non sunt aliquid idem cum ipsa ratione. Deinde undenam cognoscimus supremæ voluntati nos subjectos esse debere? Inde profecto quia interius hac de subjectione ex pluribus capitibus omnino convincimur: intrinseco igitur in nobis inhærente principio ad hujusmodi subjectionem præstandam inducimur: igitur eodem intrinseco principio etiam ad alia honesta inducimur, quæ talia esse ab ipsa lege naturæ noscimus. Proximum ergo, & intrinsecum principium obligationis, a lege ipsa naturæ habemus, quamvis primum semper sit a lege Divina. Nam lex naturæ est quædam in ratione nostra facta participatio Divinæ legis (4), & illa obligatio, qua ad legem naturalem servandam tenemur, primo

(1) Lib.4.cap.3.§.6. (2) Eodem lib. cap.7.§.6. & seqq. (3) Eodemcap.§.8. (4) Cit.lib.cap.4.§.2. & seqq.

mo loco ab eo jure repeti debet, a quo est ipsa lex naturalis (1).

Nunc ergo paucis, quoniam res perspicua est, de ea obligatione, qua politica societas secundum ipsa jura societatis ob legem naturalem suo Principi parere debet. Propter multiplices enim rationes ad politicam societatem naturaliter tendimus (2): aliunde vero hominum politica societas naturaliter requirit, ut habeat aliquem, a quo cum potestate regatur, & penes quem sit vis publica, atque legislativa potestas (3): at vero, uti nemo non videt, omnino frustra tenderent homines ad politicam societatem, quia hæc sine certo capite, a quo regatur, haberi non potest, frustra ipsa politica societas aliquem naturaliter postularet, a quo cum potestate regeretur, frustra penes istum esset tum vis publica, tum legislativa potestas, si membra ejusdem politicæ societatis suo capiti obtemperare non deberent. Est ergo manifestum, eam obligationem, qua politica societas obedientiam suo Principi præstare debet, suum fundamentum habere etiam in jure naturali, quod ab ipsa politica societate secundum rectam rationem derivatur.

§.V. Timor pœnarum non est fundamentum ejus subjectionis, quam politica societas erga suum Principem servare debet.

Est ergo animadvertendum, non omnes una eademque ratione duci ad observanda præcepta sibi impositæ legis. Quidam enim ea servant, suadente honestate perfectæ virtutis: alii impulsi judicio rationis, in quo quidem est initium virtutis: nonnulli demum coacti solo metu pœnarum (4). Hinc vero est, ut quoad multos observatio legis pendeat a metu pœnarum, ac propter hoc legitima legislativa potestas vim coactivam sibi necessario connexam habet (5). Quamvis autem legislator id quoque auctoritatis habere debeat, ut ad observationem suarum legum inobedientes per pœnas adigere possit, in pœnis tamen non est repositum fundamentum ejus subjectionis, de qua nunc loquimur. Quandoquidem pœnæ infliguntur iis, qui fuerunt transgressores legis: ante pœnas igitur

(1) Cit. lib. cap. 7. §. 14. (2) Præced. cap. §. 1. & seqq. (3) Hujus cap. §. 2. & seq. (4) Vide S. Thomam 1. 2. qu. 92. art. 1. ad 2. (5) Lib. 2. cap. 3. §. 16.

tur obligationem in illis fuisse supponitur, qua ad observationem legum tenerentur; alioquin ob transgressionem legum juste puniri non possent: in pœnis ergo repositum esse non potest fundamentum illud, quo politica societas suo Principi subjecta esse debet.

Duplici autem ratione timor pœnarum considerari potest: 1. ut quis facere vellet, quod prohibetur, si nulla pœna inde sibi immineret. Hæc autem ratio timoris quamdam affinitatem habet cum ea imbecillitate, quam Hobbesius (1) ejus quoque subjectionis fundamentum posuit, quam homines erga Deum servare debent. Hujusmodi timor est profecto malus, hominemque in sui iniquitate saltem interiori, atque etiam in exteriori, si futurum videat, ut pœnas evadere possit, magis obstinatum facit. " Et quis coram Deo innocens invenitur „ (inquit S. Augustinus epist. 145., alias 144., num. 4.) qui „ vult fieri, quod vetatur, si subtrahas, quod timetur: ac „ per hoc in ipsa voluntate reus est, quia vult facere, quod „ non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest „ fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam „ peccata prohibentem, atque punientem. Et utique si mal„ let non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam, si posset, „ auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis ini„ micus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, „ ne comminantem, vel judicantem ferat "? Contingit deinde, ut propter salutarem timorem pœnarum etiam voluntatem transgrediendi leges quis deponat. Tunc autem iste timor est salutaris, quamvis non sit hominis perfectioris. " Per „ hoc, quod aliquis (inquit S. Thomas 1.2. qu. 92. art. 1. ad 4.) „ incipit assuefieri ad vitanda mala, & ad implendum bona „ propter metum pœnæ, perducitur quandoque ad hoc, quod „ delectabiliter, & ex propria voluntate hoc faciat: & secun„ dum hoc lex etiam puniendo perducit ad hoc, quod homi„ nes boni sint ".

§. VI. Neque etiam proprium commodum, atque utilitas esse debet fundamentum ejus subjectionis, quam membra

(1) *De Cive* cap. 3. §. 4.

ipsius politicæ societatis erga suum Principem servare debent.

„ Qui non ipso honesto movemur, (inquit Cicero lib. 1. „ *De Legibus*) ut boni viri simus, sed utilitate aliqua, aut fru„ ctu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in „ tenebris, qui nihil timet, nisi testem, & judicem? quid in „ deserto loco, nactus quem multo auro spoliare possit, im„ becillum, atque solum? Noster quidem hic natura justus „ vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet: „ is vero, qui nihil alterius causa faciet, & metietur suis „ commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod „ si negabit, se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, „ nunquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe „ judicet, sed quod metuat, ne emanet, id est, ne malum „ habeat. O rem dignam"! Si qua autem unquam in re neque propria utilitate, neque propriis commodis duci debemus, maxime id quidem caveamus oportet, dum iis de legibus agitur, quæ politicam societatem respiciunt; iis enim non privato, sed communi bono prospicitur: & quamvis sæpe contingat, ut una simul cum communi sit etiam aliquorum privato bono prospectum; tamen non raro etiam accidit, ut sine aliquo detrimento nonnullorum, communi bono prospici non possit. Tunc ergo, semel ac ponamus, proprium commodum, atque utilitatem esse fundamentum ejus subjectionis, quam membra politicæ societatis erga suum Principem servare debent, tunc ergo, inquam, ii, qui ob utilitatem communis boni singulare aliquod detrimentum patiuntur, frangere poterunt leges ad commune bonum procurandum necessario latas.

Deinde quæ uni utilia, atque commoda evadunt, eadem non sunt vel omnibus, vel aliis multis, atque etiam sæpe congit, ut aliquibus res una utilis, & commoda sit, altera autem aliis: si igitur utilitas, & proprium commodum inducunt membra ipsius politicæ societatis ad subjectionem suo capiti præstandam, nihil hujusmodi subjectione magis inordinatum haberi poterit, eaque tota comparata erit ad ipsam politicam societatem destruendam.

Utilitatem esse fundamentum obligationum nostrarum ab

ab illo Epicureo, Spinosiano, & Hobbesiano principio proficiscitur, quo constituitur, *gratia solius utilitatis virtutem coli, atque expeti debere*. Paucis ab hinc annis hoc idem principium tueri non erubuit Martinus Hubnerus, publicus Hafniensis in Dania juris Professor (1). Burlemaquius quoque in eumdem scopulum incidit in *Elementis Jur. Natural.* par. 1. cap. 5. §.11.
„ Hæc autem causa (inquit, hoc est, honestas virtutis, & tur-
„ pitudo vitii) quæcumque sit, voluntatem inclinare non est
„ efficax, nisi inquantum præsefert aut assequendum bonum,
„ aut fugiendum malum: uno verbo nisi in quantum nostro
„ gaudio, nostræ securitati, nostræque felicitati potest con-
„ ducere. Quam rem sic se habere vult & hominis, & huma-
„ næ voluntatis natura. Etenim in universum voluntas bo-
„ num sibi propositum habet, atque ideo non alia causa, quam
„ spes assequendi boni in hanc, vel illam partem voluntatem
„ movet, flectitque. Igitur omnem hominibus agendi cau-
„ sam aufert, qui ab eis quodvis emolumentum aufert. Quo
„ sublato, necesse est, ut homines prorsus fiant indifferen-
„ tes, desidesque". Loqui autem Burlemaquium de eo gaudio, felicitate, atque securitate, quæ sensibile bonum respiciunt, est inde compertum, quia honestatem virtutis, & vitii turpitudinem ab eo principio, sive ab illa ratione boni excludit, quæ nos ad agendum inducit. Quia ergo in rem suam boni ipsam rationem ille opponit, qua sola ad agendum movemur, quænam ratio ipsius boni juxta diversam naturam illius haberi debeat, nunc explicabimus.

Est itaque communi omnium Philosophorum consensione firmatum, voluntatem nonnisi sub ratione boni aliquid prosequi posse: attamen tantum abest, ut inde consequatur illud, quod ad nostram tantum utilitatem sensibilem, atque hujus vitæ conducit, id unum esse, quo ad agendum excitemur, ut qui id volunt, humanæ conditionis obliti esse videantur. Bruta profecto sunt, quæ hujusmodi utilitate ducuntur, quia id solummodo expetunt, quod sensus vitamque præsentem afficit: at vero homo, si secundum suæ naturæ institutionem

 agat,

(1) *Essai sur l'Histoire du Droit Naturel* par. 2. §. 13.

agat, in hac utilitate veram boni rationem non reponit: „ Bonum enim nostrum (inquit S. Augustinus *De Civit. Dei* „ lib. 10. cap. 3. num. 2.) de cujus fine inter Philosophos ma- „ gna contentio est, nullum est aliud, quam illi Deo cohæ- „ rere, cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici „ potest, amplexu, veris impletur, fecundaturque virtutibus. „ Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in „ tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & a qui- „ bus diligimur, duci, & quos diligimus, ducere..... Ut „ enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo „ referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset". Quapropter, sicuti prosequitur idem S. Doctor *Sermone* 156. *De Verbis Apostoli* alias 13., num. 6. " Deus summe bonus: anima vero, ut „ dixi, creata a summo bono, non tamen summum bonum, „ sed magnum bonum. Item caro nec summum bonum, nec „ magnum bonum; sed tamen parvum bonum. Anima ergo „ magnum bonum, sed non summum bonum, vivens inter „ summum bonum, & parvum bonum, id est, inter Deum, „ & carnem, inferior Deo, carne superior ..... Unde vivit „ caro tua? de anima tua. Unde vivit anima tua? de Deo tuo. „ Unaquæque earum secundum suam vitam vivat. Caro enim „ sibi non est vita: sed anima carnis est vita. Anima sibi non „ est vita, sed Deus est animæ vita. Anima ergo, quæ debet „ secundum Deum vivere, non debitrix est carni, ut secun- „ dum carnem vivat: ergo quæ secundum Deum debet vive- „ re, si secundum se ipsam vivat, deficit: secundum carnem „ vivit, & proficit? Tunc autem recte vivit caro secundum „ animam, si anima vivat secundum Deum". His vero S. Doctor num. seq. refellit tum Epicureos ponentes bonum hominis in voluptate corporis, tum Stoicos constituentes summum bonum hominis in anima, hoc est, in sua virtute.

Ejus ergo boni, quod proprium hominis esse debet, si quatenus homo est, agere instituat, explicata notione, qua utilitate ipse duci in agendo debeat, facile constituitur. Bona ergo animæ sunt ab eo præferenda bonis corporis, quia anima est magnum bonum, corpus autem parvum bonum, & caro

de

de anima vivit: bona Dei præferenda ſunt bonis animæ, quia Deus ſummum bonum, anima autem magnum bonum: & quum Deus ſit vita animæ; anima non ſibi, ſed Deo vivere debet. Quare non omne bonum, quod ad noſtrum illud gaudium, de quo loquitur Burlemaquius, noſtram felicitatem, noſtramque ſecuritatem conducit, eam in ſe bonitatis rationem habet, quæ ad agendum homo æquo jure excitetur, ſed illud ſolummodo, quod Deum uti ultimum finem reſpicit, quæque ſunt corporis ad animam, quæque animæ ad Deum refert. Quia ergo illo falſo principio ſemel poſito, hoc eſt, eo nos bono duci ad agendum, quod noſtram utilitatem tantum ſibi conjunctam habet, inde conſequitur, ut propter utilitatem politica ſocietas ſuo capiti ſubjecta eſſe debeat, atque ipſa utilitas ſit fundamentum ſubjectionis; ideo illud refutandum duximus.

LI-

LIBER XXVII.

DE PRINCIPIO, SEU ORIGINE POLITICI REGIMINIS.

IN originem politici regiminis nunc est inquirendum a nobis. Hoc ergo in libro de prima origine politici regiminis disputaturi sumus, non vero de aliis modis, quibus fieri potest, & revera fit, ut quis politicum regimen super aliquas gentes, seu populos juste acquirat. De ista ergo prima origine politici regiminis nedum Catholicorum, sed etiam Hetherodoxorum, atque tam Theologorum, quam Jurisperitorum non una eademque sententia est (1). Politicum regimen a Deo suam originem habere nos tuebimur, non quidem secundum communem rationem, quatenus nemo imperii regimen accipiat, nisi Divina Providentia regente, atque gubernante, sed secundum singularem, quum, sicuti animadvertit Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 1., alias 4., cap. 3. " Legitima imperia sint exorta, natura ipsa duce, hoc est, auctore Deo naturæ conditore ". Primo itaque explicabimus, qua ratione politicum regimen a Deo naturæ auctore proficiscatur: deinde de origine politici regiminis agemus, singulariter Sanctorum Patrum, & Divinarum Scripturarum habita ratione.

CAPUT I.

DE EA RATIONE, QUA REGIMEN POLITICUM A DEO AUCTORE NATURÆ PROFICISCITUR.

§. I. SUB duplici potissimum diversa ratione id omne considerari potest, quod a Deo in nos proficiscitur.

Est ergo Deus auctor bonorum tam naturalium, quam supernaturalium. Ab eo uti naturæ auctore illa, ista autem sicuti ab auctore gratiæ derivantur. A Deo sicuti ab auctore naturæ

(1) Vide Mamachium *Orig.*, & *Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 1. cap. 2. §. 2.

turæ ea omnia habentur, quæ tum malis, tum bonis communia esse possunt, vitamque præsentem respiciunt; quæ vero ad bonum animæ, sicut ad suum finem referuntur, atque per ea fit, ut anima in hac vita Deo conjungatur, in altera autem æternam beatitudinem obtineat; Deus operatur, quatenus est auctor gratiæ. Referuntur, inquam, ad bonum animæ, non tamen semper in bonum illius animæ, cui dantur. Nam illæ gratiæ, quas Theologi *gratis datas* vocare consueverunt, & præter naturæ ordinem a Deo conferuntur, malis quoque conferri possunt, iisdemque sæpius collatas fuisse legimus; attamen in aliorum spirituale bonum semper tendunt, atque hunc in finem a Deo conferuntur, quando qui recipit hujusmodi gratias, propter suam a Deo aversionem non est capax boni spiritualis.

§. II. Politicum regimen, sive Principatus Suprema potestas non est donum ordinis supernaturalis, quod a Deo, quatenus est gratiæ auctor, proficiscatur.

Est hæc potestas omnibus Principibus tum bonis, tum malis æque communis: aliunde vero ex se refertur ad eam felicitatem, qua homines in aliquam societatem simul uniti nunc frui possunt (1). Quamvis autem illud commune bonum, quod a politica legislativa potestate intenditur, Divinæ legis tum scriptæ, tum traditæ nullo modo adversari debeat (2); tamen ad præsentem felicitatem tranquillitatemque populorum illud per se ordinatum est. Quum ergo ea, quæ tum bonis, tum malis communia esse possunt, atque felicitatem vitæ præsentis primo respiciunt, a Deo, uti auctore naturæ, proficiscantur (3); inde sane consequitur, politicum regimen non esse donum ordinis supernaturalis.

§. III. Si politicum regimen, seu Principatus Suprema potestas in se ipsa spectetur, a Deo, uti naturæ auctore profecta fuit.

Tunc aliquid in se spectatur; quando ad naturam illius solummodo attenditur, nulla eamdem naturam participantium, aut

(1) Lib. 26. cap. 1. §. 4. (2) Cit. lib. cap. 2. §. 5. & seq.
(3) Præced. §.

aut diversi modi, quo illa participatur, habita ratione. Hac ergo acceptione si spectetur Principatus Suprema potestas, eam a Deo, uti auctore naturæ, esse contendimus. Rem istam a suis principiis repetamus. Homines natos esse ad societatem, eamque appetere naturaliter, non solum omnino constat ex iis sane multis, quæ sunt necessaria nobis, ac per nos comparare non possumus, sed etiam ex ipsa origine nostra, illisque omnibus facultatibus, quibus a natura instructi sumus (1). Hæc vero eadem principia, quæ homines ad societatem natum esse demonstrant, illud quoque evincunt, hujusmodi societatem ab iis naturaliter appeti, quæ bene ordinata sit, ut quem ab illa sibi quærunt, fructum percipere possint. Ut autem societas bene ordinata sit, politicum regimen in ea haberi necessario requiritur (2). Quapropter sicuti a Deo naturæ auctore est naturalis inclinatio hominum ad societatem, & eam quidem talem, quæ recte ordinata sit, ac propterea suum caput habeat, a quo cum potestate regatur; ita etiam hæc potestas a Deo naturæ auctore esse debet. Deus ergo uti naturæ auctor est sane ille, qui hominibus naturalem inclinationem ad societatem indidit, simulque propterea constituit politicum regimen, seu Principatus supremam potestatem, quia sine ista non potest societas neque recte ordinata esse, neque diutius subsistere. Hinc Bossuetius (3) explicans, qua ratione imperia a Deo naturæ auctore profecta fuerint, hæc recte animadvertit: " Habent enim homines hoc a natura „ inditum, ut ordinem colant, quo eis incolumitas, & tran„ quillitas constat: qui ordo nullus est, si desint legitimæ „ potestates ".

§. IV. Si politicum regimen, seu Principatus suprema potestas singulariter spectetur, non est Divinæ institutionis, sed humanæ.

„ Quæres (inquit Bossuetius) quid jam intersit Sacer„ dotalem inter, & Civilem potestatem, si utraque est a Deo. „ Multum per omnem modum. Primo, quia Sacerdotalis po„ testas

(1) Lib. 26. cap. 1. §. 1, & seqq. (2) Cit. lib. §. 2. & seqq.
(3) Loco supra citato.

„ testas in Lege, & in Evangelio a Deo ipso præsente, atque „ conspicuo fuerit instituta: Civile autem Imperium quamquam suo modo a Deo vel inditum, vel institutum sit, haud „ pari præsentia Divinæ Majestatis: tum Sacerdotalis Principatus forma, & regimen expresse sunt a Deo instituta: civile Imperium generatim tantum traditum est, & hominum „ arbitrio forma relicta, sive illa Monarchica, sive Aristocratica, sive Popularis foret". Et re quidem vera ex illo universali præcepto, quod a Deo naturæ auctore habemus de Principatus suprema potestate, qua societas politica regatur, una potius præ altera forma regiminis profecto non deducitur: aliunde etiam in Evangelica Lege nullibi constitutum legimus, ut istæ, vel illæ politicæ societates, hac potius, quam altera forma regiminis gubernentur: tandem nonnullas politicas societates Monarchico, alias Aristocratico, quasdam Democratico regimine gubernatas novimus, atque illud etiam compertum habemus, quod est a Deo auctore generatim institutum de Principatus suprema potestate suum effectum habere in regimine tum Monarchico, tum Aristocratico, tum Democratico: igitur politicum regimen, seu Principatus suprema potestas singulariter spectata est humanæ institutionis.

§. V. Non tamen ab humana institutione, sed a Deo auctore naturæ eodem modo, ac ipsum regimen spectatum generatim, est ea obedientia, & subjectio, quam consociata multitudo suo capiti præstare debet.

Homines a Deo auctore naturæ habent, ut in aliquam politicam societatem simul uniantur (1): hæc politica societas, quæ est a Deo naturæ auctore, necessario exigit, ut habeat, a quo potestate regatur, & penes eum sit vis publica, ac legislativa potestas (2): etiam in eo jure, quod ab ipsa politica societate secundum rectam rationem proficiscitur, suum fundamentum habet ea obligatio, qua politica societas suo Principi obedientiam præstare debet (3): ne igitur dicamus, a Deo auctore naturæ esse quidem politicam societatem, non

(1) Lib. 26. cap. 1. §. 1. & seqq. (2) Cit. lib. cap. 2. §. 2. & seq.
(3) Cit. cap. §. 4.

vero id, quod politica societas ex sui natura necessario habere debet, dicendum sane est, non proficisci ab humana institutione, sed a Deo auctore naturæ, eodem modo ac regimen generatim acceptum, eam obedientiam, atque subjectionem, quam consociata multitudo suo capiti præstare debet.

§. VI. Potestas regiminis proficiscitur a Deo, & a consociata multitudine, dum hæc caput sibi præficit, a quo regatur.

Vim ipsam regiminis, seu politicam potestatem a solo Deo esse, dum consociata multitudo aliquem sibi præficit, a quo regatur, quamvis ipsa electio ab eadem consociata multitudine fit, nonnulli volunt (1). Sunt etiam qui *statum* distinguunt a *regimine*, atque illum a consociata multitudine, istud a solo Deo esse constituunt (2). Quomodo ergo vis ipsa regiminis, seu politica potestas a Deo auctore naturæ proficiscatur, nunc explicemus. Deus uti naturæ auctor illud indidit hominibus, ut in aliquam politicam societatem simul unirentur (3), atque in eam simul uniti caput sibi præficerent, a quo cum potestate regerentur (4): a Deo ergo uti auctore naturæ etiam ipsa vis regiminis, seu politica potestas esse debet.

A consociata quoque multitudine hæc eadem potestas fit oportet, quatenus quod a Deo naturaliter habet, ut illud communicet ei capiti, quod sibi præfecerit, eidem ipsa communicat. Si enim politicum regimen, seu Principatus suprema potestas singulariter spectetur, non est Divinæ institutionis, sed humanæ (5): hoc autem dici non posset, semel ac ipsa potestas regiminis a consociata multitudine non esset: nam regimen sine potestate nemo unquam finxerit. Et re quidem vera diversa forma regiminis diversam quoque formam potestatis sibi necessario connexam habet: nemine dissentiente, diversa forma regiminis est a consociata multitudine: igitur ab ea quoque fit oportet diversa forma potestatis: sed a consociata multitudine hæc diversa forma potestatis esse non posset, si ab

(1) Inter ceteros id tenet etiam Marcus Antonius de Dominis lib. 6. *De Repub. Ecclesiast.* cap. 2. §. 26., & Osiander in Adnotat. ad lib. 1. Hugonis Grotii *De Jure Belli, & Pacis* cap. 3. §. 7. Observat. 1.
(2) Vide Hornium *De Civitate* lib. 2. cap. 1. (3) Lib. 26. cap. 1. §. 1. & seqq. (4) Cit. lib. cap. 2. §. 2. & seq. (5) Hujus cap. §. 4.

ab illa non proficisceretur ipsa potestas: nam ab aliquo principio diversa ratione illud disponi non valet, quod non est sub potestate ejus: verum est igitur proficisci potestatem regiminis etiam a consociata multitudine, dum hæc caput sibi præficit, a quo regatur.

Neque est, cur dicatur, sicuti revera Osiander dicit (1): potestatem eodem modo a Deo esse in Regibus, quo est in Romanis Pontificibus juxta sensum Catholicorum: quandoquidem Primatus auctoritatis, & jurisdictionis singulariter a Christo institutus fuit: in Primatu idem Christus reposuit regimen, quod super universam Ecclesiam extenderetur, omnesque propterea quotquot sunt undique Fideles eidem Primatui subjecit. Unde si ad illum attendamus, nihil aliud reliquum est, nisi ut homines, singulariter aspirante gratia Dei, eligant tantum illum, qui succedat in locum ejus, quem Christus suæ Ecclesiæ præfecit. Quapropter hujusmodi electio potestatem regiminis non attingit, indeque est, ut per eam regimen ad hanc, vel illam formam, prout eligentibus magis placuerit, redigi non possit, sed sub ea esse semper debeat, sub qua ab ipso Christo institutum fuit. Nihil autem tale habetur, quemadmodum ostendimus, in illa electione, qua consociata multitudo alicui regimen supra se tribuit.

§.VII. Non sine evidenti falsitate dicitur, consociatam multitudinem retinere *in habitu* eam potestatem, quam uni alicui, vel pluribus semel supra se ad sui Politicum regimen contulit.

Aliquam jurisdictionem, quam *Realem* dixerunt, semper remanere in populo, & *Personalem* tantum Principi tribui debere, Jurisconsultorum nonnulli tenent, quos Grotius lib. 1. *De Jure Belli*, *&* *Pacis* cap. 3. §. 8. & 9., atque Pufendorfius *De Jure Nat. & Gent.* lib. 7. cap. 6. §. 4., recte refutarunt. Contra Grotium multa Gronovius in suis ad ejusdem Grotii caput animadversionibus disputavit. *Operosam Gronovii refutationem plane inutilem esse* quum inter hunc & Grotium nulla dissensio sit, Coccejus affirmavit in suis Commentariis ad

 Hu-

(1) Loco supra citato.

Hugonis Grotii lib.1.cap.3.§.8.Falſo tamen: vult enim Gronovius,populum ſua uti in Regem poteſtate poſſe,quoties imperio male utatur: id vero eſt, quod Grotius, & quidem jure meritoque oppugnat. Eorum nonnulli,qui Summum Pontificem Concilio Œcumenico ſubjiciendum cenſuerunt, in ea ſententia fuere, ut juriſdictio *habitu* in Republica remaneret, quamvis ab ea in Regem translata eſſet, atque hoc principio ſemel poſito, collegerunt, etiam Summum Pontificem ſubjici debere Concilio Œcumenico (1). Falſum ſane principium: falſum profecto, quod ex illo deducitur: verum de hoc non eſt nunc diſputandi locus. Proteſtantium autem plurimorum ſententia eſt, penes populum eſſe ſupremum imperium ſupra eum Principem, quem ipſe ſibi elegerit, atque in illum poteſtatem transfuderit (2).

Nunc ergo de eo, quod nos modo volumus, & quidem ſingulariter ex ipſa ratione regiminis, quod a conſociata multitudine in alterum ſupra ſe transfertur.

Principatus in ſe ſpectatus eſt ſane Divinæ inſtitutionis; non ita tamen, ut ille ſit, aut permanere poſſit in conſociata multitudine, ſed ut propter eum ipſa conſociata multitudo habeat, a quo regatur, atque ita ei ſit illa ratione proſpectum, quam ipſius natura exigit (3). Dum ergo conſociata multitudo regimen ſupra ſe alicui tribuit, in alterum transfert, quod ex Divina inſtitutione in alterum revera transferendum ab ea erat, non vero in ſe ipſa habebat, vel ſibi retinere poterat: igitur ſi conſociata multitudo, etiam antequam regimen alicui ſupra ſe tribueret, nihil ejus in ſe habebat, aut retinere poterat, multo potiori jure nihil ejuſdem quovis modo retinet, aut retinere poteſt, poſtquam ſingulariter in unum aliquem

(1) Vide inter ceteros Almainum, qui diſſerens adverſus Cajetanum de Eccleſiæ, & Generalium Conciliorum auctoritate, cap. 1. agit: *De Origine juriſdictionis civilis, ut per ejus comparationem notificetur juriſdictio Eccleſiaſtica, ſicque lege naturali Eccleſiæ auctoritas ſuper Papam demonſtretur*. (2) Vide Boſſuetium V. *Avertiſſement ſur le lettre de M. Juveu* num. 36., & *Defenſe de l'Hiſtoire des Variations contre le Reponſe de M. Baſnage* num. 43. (3) Hujus cap. §. 3.

quem illud transtulit, prout ex Divina institutione debebat.

Est deinde etiam contra finem Divinæ institutionis, ut consociata multitudo, quamvis solo habitu, retineat illud regimen, quod in alterum transtulit. Nam quia Deus uti naturæ auctor naturalem inclinationem indidit hominibus ad ordinatam societatem quæ sine regimine haberi non potest (1); ipse ipsius regiminis est auctor (2): quæ est ergo a Deo institutio regiminis non in ipsa consociata multitudine aliquo modo sistit, sed ad illud caput refertur, quod eadem consociata multitudo sibi præfecerit. Hoc enim capite semel constituto fit, ut finis a Deo præintentus in institutione regiminis habeatur: qui quidem finis est, ut multitudo ad sui rectum ordinem ab aliquo gubernetur. Si ergo multitudo ipsum regimen habitu retineret, id profecto habitu retineret, quod est contra Divinam institutionem regiminis.

Postremo multitudinis sane est regi, non regere (3): ergo neque habitu retinere potest ipsum regimen: regere enim alios, non vero regi, ipsa notio, atque tota ratio regiminis in se continet: si igitur ipsa multitudo regimen habitu retineret, quod ipsi opponitur, habitu retineret: quod profecto est contra ipsam naturam rerum. Quapropter potestas regiminis etiam a consociata multitudine proficiscitur, dum ea caput sibi præficit, a quo regatur (4): attamen dum consociata multitudo potestatem hujusmodi capiti singulariter communicat; id sane communicat, quod est Divinæ institutionis, relictum quidem in arbitrio ipsius multitudinis, ut huic, vel illi, sub hac, vel altera forma communicet, non tamen ipsa habeat, vel retineat, alioquin per regimen consultum non esset rei illi, quam consociata multitudo ad sui rectum ordinem indiget. Et re quidem vera in consociata multitudine hoc regimen non erat, etiam antequam illud in alterum transferret, quia tum oportuisset, ut tot regimina fuissent, quot capita consociatæ multitudinis: aliunde autem unum, aut plures ceteris prælatos esse non supponitur: quomodo ergo consociata multitudo idem regi-

(1) Lib. 26. cap. 2. §. 2. & 3. (2) Hujus cap. §. 3. (3) Hujus cap. §. 2. & 3. (4) Hujus cap. §. 6.

regimen habitu retinere poterit, postquam illud in alterum transtulit? Est ergo falsum, consociatam multitudinem retinere *in habitu* eam potestatem, quam uni alicui, vel pluribus semel supra se ad sui politicum regimen contulit.

§.VIII. Quamvis dicatur, Principatum, si singulariter spectetur, esse non Divinæ, sed humanæ institutionis, inde nullo modo consequitur, quod nonnulli falso putant.

Populos adversus Principatum facile concitari posse, semel ac dicatur, non esse Divinæ, sed humanæ institutionis, Principatum singulariter spectatum, quidam opposuerunt (1): falso tamen. Nam non solum actu, sed neque etiam habitu nihil ejus potestatis in populo remanet, quam singulariter ipse in eum transtulerit, quem sibi præfecerit (2): ex eo quod ergo Principatus singulariter spectatus sit humanæ institutionis, nullus est ei timori locus, quem nonnulli jactant. Deinde Principatus in se spectatus est Divinæ institutionis (3): est etiam Divinæ institutionis, ut a consociata multitudine potestas Principatus supra se uni alicui deferatur (4), quamvis in arbitrio ejus relictum sit, ut unum potius, quam alterum, sub una potius forma, quam altera regiminis, sibi præficiat: igitur Principatus etiam singulariter spectatus, semel ac cuidam sub certa determinata forma regiminis collatus supponatur, est Divini juris.

Tandem quæ a Deo proficiscuntur, æque obligant, sive immediate, sive mediate ab eo proficiscantur: nam ministerio Angeli Lex Mosaica promulgata fuit, & tamen uti Divina obligat. Quare quum Principatus sit Divinæ institutionis, sitque etiam Divinæ institutionis, ut uni alicui a consociata multitudine conferatur (5), subjectioni, quæ illi debetur, nihil obstare potest, quod consociata multitudo huic, vel alteri, sub hac, vel altera forma Principatum conferat. Est ergo omnino perspectum, quod licet Principatus singulariter spectatus non sit Divi-

(1) Vide inter ceteros Marcum Antonium de Dominis *De Repub. Ecclesiast.* cap. 2. §. 26. & seq., ac Osiandrum Observat. in Grotii lib. 1. *De Jure Belli, & Pacis* cap. 3. §. 7. (2) Præced. §. (3) Hujus cap. §. 3. (4) Præced. §. (5) Præced. §.

Divinæ, sed humanæ institutionis, inde nullo modo consequatur, quod nonnulli falso putant.

CAPUT II.

DE ORIGINE POLITICI REGIMINIS SINGULARITER SANCTORUM PATRUM, ET DIVINARUM SCRIPTURARUM HABITA RATIONE.

§. I. Principatum singulariter spectatum a Deo immediate esse, nonnullorum Sanctorum Patrum auctoritatibus non evincitur.

A Deo esse potestatem Principatus, eique omnes propter Divinum mandatum obtemperare, atque subjectos esse debere, unanimis consensio est Sanctorum Patrum, qui hac quoque de re, quod traditum habemus in Sacris Litteris, semper inculcarunt. De eo ergo nunc quæstio est, utrum Patres non solum Divinæ institutionis esse tradiderint Principatum in se spectatum, sed etiam singulariter, ita ut secundum hanc quoque rationem immediate a Deo ille sit. Qui hoc volunt (1), multa sane testimonia Patrum in medium adducunt, quibus esse perspectum contendunt, Principatum spectatum etiam singulariter a Deo immediate esse. Nos non omnia hujusmodi testimonia nunc expendere aggredimur, quia multa eorum ne apparenter quidem suadent, quod ipsi vellent. Nonnulla ergo tantum discutiemus, quæ præ ceteris nostræ sententiæ opposita esse videntur, revera tamen non sunt, quia Patres, uti videbimus, id unum sibi proposuerant, ut Ethnicorum, aut aliorum errorem confutarent. In id sane Irenæus, Tertullianus, Optatus Milevitanus, & Augustinus intendit.

Marcus Antonius de Dominis (2) longum sane Irenæi locum ex lib. 5. *Cont. Hæreses* cap. 24. transcribit, atque ex eo esse manifestum contendit, sensisse Irenæum Principatum immedia-

(1) Vide inter ceteros Petrum de Marca *De Concord. Sacerd., & Imper.* lib. 1. cap. 2. §. 2., Dupinium *De Antiqua Ecclesiæ Disciplina* Differt. 7. cap. 2. §. 1., & Marcum Antonium de Dominis *De Repub. Christ.* lib. 6. cap. 2. §. 10. & seq. (2) Loco cit. num. 11.

mediate a Deo esse. At non erat, cur in tam longioris exscriptione loci laboraret: nihil enim minus S. Irenæus in eo contendit, quam quod ipse vellet. Citati ergo capitis titulus hujusmodi est: *De diaboli perpetuo mendacio*, *Potestatibus*, *quibus nos parere oportet*, *atque imperiis terrenis*, *quatenus a Deo*, *non autem a diabolo, constituantur.* Hæc igitur omnia ut evincat S.Irenæus, atque ostendat, diabolum mentitum esse, quando dixit (1): *mihi tradita sunt*, *& cui volo*, *do ea*, omnia illa Sacræ Scripturæ loca hoc in capite in medium adducit, quibus Principatum proficisci a Deo, unicuique compertum esse debet, atque ex illis Deum, non vero diabolum, Principatus auctorem esse jure meritoque colligit. Profecto si eorum solummodo Deum auctorem haberi oporteret, quæ ab ipso Deo immediate proficiscuntur; tunc sane Marcus Antonius de Dominis, & cum ipso alii contra logicæ regulas non peccassent, dum ex Irenæo, & ex aliis Patribus, immo vero ex Sacris Litteris intulerunt, quod volunt, quia Principatum a Deo esse, tum in Patribus, quam in Sacris Litteris legimus. At quisnam unquam affirmare auserit, eorum tantum Deum auctorem esse, quæ ab ipso immediate proficiscuntur? His accedit ex hoc eodem Irenæi loco colligi debere, quod nos contendimus. Nam citati capitis num. 3. hæc leguntur: *cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur*. Immediate sane a Deo non fit, ut nascantur homines: ergo neque etiam ut regnent.

Ex Tertulliano hæc nobis opponunt. In libro *ad Scapulam* cap. 2. " Christianus (ait ille) nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret ..... Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consequutum, & solo Deo minorem ". Ad hæc autem animadvertit Marcus Antonius de Dominis, *Imperatorem a Deo constitui*, non vero *esse constitutum*, dici a Tertulliano, *ut indicet*, inquit ipse, *se de Imperatore particulari loqui*, *non de imperio in genere*, *& Imperatore*. Idem Tertullianus *in Apologetico*

(1) *Lucæ* cap. 4. v. 6.

tico adver. Gentes cap. 30. ita in eamdem rem habet : " Nos
" enim pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum,
" Deum verum , & Deum vivum , quem & ipsi Imperatores
" propitium sibi præter ceteros malunt . Sciunt quis illis de-
" derit imperium ..... Sentiunt eum Deum esse solum , in
" cujus solius potestate sunt , a quo sunt secundi , post quem
" primi , ante omnes , & super omnes Deos ..... Inde est
" Imperator , unde est homo , antequam Imperator : inde po-
" testas illi , unde & spiritus ".

Verum hæc quoque nihil contra nos faciunt . Tertullianus igitur in cap. 2. libri *ad Scapulam* eam calumniam depellendam sibi proponit , qua uti rei læsæ majestatis Christiani traducebantur . Hoc dum facit , illud primo ob omnium oculos ponit , Christianos nunquam fuisse Albinianos , Nigrianos , vel Cassianos ; deinde ut omnes certiores faciat de reverentia , atque submissione Christianorum erga Imperatores , illis persuasum esse tradit , potestatem Imperatorum a Deo esse . A Deo autem sunt , tam quæ mediate , quam quæ immediate ab ipso proficiscuntur . At Tertullianus affirmat , Imperatorem *a Deo constitui* : qua sane dicendi ratione in ea illum sententia fuisse colligitur , ut non imperium *in genere* , sed Imperatorem *in particulari* a Deo esse tenuerit . Quis in hoc contra obstiterit ? Est quidem tum imperium *in genere* , tum Imperator *singulariter* a Deo : verum diversa ratione : illud quidem immediate , iste autem mediate . An fortasse quæ a Deo esse dicuntur , nonnisi immediate esse debent ?

Idem crimen læsæ majestatis objectum Christianis etiam in *Apologetico* Tertullianus depellit . Quia vero de læsa majestate Christiani inde insimulabantur , quia pro salute Imperatoris suas preces non offerebant Diis ; Ethnicos plus honoris Imperatori , quam Diis , deferre ipse demonstrat , atque absurditatem eorum cultus ad salutem Imperatoris procurandam nihil conducentis ostendit . His autem positis , Christianos esse revera sollicitos de salute Imperatoris demonstrat , quia pro eo invocant Deum æternum , Deum vivum , quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter ceteros malunt . Deinde Chri-

ſtianis perſpectum eſſe commemorat, unde Imperatores ſuam poteſtatem habeant, hoc eſt, fateri, quod a Deo habeant; unde ipſe dicit, Imperatores eſſe a Deo ſecundos, poſt Deum primos. Sunt autem revera Imperatores in poteſtate a Deo ſecundi, & poſt Deum primi, quamvis illam a Deo immediate non habeant. Tandem Tertullianus ad oſtendendum Imperatores Deo ſubjectos eſſe debere, poſt nonnulla alia hæc habet: „ Inde eſt Imperator, unde & homo, antequam Imperator: „ inde poteſtas illi, unde & ſpiritus". Imperatorem ergo æque a Deo eſſe, & quatenus eſt homo, & quatenus eſt Imperator, Tertullianus affirmat: at quatenus homo a Deo immediate non eſt. Verum tradit quoque Tertullianus, inde Imperatori poteſtatem eſſe, unde & ſpiritum: ſpiritus autem eſt immediate a Deo. At nihil ad Tertulliani propoſitum referebat, ut diſtincte innueret, ſpiritum immediate a Deo eſſe, non vero poteſtatem: nam a Deo revera eſt tam quod mediate, quam quod immediate a Deo proficiſcitur.

Nunc de Optato, & Auguſtino videamus. Optatus lib.3. *Contra Parmenianum* affirmat, quod *ſuper Imperatorem non ſit niſi ſolus Deus, qui facit Imperatorem*. Auguſtinus lib.4. *De Civitate Dei* cap.33. hæc habet: " Deus igitur ille felicitatis auctor, „ & dator, qui ſolus eſt verus Deus, ipſe dat regna terrena „ & bonis, & malis". Lib. 25. cap. 21. "Non tribuamus (in„ quit) dandi regni, atque imperii poteſtatem, niſi Deo vero".

Verum Optatus ſibi propoſuerat refellere temeritatem Donati, qui ſe ſupra Imperatorem extulerat: " Dum ſe Do" natus (ait) ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum „ exceſſerat metas, ut ſe, ut Deum, non ut hominem æſti„ maret, non verendo eum, qui poſt Deum ab hominibus ti„ mebatur". Nihil ergo eo magis temere fieri potuiſſe, quod a Donato factum fuerat, inde Optatus docet, quia tanta ſe ille audacia geſſerat, ut ei ſubjici nollet, quem ſupra alios a Deo conſtitutum, ceteri omnes ab ipſo Deo ſecundum, revererentur. Qua autem ratione Imperator a Deo ſupra omnes conſtitutus eſſet, hoc eſt, an immediate, an mediate tantum, Optatus non explicat, veriſſimeque dicere potuit, Imperatorem a Deo

Deo factum esse, licet id Deus immediate non peregisset.

Amplitudinem, & diuturnitatem Romani Imperii, sicut etiam quemvis alium Principatum, Jovi, Diisque Ethnicorum tribui non posse, sed ad Deum referri oportere, hoc vero est, quod in toto libro 4. *De Civitate Dei* S. Augustinus pluribus demonstrat. Id autem postquam præstitit, non minus a falsis Diis, quam a fato vires, & incrementa regnorum pendere non posse, ostendere prosequitur. Falsorum ergo Deorum, sicuti fati interventum a distributione, & incremento regnorum omnino vult exclusum S. Augustinus, atque secundum hanc rationem *a solo vero Deo* regna dari, *Deo vero* dandi regni, atque imperii potestatem esse tribuendam affirmat. Quapropter est tota Augustini ratio in eo posita, non quidem ut velit, regna immediate a Deo proficisci, ad quem sensum Augustini loca trahunt, qui contra nos sentiunt, sed ut maximam absurditatem opinionis illorum ostendat, qui originem regnorum vel a falsis Diis, vel a fato repetebant.

Alia inter ceteros Marcus Antonius de Dominis (1) loca Patrum congessit, ex quibus id unum habetur, regna a Deo esse: unde ex iis inferri nullo modo potest, quod ipse vellet, atque revera infert. Nam a Deo esse recte dicuntur, uti jam monuimus, & nemo negare potest, tam quæ immediate, quam quæ mediate procedunt. Non evincitur ergo auctoritatibus nonnullorum Sanctorum Patrum Principatum singulariter spectatum immediate a Deo esse.

§. II. Eodem modo non constat ex Sacris Litteris Principatum singulariter spectatum immediate a Deo esse.

Hæc sunt loca Divinarum Scripturarum, ut præcipua tantum referamus, in quibus traditum habemus, omnem potestatem Principatus a Deo esse. *Sapientiæ* cap. 6. v. 4. & 5. ita ad Reges: " Quoniam data est a Domino potestas vobis, „ & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & co„ gitationes scrutabitur, quoniam quum essetis ministri regni, „ non recte judicastis ". *Danielis* cap. 4. v. 8. " Dominatur „ excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dat „ illud ".

(1) Loco citato.

„ illud". Apostolus *Roman.* cap. 13. v. 1. & seqq. " Omnis „ anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim „ potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. „ Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui „ autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt ..... Dei „ enim minister est tibi in bonum: non enim sine causa gla- „ dium portat: minister est enim in iram ei, qui malum agit, „ ideoque subditi estote non solum propter iram, sed etiam „ propter conscientiam". S. Petrus in sua 1. epistola cap. 2. „ v. 13. " Subjecti estote omni creaturæ propter Deum, sive „ Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo „ missis ob vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, „ quia sic est voluntas Dei".

At his omnibus Sacræ Scripturæ locis id unum certissime constituitur, Principatum a Deo esse, atque ei obtemperandum non solum ob illud jus naturale, quod ab ipsa politica societate secundum rectam rationem proficiscitur (1), sed etiam ob Divinum præceptum nobis distincte traditum in Sacris Litteris. Verum ex hoc nullo modo consequitur, Principatum singulariter spectatum a Deo immediate esse. Quandoquidem etiam in Sacris Litteris absolute pronuntiatur a Deo esse, tam quæ mediate, quam quæ immediate ab illo proficiscuntur. Duo tantum nos hic afferemus, ex Apostolo Paulo unum, alterum ex Apostolo Jacobo, in quibus, nullo habito discrimine eorum, quæ vel mediate, vel immediate dimanant, cuncta ab eo esse, nihilque inter dona Dei computari non debere affirmatur: *omnia autem ex Deo*, inquit Paulus 1. *Corinth.* cap. 11. v. 12. Jacobus autem in sua Catholica epistola cap. 5. v. 17. ita habet: " Omne datum optimum, & omne donum „ perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud „ quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio". Si ergo omnia a Deo esse rectissime dicuntur; si omne datum optimum, & omne donum perfectum a Patre luminum descendere, verissime affirmatur, quamvis non omnia, quemadmodum nemo negaverit, a Deo immediate proficiscantur; inde

(1) Vide lib. 26. cap. 2. §. 4.

inde ſane conſequitur, inferri non poſſe, poteſtatem Principatus a Deo immediate eſſe, quia in Sacris Litteris traditum habemus, hujuſmodi poteſtatem ab eo dimanare.

Quæ animadvertit S. Joannes Chryſoſtomus explicans illa verba Apoſtoli: *Non enim poteſtas niſi a Deo*, hic prætereunda non ſunt a nobis, tum quia verſantur circa ſenſum litteralem, tum quia iiſdem cetera omnia Sacræ Scripturæ loca explicantur. Poſtquam ergo S. Doctor in *Homilia* 23. in epiſt. ad *Romanos* num. 1. oſtendit, ex Divino præcepto poteſtatibus obtemperandum eſſe, hæc ſuperaddit: “ Primum autem jus talis conſtitutionis cum fidelibus ratiociniis convenit, quod a „ Deo hæc præcepta fuerint. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*. „ Quid dicis? Omnis ne Princeps a Deo ordinatus eſt? Non „ hoc dico, inquit. Neque enim de ſingulis Principibus mihi „ nunc ſermo eſt, ſed de re ipſa. Nam quod Principatus ſint, „ & quod alii imperent, alii ſubjecti ſint, neque omnia caſu, „ ac temere ferantur, populis, quaſi fluctibus, hinc inde circumactis, Divinæ eſſe Sapientiæ dico. Ideo non dixit: non „ enim eſt Princeps niſi a Deo; ſed de re ipſa loquitur, dicens: *Non enim eſt poteſtas niſi a Deo*: *quæ vero ſunt poteſtates* „ *a Deo ordinatæ ſunt*. Sic & quum quidam Sapiens dicit (1): „ *a Deo adaptatur viro mulier*; hoc dicit, quia nuptias Deus „ conſtituit, non quia ſingulos, qui mulieres ducunt, ipſe „ conjunxerit“. In his autem S. Joannes Chryſoſtomus non ſolum ſe nobiſcum conſentire apertiſſime prodit, ſed etiam tradit rationem, qua ſecundum litteram explicanda ſunt omnia loca Divinarum Scripturarum, in quibus poteſtates a Deo eſſe dicuntur. Quandoquidem ita accipi illa non debere, ut ad ſingulos Principes referantur, inde veriſſime colligit, quia Apoſtolus non dixit: *Non enim eſt Princeps niſi a Deo*, ſed loquutus tantum fuit de re ipſa, hoc eſt, de Principatu. Quod quidem exemplo nuptiarum recte confirmat: quas a Deo eſſe, dubitari non poteſt; tamen Deus non conjungit ſingulos, qui mulierem ducunt.

Acute ſibi quidem Oſiander (2) animadvertiſſe videtur, illa

(1) *Proverb.* cap. 19. v. 14. (2) Loco ſupra citato.

Marcus Antonius de Dominis *De Republ. Ecclesiast.* lib. 6. cap. 2. §. 35. non minus infelici exitu locum illum explicavit : dicit enim ea verba intelligi oportere *de sola potestate eligendi*. Verum *omne imperium*, & *potestatem* a populo in Regem transferri in citato loco apertissime traditur. Vis ergo iisdem verbis infertur, dum de electione explicantur. Nulla tamen vis infertur quibusdam aliis legis civilis locis, in quibus traditur imperium a Deo esse (1), dum ea eadem ratione explicantur, ac Sacræ Scripturæ loca nos explicavimus, quia, uti sæpius diximus, a Deo sunt, tam quæ mediate, quam quæ immediate ab illo proficiscuntur. Unde non est, cur ea in medium afferant, qui contra nos sentiunt. Sicuti neque etiam est, cur ad legem canonicam recurrant. Nam & in ea quoque id unum inculcatur, potestatem a Deo esse (2).

Alterum vero, quod animadvertendum ducimus, hoc est: de suprema dignitate, auctoritate, atque potestate Principatus nihil detrahi, si dicatur Principatum spectatum singulariter a Deo immediate non esse. Per hoc enim non fit, ut Principatus etiam iste, ille, alius, non sit Divinæ institutionis, Divinæque etiam institutionis non sit, ut ei omnes subjiciantur. Nam quod est Divinæ institutionis, & quod ex Divina institutione facere debet, consociata multitudo exequitur, dum caput sibi præficit, a quo cum potestate regatur: quod quidem semel ac illa fecerit, nullam amplius potestatem in se, neque etiam habitu, retinet (3).

LI-

(1) Vide Novellam 6. in Præfat. (2) Vide Can. *Duo sunt* Dist. 96., Can. *Quoniam* Dist. 10., Can. *Principes* caus. 13. quæst. 5., atque etiam Concilium Parisiense VI. lib. 2. cap. 5. apud Sirmondum tom. 2. Conciliorum Galliæ. (3) Hujus lib. cap. 1. §. 3. & seqq.

LIBER XXVIII.

DE PRÆSTANTIA DEMOCRATICI, ARISTOCRATICI, ET MONARCHICI REGIMINIS, SIVE IN SE, SIVE INVICEM SIBI COMPARATÆ HÆ DIVERSÆ SPECIES REGIMINIS SPECTENTUR.

Quodvis ergo regimen, sive Democraticum, sive Aristocraticum, sive Monarchicum illud sit, a Deo esse, dubitari non potest. Consociatæ enim multitudini Deus naturaliter inseruit, ut caput sibi præficeret, a quo cum potestate regeretur. Ceterum ut consociata multitudo hanc potius, quàm alteram formam regiminis amplecteretur, Deus illi non constituit. Facit ergo consociata multitudo, quod a Deo sibi naturaliter inditum habet, dum caput sibi præficit; a quo cum potestate regatur, quamcumque tandem in eodem capite formam regiminis esse decernat. De triplici itaque illa forma regiminis vulgo recepta apud omnes, hoc est, de Democratica, Aristocratica, & Monarchica in hoc libro disputabimus, explicabimusque, quænam earum præstantia sit, primo quidem uniuscujusque in se spectata natura, atque conditione, deinde vero inter eas invicem facta comparatione. Rem ergo totam quatuor capitibus perficiemus: in 1. de Democratici, in 2. de Aristocratici, in 3. de Monarchici regiminis natura, & conditione differemus, in 4. statuemus, quodnam ex istis præcellat ceteris.

CAPUT I.

DE NATURA, ET CONDITIONE DEMOCRATICI REGIMINIS.

§. I. Regimen Democraticum, si illud in se spectetur, est quam maxime accomodatum ad commune bonum procurandum.

In Democratico regimine omnes e populo cujuscumque conditionis, ac status ii sint, pari jure sunt participes potestatis,

tis, qui ita sese moderantur, ut quum maneat penes populum vis imperii, atque majestas, a paucis electis a populo, & ex populo (qui per convocatas conciones, collegia, classes, centurias, aut tribus de creandis Magistratibus definito tempore Rempublicam administraturis, deque aliis rebus statuit (res omnis publicá geratur. Hanc ergo formam regiminis, si ea in se spectetur, ad commune bonum procurandum valde accomodatam esse dicimus. Nam commune bonum esse illud dicitur, quo ipsa communitas perfruitur, atque lætatur: ad populum igitur, saltem maxima ex parte, quia ex populo civitas, vel respublica, veluti ex sui majori parte constat, illud commune bonum refertur, quod a Democratico regimine præintendi debet. Diligentius autem, ac magis attente id boni procurari consuevisse ab hominibus, quo ipsi quoque perfruuntur, comperta res est. Quum ergo in Democratico regimine eorum, qui consulunt communi bono, simulque etiam ejus sunt participes, longe major sit numerus, quam in quovis alio regimine, inde sane consequitur, ut si Democraticum regimen in se ipso spectetur, sit quam maxime accomodatum ad commune bonum procurandum.

De utilitate boni communis ii quoque participant, qui Aristocraticum, vel Monarchicum regimen tenent; attamen quo plures in unum idemque tendunt, habita ratione hujus curæ, & sollicitudinis in se ipsa spectatæ, facilius obtinetur, quam si pauciores in illud incumbant: quum ergo in Democratico regimine numero sane plures, quam in aliis regiminibus, communi bono prospiciant, cujus sunt etiam participes, semper dicendum est, regimen Democraticum, si in se ipso spectetur, quam maxime accomodatum esse ad commune bonum procurandum. Deinde quamvis non semper omnes communi bono perfruantur, eo tamen societatis pars maxima perfruitur, alioquin commune dici illud non posset: populus autem in quavis societate majoris partis locum tenet: in populi igitur utilitatem commune bonum potissimum redundat. Unus autem tantum, si ad eos, qui præsunt, attendatur, in Mo-

narchico, plures in Aristocratico, longe adhuc plures in Democratico regimine communi bono gaudent: plures ergo in hoc regimine, quam in aliis, ad communem simul, & propriam utilitatem curandam conveniunt: est igitur illud ex sui natura ita comparatum, ut ad commune bonum quam maxime conducat.

§.II. In Democratico regimine haud facile contingere potest, si illud in se spectetur, ut quispiam sua potentia injuste aliis dominetur.

De hac potentia timendum esset vel ab iis, qui spectant ad populum, vel ab aliis, qui in censum Optimatum veniunt. Neque ab illis, neque ab istis in Democratico regimine de hujusmodi potentia facile timendum est, minusque etiam periculi occurrit, ne aliquis vel ex populo, vel ex Optimatibus, sibi usurpet quamdam dominationem supra alios. Nam ut quispiam, æqualis & ipse potestatis cum ceteris, aliquo modo in communem potestatem invadat, longe difficilius plures, quam pauciores, consentiunt, vel patiuntur: in Democratico regimine potestas communis est sane in longe pluribus, quam in aliis regiminibus: igitur in Democratico regimine haud facile contingit, si illud in se spectetur, ut quispiam sua potentia injuste aliis dominetur. Item: difficilius fit, quod est multorum consensione, aut permissione, vel etiam non repugnantia faciendum, præcipue vero si illud tendat in detrimentum jurisdictionis singulorum: difficilius igitur in Democratico regimine contingit, ut aliquis e populo quadam tyramnide opprimat alios: nam in hoc regimine longe plures, quam in aliis, & eos quidem tales, qui propria auctoritate spoliantur, vel sibi consentientes, vel non repugnantes habere, aut vel repugnantes vincere, atque frangere ille debet, qui id tentaverit.

Quod diximus de quibuslibet e plebe hominibus, est idem sentiendum de Optimatibus, quia eædem semper rationes in re ista etiam quoad eos recurrunt. Iis accedit, ut Optimates neque ob suam nobilitatem generis, neque ob copiam divitiarum in Democratico regimine habeant, ut gerere reipubli-

publicæ negotia possint, atque ita viam sibi parare ad quoddam jus supra alios exercendum, quod sibi nullo modo conveniret, atque omnino repugnaret ipsi institutioni regiminis.

Largitione quidem munerum, quæ potius ab Optimatibus, quam ab aliis, facile fieri potest, aliquando contingit, ut populus seducatur, suaque propter eam jurisdictione quoque spoliari consentiat: verum nimis magna esse debet hujusmodi largitio munerum, ut propter illam populus jus supremum sibi abripi patiatur, atque nimis multi eadem expleantur oportet. Deinde cum largitione munerum maxima semper incertitudo conjungitur, & qua populus ratione ob largitionem unius inducitur ad renunciandum jus tam præclarum, majoribus largitionibus alterius ad idem faciendum in favorem illius facile inducetur. Semel ac enim pecuniæ cupiditas dominatur, nihil sane non metuendum.

Optimates facilius etiam præ aliis potentia prævalere possunt: verum in Democratico regimine hæc potentia supra plures prævaleat oportet, & illos quidem, hujusmodi potentia prævalente, in ea conditione positos, ut suam propriam auctoritatem amittant, & supremum jus, quod habebant in republica, ab eis tollatur. Quare in Democratico regimine plures sane, quam in quovis alio, resistent potentiæ illius, qui Principatum supra ceteros sibi usurpare contendet, ac propterea, qui in id intendit, difficilius erit, ut, quod vult, assequatur. Est ergo manifestum in Democratico regimine haud facile contingere posse, si illud in se spectetur, ut quispiam sua potentia injuste aliis dominetur.

§. III. Spectata natura Democratici regiminis, vera communis boni ratio difficilius in eo detegitur.

Democratici regiminis proprium est, ut nonnulli & a populo, & ex populo electi rempublicam administrent, & imperii vis, atque majestas penes populum maneat. Hac semel posita constitutione regiminis, si ad naturam ejus attendamus, perspectum id sane est, quod nunc volumus. Quandoquidem rerum agendarum tum experientia, tum cognitione ii, quibus datum est consulere communi bono, præditi sint oportet,

 ut

ut veram rationem boni assequantur, vel si neque experientiam, neque cognitionem habeant, aliorum ad id consilio utantur. Quamvis autem aliquando nonnulli e populo homines vel aliquam peritiam hujus generis, vel saltem experientiam habeant; tamen semper pars maxima populi, immo fere omnes, neque illa, neque ista aliquo modo potiuntur. Quum ergo & a populo, & ex populo in Democratico regimine eligantur, qui rempublicam administrant, habita ratione tum eligentium, tum electorum, nihil facilius contingere potest, quam ut respublica iis regenda committatur, qui ad id neque experientiam, neque cognitionem habent, quum e populo fere omnes sine utraque sint. Nam quid ad rempublicam bene gerendam requiratur, saltem aliquo modo ille videat oportet, qui id muneris mandare aliis debet: ii autem, qui hoc muneris recipiunt, propter hoc non assequuntur, quod ad illud recte sustinendum non habebant. Superesset ergo tantum, ut tam qui eligunt, quam qui eliguntur, defectui tum cognitionis, tum experientiæ aliorum consilio prospicerent: verum non minus eorum, qui consuluntur, quam ipsorum consiliorum recta discretio semper habeatur oportet; quæ sane ab illis expectanda non est, qui tum cognitione, tum experientia destituti sunt in eis, de quibus consilium ab aliis petunt. Deinde tantum plerumque abest, ut e populo homines ad consilium expetendum ab aliis propendeant, ut sæpissime de hoc ne cogitare quidem consueverint, & si quandoque cogitent, facillime contingat, ut ne habeant quidem, a quo rectum justumque petant. Quamvis ergo absolute fieri possit, ut etiam in Democratico regimine vera communis boni ratio detegatur, tamen, si naturam illius spectemus, hoc sane difficilius contingit.

§. IV. Perturbationi locus facile esse potest in Democratico regimine, si illud in se spectetur.

Perturbationi locus tunc potissimum facile patet, quando non solum sunt plures, qui una simul ad aliquid decernendum conveniunt, sed etiam ex iis fere omnes neque cognitionem, neque experientiam eorum habent, de quibus simul uni-

uniti decernere debent, aliundeque etiam gravitate, politiori urbanitate sunt destituti, & quid requiratur ad simul agendum cum aliis de rebus gravioribus,ne ex domesticis quidem exemplis noverunt. Tales autem plerumque fere omnes e populo esse, nullus sane negaverit. In quo enim cœtu magis, quam in populari, rerum agendarum, præcipue vero graviorum, quæ spectant ad commune bonum, ignoratio dominatur, experientia deficit, minusque urbana, atque polita agendi ratio esse solet? Est ergo manifestum, perturbationi locum facile esse posse in Democratico regimine, si illud in se spectetur.

§. V. Ad occurendum iis defectibus, qui facile contingere possunt in regimine Democratico, ut in eo certus ordo ponatur oportet.

Quo magis aliqua multitudo ordinata fuerit, eo minus perturbationis, quæ ex illa facile oriri solet, extimescendum est. Ita a recte ordinato exercitu nihil nisi ordinatum jure merito expectatur: a recte ordinata societate multorum, quævis tandem ob negotia inter eos inita fuerit, nihil non proportionatum præintento fini futurum est, ut respondeat. Quemadmodum autem ordo exercitus in eo potissimum consistit, ut in diversas, ac determinatas classes totus exercitus sit divisus; ita etiam quem multitudo populi in se non habet, ordinem tunc acquirit, quando simili ratione in certas quasdam classes distribuitur, ejusque membra ita ad invicem componuntur, ut corpus recte dispositum constituant.

Quapropter in duobus præcipue certus ordo constituatur oportet: 1. in ipsa ratione suffragiorum ferendorum: 2. in administratione eorum munerum, quibus respublica tota regitur. Si ad rationem suffragiorum attendamus, de ea & omnino certum esse debet, penes quos ipsa sit, & ejusdem ordinata distributio habeatur oportet, ita ut, divisa tota multitudine populi in quasdam classes, potestatem suffragiorum unaquæque classis secundum proportionatam distributionem habeat. Si illud quoque quoad ipsam suffragiorum ferendorum potestatem constitutum habeatur, ut nullus ad superiora munera eligi possit, qui antea minora cum laude non gesserit, magis ad-

huc

huc præclarus ordo accedet ipsi rationi suffragiorum. Quoad administrationem vero munerum omnino definitum sit oportet, quid unicuique muneri competat, quidve non competat, & si sint plures, quibus cura ejusdem muneris commissa sit, quomodo ad invicem sese habere debeant, quodque a se separati, vel simul uniti possint, aut non possint.

Et re quidem vera in Democratico regimine facile contingere posse, tum ut vera communis boni ratio non detegatur, tum ut sit cuidam perturbationi locus, jam est animadversum a nobis (1). Huic autem utrique incommodo quadam ratione prospicitur, si serventur, quæ modo statuimus. Nam per hoc quod populus in certas classes distribuatur, ab eo quidem non depellitur imperitia rerum agendarum, propter quam fit, ut in Democratico regimine communis boni ratio non facile detegatur (2); tamen etiam e populo homines dum non tumultuaria ratione ad deliberandum simul conveniunt, sed divisi in quasdam classes, agere maturius, atque adhibita majori discussione, consueverunt. Nam semel ac populus in quasdam classes distributus sit, qui ad unam classem, vel etiam ad diversas classes spectant, facile est, ut de rebus agendis consultationem inter se ineant, expendantque simul, qua potissimum ratione communi utilitati prospectum esse possit. Consultatione autem multa eorum sæpe detegi, quæ antea ignorabantur, quamvis inter eos consultatio fiat, qui ducuntur solo lumine rationis, nemo negaverit. Hæc ergo si etiam ab hominibus e populo habeatur (haberi autem facile debet, semel ac ille non tumultuaria ratione agat, sed in certas classes sit distributus) haud difficile sane est, ut defectui cognitionis, quo populus laborat, aliquo modo prospiciatur.

Experientiæ quoque defectui, propter quem fieri diximus (3), ut in Democratico regimine ratio boni communis haud facile detegatur, consultum erit, si illud etiam constitutum habeatur, ut nullus ad superiora munera eligi possit, qui antea minora cum laude non gesserit.

Perturbationi autem, cui Democraticum regimen ex sui

(1) Hujus cap. §.3. & seq. (2) Hujus cap. §.3. (3) Cit. loco.

sui natura facile obnoxium esse diximus (1), nullum remedium illo magis promptum, atque opportunum, de quo usque modo loquuti fuimus, adinveniri potest. Est enim ordo perturbationi contrarius. Hujusmodi autem remedio certus ordo inducitur, tam si ipsam rationem suffragiorum ferendorum spectemus, quam si attendamus ad administrationem illorum munerum, quibus tota respublica regitur, ac propterea reipublicæ totum regimen recte ordinatum evadit.

CAPUT II.

DE NATURA, ET CONDITIONE ARISTOCRATICI REGIMINIS.

§. I. IN Aristocratico regimine virtus singularis quandoque necessaria est ad verum commune bonum procurandum. Ut aliud Optimatum (penes quos est regimen Aristocraticum) saltem plurimorum, aliud ceterorum omnium commune bonum sit, quandoque contingit. Quamvis enim multa in commune bonum tum Optimatum, tum ceterorum æque cedant; tamen ob diversitatem conditionis, quæ inter illos, & istos intercedit, nonnulla sæpe occurrunt, quæ utrisque eodem modo utilia esse non possunt. Uno exemplo, quamvis multis possemus, rem istam declarabimus. Si agatur de ubertate annonæ, est ea quidem utilis communi bono. Hujus autem boni communis plurimi saltem Optimatum quandoque non sunt participes, sicuti ceteri omnes, immo aliquod illi detrimentum patiuntur. Qui enim copia annonæ inter Optimates abundant (ea autem abundare quosdam eorum potissimum contingit) aliquod profecto detrimentum ob ejusdem annonæ ubertatem subeunt, quum inde consequatur, ut rem suam viliori pretio vendere debeant. Idem in multis aliis sæpe contingit, ex eo quod non una Optimatum, saltem plurimorum, atque ceterorum in multis conditio sit. Quapropter non raro evenire debet, ut dum Optimates, saltem multorum ex iis habita ratione, ad commune bonum intendunt, prout illorum officii ratio postulat, suis utilitatibus prospicere, suumque commo-

(3) Præced. §.

modum procurare non debeant. Id autem ut fiat, singularis profecto virtus necessaria est. Singularis itaque virtus quandoque necessaria est in Aristocratico regimine, ut commune bonum procuretur.

Negari illud quidem non potest, etiam in Democratico regimine quandoque contingere, ut privatum bonum communi præferendum sit: verum quum eorum, qui in hoc regimine imperium tenent, fere una eademque conditio sit, contra autem in regimine Aristocratico Optimatum, saltem plurimorum, atque etiam in multis rebus, non eadem sæpius conditio habeatur, ac ceterorum; ideo virtutem ad commune bonum procurandum in Aristocratico regimine quandoque singulariter necessariam esse constituimus.

§. II. Aristocraticum regimen in se spectatum tale est, ut in eo vera ratio boni communis facile detegatur.

Hoc sane regimen est penes Optimates. Ea vero quæ sunt, atque esse debent politici regiminis, Optimates potissimum nosse consueverunt. Multi enim eorum longa apud alias nationes itinera faciunt, & in mores, consuetudines, ac leges illarum inquirunt: alii in lectione librorum multum temporis ullo sine impedimento impendere possunt: plures abundant iis omnibus, quæ ad rem familiarem requirunt, propterea que ob sollicitudinem comparandi ea, quæ sibi necessaria sunt, ab intendenda sua cura in reipublicæ bonum non avertuntur: sunt nonnulli, qui suorum Majorum præclara hac in re exempla habent, quæ imitentur: decor propriæ existimationis in administratione reipublicæ Optimatum maxime animos plerumque afficit, tum quia ii potissimum, suæ habita ratione conditionis, in agendo duci honestate singulariter debent, tum quia ob eamdem rationem præcipue turpe est, non gerere reipublicam, prout debent: in discrimen quoque amittendi plura Optimatum multi adducuntur, si suis erga rempublicam partibus non satisfaciant: eorum denique, saltem magna ex parte, institutionem magis rectam fuisse, magisque etiam accomodatam ipsis regulis honestatis, quam inter se invicem homines servare debent, æquo jure existimandum est. Hæc vero

vero omnia quam maxime conducere ad detegendam communis boni rationem, nemo unquam negaverit. Facile ergo est, ut vera ratio boni communis in Aristocratico regimine detegatur, si ad naturam illius attendamus.

§. III. In Aristocratico regimine, si illud in se spectetur; facile est, ut vera virtus tum in laude, tum in pretio sit.

Nemo est, qui habere non velit æstimatores virtutis potius Optimates, quam alios e plebe homines. Nam quamvis etiam apud quosdam Optimates virtus in pretio quandoque non sit, immo ne ab eis quidem noscatur; tamen in aliis e plebe hominibus id facilius contingit. Quæ enim Optimates, si non omnes, saltem plures illorum, ad virtutis tum pretium, tum veritatem dignoscendam adjumenta habent, non solum aliis e plebe hominibus præsto non sunt, sed etiam iisdem plerumque omnino desunt. Quum ergo regimen Aristocraticum Optimatum auctoritate constet, inde facile esse consequitur, ut in eo vera virtus tum in laude, tum in pretio sit.

§. IV. Facile etiam est, ut in Aristocratico regimine, habita ratione naturæ illius, tum studia litterarum, tum præclaræ artes in pretio habeantur.

Si alicui unquam cœtui studia litterarum cordi esse possunt, aut debent, is sane est, qui in se continet homines magna saltem ex parte bene institutos, atque ex iis omnes, vel fere omnes, si non longiorem, saltem aliquam studio litterarum operam dederunt, ipsaque conditio status eorum, ut in his, vel aliis scientiis instructi sint, vel illarum aliquam saltem cognitionem habeant, sæpissime requirit. Non minus autem cœtus, quam conditio status ipsorum Optimatum est hujusmodi: si igitur Monarchicum regimen in se ipso spectetur, facile est, ut in eo studia litterarum in pretio sint.

Iis quoque operibus, quæ a præclaris artibus proficiscuntur, Optimates potissimum delectantur, illaque diligentissime conquirunt, & quoniam plerumque præ ceteris possunt, etiam magno pretio sibi comparant. Habere in suis domibus præclarissimarum artium præstantissima opera, & ea quoque, quæ sunt inferiorum artium, singulari quadam ratione elaborata,

gloriæ sibi ducunt. Et re quidem vera, ipsius conditionis habita ratione, si cui unquam convenit delectari hujusmodi rebus, iisdemque ad quamdam magnificentiam præseferendam potiri, Optimatibus sane convenit. Si ergo opera artium, quæ sunt magis præclaræ, apud Optimates in pretio esse solent, etiam ipsæ artes sint oportet, ac propterea ad eas fovendas regimen Aristocratum, si in se ipso spectetur, omnino comparatum est.

§. V. In Aristocratico regimine, si illud in se spectetur, haud difficilius contingit, ut in eo nonnulli sua potentia aliis dominentur.

Regimen si contrahatur ad pauciores, tunc ut aliqui supra alios prævaleant, est sane longe facilius, quam si ad multos extendatur, & hac de causa statuimus (1), in Democratico regimine haud facile per se contingere posse, ut aliqui sua potentia aliis dominentur. Regimen autem Aristocraticum ad pauciores contractum est. Hoc deinde in regimine quamvis omnes sint de sua auctoritate, atque potestate solliciti; tamen cognationum, affinitatum, amicitiarumque nexus, quo plures quandoque Optimates secum invicem colligati sunt, id efficere facile potest, ut qui ita inter se conjunguntur, superent ceteros multitudine suffragiorum, ac propterea quod ipsi voluerint, publica auctoritate constituatur, atque decernatur.

In hoc deinde regimine, ejus spectata natura, facile contingere potest, ut nonnulli dominentur aliis, si in eo sint, qui ad sui, suarumque familiarum sustentationem fungi indigeant nonnullis publicis muneribus, quæ Optimatibus conferri consueverunt: quæ quidem munera alii Optimates etiamsi sibi oblata non reciperent. Tunc sane isti facile illos, quo volunt, pertrahere possunt, & spe, vel pactione hujusmodi munerum suffragia eorum sibi obstringere, ac quodammodo addicere ad decernenda alia, quæ iisdem magis collibuerint. In se ergo spectatum Aristocraticum regimen tale est, ut in eo nonnullos sua potentia dominari aliis, haud difficilius sit.

§. VI. Iis incommodis, quæ in regimine Aristocratico, ejus spe-

(1) Præced. cap. §. 2.

ſpectata natura, facile contingere poſſunt, recte proſpicitur, ſi partis æqualis Optimatum æque, ac vulgo aliorum omnium, commune bonum interſit.

In regimine Ariſtocratico ad verum commune bonum procurandum virtutem ſingularem quandoque neceſſariam eſſe, inde ſupra confecimus (1), quia ſæpe contingit, plurimorum Optimatum habita ratione, quod ad ceterorum commune bonum confert, in bonum ipſorum non conferat. Semel ac ergo talis Optimatum diſtributio habeatur, ut partis æqualis eorum æque, ac vulgo aliorum omnium, commune bonum interſit, non eſt amplius timendum ob virtutis defectum, qui ſit in aliquibus, ne communi bono proſpiciatur. Deinde hac diſtributione ſemel poſita, tollitur omne periculum dominationis ſupra alios, quod facile occurrere poſſe diximus (2), vel ob nexum, qui ſit inter aliquos cognationum, affinitatum, atque amicitiarum, vel ob inopiam quorumdam, qui ad ſui ſuarumque familiarum ſuſtentationem publicis muneribus ſingulariter indigeant. Nam nemo commune bonum, quando & ipſe quoque eo perfruitur, cognationibus, affinitatibus, atque amicitiis præferre ſolet. Dum vero commune bonum æqualis partis Optimatum æque, ac vulgo ceterorum, intererit, etiam in diſtributione publicorum munerum idem commune bonum habebit ſuum locum. Incommodis ergo, quæ in regimine Ariſtocratico, ejus ſpectata natura, facile contingere poſſunt, recte proſpicitur, ſi partis æqualis Optimatum æque, ac vulgo aliorum omnium, commune bonum interſit.

CAPUT III.

DE NATURA, ET CONDITIONE MONARCHICI REGIMINIS.

§. I. Monarchicum regimen in ſe ſpectatum communi bono præcipuo omnium quam maxime conſentaneum eſt.

Quid in ſe hoc regimen habere debeat, ut re vera Monarchicum dici poſſit, jam explicavimus (3). Hoc ergo poſito, ita

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Præced. §. (3) Lib. 20. cap. 3.

ita in rem noſtram. Illud præcipue ſpectat ad commune bonum, ut conſociatæ multitudinis unitas conſervetur, in qua conſiſtit bonum pacis. Eſt vero pax bonum potiſſimum omnium: ea enim ſublata, tantum abeſt, ut ſimul conſociati adjumento, utilitati, mutuæque etiam delectationi ſibi invicem eſſe poſſint, quin potius oneri ſunt, immo intra ſe habent, quod non ſolum ad perturbationem, ſed etiam ad perniciem eorum tendit. Quapropter utilitas commodorum, quæ plura ſane ex multitudine conſociata in ipſam multitudinem derivantur, vel omnino perit, vel ſaltem non ſentitur, ſemel ac ipſius partes aliquo vinculo unionis inter ſe non ſint colligatæ. Eſt ergo pax bonum multitudinis omnium potiſſimum, quo poſito, ipſa onera multitudinis evadunt levia, ſemel autem ſublato, utilitates evaneſcunt. Hoc vero bonum eſt, quod regimine Monarchico facilius, atque ſecurius procuratur. „ Manifeſtum eſt autem (inquit S. Thomas Opuſc. 21. *De* „ *Regimine Principum* cap. 2.) quod unitatem magis efficere „ poteſt, quod eſt per ſe unum, quam plures; ſicut efficaciſ„ſima cauſa calefactionis per ſe eſt calidum". Si ergo communi bono illud regimen quam maxime eſt accomodatum, quo pax, bonum profecto principale multitudinis, atque inter cetera potiſſimum, procuratur ſecurius, & facilius; Monarchicum regimen procul dubio tale eſt.

Et re quidem vera, ſicuti S. Thomas proſequitur, " Quæ „ ſunt ad naturam, optime ſe habent: in ſingulis enim ope„ratur natura, quod optimum eſt. Omne autem naturale „ regimen ab uno eſt. In membrorum enim multitudine „ unum eſt, quod omnia movet, ſcilicet cor, & in partibus „ animæ una vis principaliter præſidet, ſcilicet ratio. Eſt „ etiam apibus unus rex, & in toto univerſo unus Deus fa„ctor omnium, & rector. Et hoc rationabiliter. Omnis enim „ multitudo derivatur ab uno: quare ſi ea, quæ ſunt ſecun„dum artem imitantur ea, quæ ſunt ſecundum naturam; & tan„to magis opus artis eſt melius, quanto magis aſſequitur ſimi„litudinem ejus, quod eſt in natura; neceſſe eſt, quod in hu„mana multitudine optimum ſit, quod per unum regatur".

§. II.

§. II. Monarchicum regimen est in se tale, ut in eo facile procurentur etiam singularia bona, quæ cedunt in utilitatem multitudinis.

Id discriminis Monarchicum inter, & Aristocraticum, atque Democraticum regimen interest, ut in illo unus præsit omnibus, in istis vero plures. Ille unus in Monarchico regimine supra omnes excellit, & est prorsus secretus a conditione ceterorum, nullamque in eum suæ leges vim coactivam habent, immo neque etiam directivam, semel ac illæ sint solummodo institutæ ad regendas actiones subditorum (1), quemadmodum multæ earum esse solent. Ii autem plures, qui in Aristocratico, & Democratico regimine dominantur, simul quidem uniti præcellunt supra ceteros, eosque sub suo imperio habent; tamen non sunt prorsus secreti a conditione ceterorum, quum ipsi quoque, si nullum publicum munus gerant, uti privatæ personæ habeantur, atque iis legibus, quæ pro tota communitate latæ fuerint, eodem modo subjecti sint, ac ceteri omnes. Unde regimen Monarchicum ex sui natura habet, ut & unum commune bonum semper respiciat, & privatum bonum singulorum excludat, quia in eo omnes æque subditi fiunt, & supremus Monarcha nunquam subditus evadit. Aristocraticum vero, & Democraticum regimen, quamvis & ipsa quoque instituta sint ad procurandum commune bonum; tamen si in se spectentur, quum constituantur ex iis, qui singillatim accepti, uti personæ privatæ haberi debent, & communibus legibus subjecti sunt, id quoque in se habet, propter quod saltem non semper communi bono, sed etiam aliquando privato, atque singulorum facile prospici posset, hoc est, dum qui præsunt, propriam, non communem utilitatem respiciunt. Est ergo talis natura Monarchici regiminis, ut in eo facile procurentur etiam singularia bona, quæ cedunt in utilitatem multitudinis.

§. III. Monarchicum regimen id quoque ex sui natura habet, ut vera ratio boni communis in eo facile detegi possit.

Unus sane non omnia potest. Hinc licet unus tantum in

Mo-

(1) Lib. 16. cap. 3. §. 9.

Monarchico regimine præſit omnibus, tamen in gubernanda republica opera quoque aliorum utatur oportet. Eorum autem opera uti poteſt, quos ipſe noverit, vel expertus fuerit magis idoneos ad illud, quod ipſe voluerit. Unde etiam in inveſtiganda ratione boni communis eos ſibi conſiliarios adhibere poterit, quos præ ceteris hac in re non minus ſcientia, quam experientia edoctos perſpexerit. Dum vero hujuſmodi electio omni ex parte libera eſt, ſicut in Monarchico regimine contingit, veram communis boni rationem facilius detegi poſſe, nemo negaverit. Suam deinde diligentius in Monarchico regimine, quam in aliis regiminibus, eos navare operam, qui ad id muneris aſſumpti fuerint, inde compertum eſt, quia ab illo uno, a quo in conſilium adſciti fuerint, omnia pendent, omniaque ſibi ab eo vel ſublimiora munera expectare poſſunt. Id quoque ergo Monarchicum regimen ex ſui natura habet, ut vera ratio boni communis in eo detegi facile poſſit.

§. IV. Monarchicum regimen, ſi in ſe ſpectetur, quam maxime conſentaneum eſt legibus juſtitiæ diſtributivæ.

Juſtitiæ diſtributivæ legibus illud conſtitutum habetur, ut ſingulis referatur, quod debetur pro merito virtutis. Hoc vero eſt, quod in Monarchico regimine facile contingit. Nam in eo tam Optimates, quam ceteri alii omnes intra gradum ſubditorum æque continentur. Omnes igitur ſupremus Monarcha ſibi ſubjectos habet, quorum ipſe utilitatibus proſpicere debet. Non eſt ergo, Monarchico regimine in ſe ſpectato, cur unum alteri præferatur niſi ob ſolam virtutem, ſolaque virtus in eo facit, ut ſingulis, quæ debentur pro ratione meritorum, retribuantur. Monarchicum igitur regimen, ſi in ſe ſpectetur, quam maxime conſentaneum eſt legibus juſtitiæ diſtributivæ.

§. V. Monarchicum regimen in ſe ſpectatum quam maximæ accomodatum eſt ad virtutem fovendam.

Nulla ratio eſt magis idonea ad fovendam virtutem, quam ea, qua retribuitur virtuti, quod illi pro merito debetur, ita ut dum de præmio referendo agitur, non ſolum qui nihil virtuoſe geſſerunt, non præferantur aliis, qui præclara opera vir-

virtutum edidere, sed etiam virtus excellentior majori etiam præmio recompenſetur. Hoc vero eſt, quod præcipiunt diſtributivæ juſtitiæ leges, iiſque regimen Monarchicum ex ſui natura ſpectatum quam maxime conſentaneum eſt (1): igitur Monarchicum regimen in ſe ſpectatum quam maxime accomodatum eſt ad fovendam virtutem.

§.VI. A natura Monarchici regiminis omnino alienum eſt, ut in eo aliqui ſua potentia nonnullis dominentur.

Unus in hoc regimine Suprema poteſtate præeſt omnibus, atque hujuſmodi poteſtatis ille violator exiſtit, qui ſupra nonnullos dominari quavis ratione nititur. Ferre ergo audaciam ejus ſupremus Monarcha non poteſt, neque debet, ſed ſua contra illum jura majeſtatis tueatur oportet. Ad id vero faciendum potentia, & quidem expedita, quæ nullo modo pendeat ab aliis, ei profecto non deeſt, quum Supremam, totamque poteſtatem dominii illum penes ſe habere præſupponatur.

Eſt quidem etiam regimini tum Ariſtocratico, tum Democratico contrarium, ut nonnulli quamdam ſupra alios ſibi dominationem uſurpent: attamen hiſce in regiminibus & nullus eſt, qui propter hoc totius imperii ſummam amittat; quum ea diſtributa ſit in ſingulis, & unus aliquis eorum temerarios conatus illius, qui occupare nititur dominatum ſuper alios, per ſe reprimere non poteſt. In Monarchico autem regimine & unius ſumma, atque ſuprema poteſtas hujuſmodi dominatione appetitur, & unus per ſe injuſtam dominationem appetentes frangere poteſt. Quo ſane fit, ut ei, qui regimen Monarchicum habet, omnino opponatur, ut nonnulli ſua potentia aliis dominentur, atque id tentantes poteſtate unius, hoc eſt, ipſius ſupremi Monarchæ, facilius, & expeditius, quam in aliis regiminibus, reprimi poſſint. Eſt igitur a natura Monarchici regiminis omnino alienum, ut in eo ſint, qui ſua aliis potentia dominentur.

§.VII. Eſt a natura Monarchici regiminis prorſus remotum, ut ſit in eo perturbationi locus.

Perturbatio opponitur paci: publica vero pax inde tollitur,

(1) Præced. §.

tur, si nonnulli dominationem supra alios sibi injuste usurpare moliantur: hoc autem malum & cum ipsa natura Monarchici regiminis omnino pugnat, & ab eo facilius atque expeditius, quam in aliis regiminibus, tolli potest (1): est igitur a natura Monarchici regiminis prorsus remotum, ut sit in eo perturbationi locus.

§. VIII. Facile patere potest circumventioni locus in Monarchico regimine, si ad naturam ejus attendamus.

Longe facilius est, ut unus circumveniatur, quam multi: at in Monarchico regimine unus tantum Supremam præfecturam gerit, in regimine autem Aristocratico, & Democratico administrandæ reipublicæ Supremam curam plures simul habent: igitur circumventioni locus difficilius in Aristocratico, & Democratico, facilius autem in Monarchico patere potest.

§. IX. In Monarchico regimine, quantum fieri potest, præcluditur circumventioni locus, si supremus Monarcha, prout sinit conditio ejus, quæ potest, per se cognoscat, audiat preces subditorum, eorum opera nullo modo utatur, a quibus etiam semel tantum se circumventum noverit, & quandoque præter consuetum ordinem aliquorum consilium exquirat.

Nunquam profecto contingeret, ut circumveniremur ab aliis, si omnia per nos agere possemus. Quare ad præcavendam circumventionem, quantum fieri potest, nullum promptius remedium occurrit, quam ut omnia, quæ possumus, per nos aut facere, aut videre non omittamus. Hoc idem ergo etiam de eo dici debet, qui reipublicæ administrandæ Supremam curam habet. Hic autem a circumventione inde etiam sibi præcavet, si preces subditorum, aliorumque etiam postulata Principum per se audiat, quia tunc fit, ut quæ communi utilitati prodesse possunt, ipse videat, atque ita in hoc toto negotii genere non decipiatur ab aliis, qui rem ipsam diversa ratione, ac se habet, illi repræsentent. Eum autem, ac quo vel semel tantum se circumventum noverit, idem ipse nihili omnino amplius faciat opottet, immo etiam a publico munere removeat, si quo antea fungebatur, atque in nullo amplius

(1) Præced. §.

amplius hujusmodi munere utatur opera ejus. Nam qui semel in hoc defecerit, viri honesti personam propter majestatem ejus, quem decepit, singulariter exuisse videtur, atque hac ratione simul prospicitur, ne illum alii imitentur. Tandem si supremus Monarcha quandoque præter consuetum ordinem a quibusdam gravissimis viris de iis quoque negotiis consilium exquirat, quæ commiserit aliis, facile continget, ut non circumveniatur, tam si hujusmodi consilii rationem ipsam spectemus, quam si attendamus ad illum timorem, qui inde incutitur iis, qui ad suum Principem circumveniendum animati forent.

CAPUT IV.

DE EA MAJORI UTILITATE, QUAM EX TRIBUS REGIMINIBUS, DEMOCRATICO, ARISTOCRATICO, ATQUE MONARCHICO, UNUM SUPRA ALIUD HABET.

§. I. EX his tribus regiminibus nullum est, quod suas utilitates non habeat.

De hisce regiminibus in se spectatis, non vero habita ratione illorum, quæ cum iisdem aliquando conjungi possunt, etiam in hoc capite loquimur, quemadmodum in superiori fecimus. Quod ergo nunc volumus, ex ipsa experientia compertum habemus, qua sane novimus, rempublicam in hisce tribus regiminibus præclare gestam fuisse. Et re quidem vera regimen Democraticum ad procurandum bonum commune ex sui natura est accomodatum, facileque contingit, ut in eo quispiam non sit, qui sua potentia dominetur aliis (1). Aliunde vero certa ratio occurrit, qua prospiciatur iis malis, quæ ex eo dimanare haud difficili negotio possunt (2). Regimen Aristocraticum ex sui natura valde accomodatum est ad detegendam veram rationem boni communis: veram virtutem in laude, & pretio esse, coli studia litterarum, atque foveri artes præclaras, res sunt, quæ ab ipsa institutione ejus quodam-

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 1. & seq. (2) Cit. cap. §. 5.

modo proficiſcuntur (1). Si autem quædam incommoda ſunt, quæ ex hac ſpecie regiminis facilius oriri poſſunt; neque etiam deſunt opportuna remedia, quibus iiſdem proſpiciatur (2). Tandem Monarchicum regimen & ad primum præcipuumque commune bonum, & ad ſingularia communia bona comparatum eſſe videtur: vera ratio boni communis in eo detegitur, ſuus eſt juſtitiæ diſtributivæ locus, fovetur virtus, nonnullorum potentia non dominatur, non patet perturbationi locus, ſi illud in ſe ſpectemus (3). Si cui autem defectui ex ſui natura facile obnoxium eſſe poteſt, id ſane non deeſt, quo illi conſulatur (4). Negari itaque non poteſt, quin cum regimine tum Democratico, tum Ariſtocratico, tum Monarchico ſuæ utilitates conjungantur.

§. II. Nullum eſt regimen, cum quo ex ipſa natura ejus aliqua incommoda facile conjungi non poſſint.

In Democratico regimine vera communis boni ratio difficilius detegitur, & perturbationi locus facile patet (5): in Ariſtocratico regimine ad commune bonum procurandum virtus ſingularis quandoque requiritur, atque haud difficilius contingit, ut nonnulli ſua potentia ceteris dominentur (6): tandem eſt Monarchicum regimen ex ſui natura ſubjectum circumventionibus (7). Hæc ergo regimina ſunt in ſe talia, ut unumquodque eorum ſua propria incommoda habeat.

§. III. Utilitates ſunt majores in Monarchico, quam in Ariſtocratico, & Democratico regimine, ſicuti etiam in regimine Ariſtocratico, ſi illud cum Democratico comparetur.

Omnium illarum utilitatum, quæ in quovis regimine deſiderari poſſunt, ea ſane eſt maxima omnium, quæ proficiſcitur ab illa unione, qua animi conſociatæ multitudinis ſecundum fœdera ſocietatis invicem uniuntur, atque mutuo nexu inter ſe colligantur. Hoc enim ſublato, & eorum bonorum

(1) Hujus lib. cap. 2. §. 1. & ſeqq. (2) Cit. cap. §. 6. (3) Hujus lib. cap. 3. §. 1. & ſeqq. (4) Cit. cap. §. 9. (5) Hujus lib. cap. 1. §. 3. & ſeq. (6) Hujus lib. cap. 2. §. 4. & ſeq. (7) Hujus lib. cap. 3. §. 8.

rum, quæ ex civili ſocietate dimanant, pars maxima perit, & aliorum, quæ remanent, utilitas evaneſcit. At vero regimen Monarchicum ad hoc commune bonum præcipuum omnium ex ſui natura ſingulariter comparatum eſt, & quomodo eſt ipſum comparatum, alia regimina eſſe non poſſunt (1). Si ergo ſpectemus eam utilitatem, quæ eſt maxima, atque præcipua omnium, & a qua ceteræ aliæ pendent, præcellit ſane Monarchicum regimen ſuper Ariſtocraticum, atque Democraticum.

Ob eamdem vero utilitatem, cui facilius in Ariſtocratico, quam in Democratico proſpicitur, illud quoque ſupra iſtud præeminet. Quandoquidem ideo in Monarchico regimine hujuſmodi utilitati ſingulariter proſpicitur, quia in eo unus Supremum regimen tenet, atque ad unitatem, quæ pacem conſtituit, atque fovet, omnia diſponere poteſt (2): at Democraticum regimen multo difficilius ad unitatem tendit, quam Ariſtocraticum: nam ſicuti manifeſtum eſt, quemadmodum docet Sanctus Thomas (3), & ratio ipſa omnino ſuadet, *unitatem magis efficere poteſt, quod eſt per ſe unum, quam plures*; ita etiam compertum habemus, quod unitatem difficilius efficere poſſint plures, quam pauciores. Multo plures autem ſunt ii, qui in Democratico regimine, quam qui in Ariſtocratico imperant: ea igitur unitas, ob quam Monarchicum regimen Ariſtocratico, & Democratico præeminet, facilius habetur in Ariſtocratico, quam in Democratico, ac propterea ob eamdem rationem illud iſti præcellit.

Monarchicum regimen (ut alterum etiam attingamus, quo ſuadetur id, quod nunc volumus) id ex ſui natura habet, ut in eo particularia quoque bona, quæ cedunt in utilitatem multitudinis facile procurentur, & etiam facile ratio boni communis manifeſta fiat (4). In Democratico autem regimine, ſi de communi bono agatur, ejus vera ratio difficilius detegitur.

(1) Cit. cap. §. 1. (2) Cit. loco. (3) Vide locum ſupra cap. §. 1,
(4) Hujus lib. cap. 3. §. 2. & ſeq.

tur (1), in Ariſtocratico ſingularis virtus quandoque neceſſaria eſt ad commune bonum procurandum (2). Hoc autem unum ſufficit, ut Monarchicum imperium Ariſtocratico, & Democratico præferatur. Sicut etiam ſufficit, ut præferatur Ariſtocraticum Democratico. Nam communitati magis perniciofum eſt, quod vera ratio boni communis difficilius detegatur, quam ut quandoque ad commune bonum procurandum virtus ſingularis neceſſaria ſit (3).

§. IV. Incommoda ſunt minora in Monarchico, quam in Ariſtocratico, & Democratico regimine, ſicut etiam in Ariſtocratico præ Democratico.

Monarchicum regimen in ſe quidem habet, ut circumventioni locus in eo facile patere poſſit (4): at in Ariſtocratico regimine & ſingularis virtus quandoque neceſſaria eſt ad procurandum bonum commune, & haud difficilius contingit, ut in eo ſua potentia nonnulli dominentur aliis (5): in Democratico autem & difficilius detegitur vera ratio boni communis, & facilius eſſe poteſt in eo perturbationi locus (6). Hæc autem incommoda Ariſtocratici, & Democratici regiminis longe graviora præ illo eſſe, quod in regimine Monarchico occurrit, atque etiam incommoda Democratici regiminis graviora eſſe eis, quæ inſunt in regimine Ariſtocratico, nemo, eorumdem facta comparatione, non videre debet. Illud quoque perſpectum eſt, ei incommodo, quod facile occurrere poteſt in regimine Monarchico, facilius, atque expeditius proſpici poſſe, quam aliis incommodis, quibus regimen Ariſtocraticum, atque Democraticum obnoxium eſt, idemque ſentiendum eſt de incommodis regiminis Ariſtocratici, eorumdem facta comparatione cum incommodis Democratici regiminis.

§. V. Regimen Monarchicum, quod per ſucceſſionem ad poſte-

(1) Ejuſdem lib. cap. 1. §. 3. (2) Ejuſdem lib. cap. 2. §. 4.
(3) Vide quæ præſtantia Monarchici regiminis diſſeruimus lib. 20. cap. 3. (4) Hujus lib. cap. 3. §. 8. (5) Ejuſdem lib. cap. 2. §. 4. & 5.
(6) Ejuſdem lib. cap. 1. §. 3. & 4.

posteros transmittitur, si absolute in se spectetur, longe alteri præstat, quod ab electione pendet.

Huic sententiæ opponitur idem ille Philosophus, quem supra quoad multa refutavimus (1), quique omne Monarchicum regimen improbat, & illud potissimum sublatum vellet, quod per successionem transmittitur ad posteros (2). Ut res ista in bono lumine ponatur, duo a nobis expendantur oportet: 1. incommoda quibus Principatus tum successivus, tum electivus ex sui natura obnoxii esse possunt: 2. prærogativæ, ob quas Monarchicus Principatus successivus supra electivum præcellit.

Tota ergo ratio, ob quam Monarchicum regimen electivum successivo præferendum esse, nonnulli putant, in eo posita est, quia in electivo Principatus illi committi potest, in quo nihil eorum desiderandum sit, quæ ad munia boni Principis recte obeunda requiruntur; e contrario in successivo nullus pateat hujusmodi electioni locus. At vero est illud sane animadvertendum, ejus naturæ electiones ex se non esse, ut illæ vel in optimum, vel saltem in meliorem cadere tantum possint. Si cum electionibus illud necessario conjungeretur, ut in optimum, vel meliorem cadere solummodo possent; tunc sane regimen electivum successivo præferendum esset: at longa experientia omnino compertum habemus, sæpissime etiam contingere, ut ad quævis munera ii quoque eligantur, qui præ ceteris sunt minus idonei, minusque recte illa sustinere possunt. De hoc autem si qua unquam est in electione timendum, oportet, ut in ea maxime timeatur, in qua de supremo Principatu uni alicui deferendo agitur. Nam a supremo Principe si non gravia mala sibi metuere, saltem multa utilia unusquisque expectare potest. Quo sane fit, ut qui habet facultatem

(1) Rosseaus in Opusculo *Du Contract Social* lib.2. chap.7. tom.2. Operum ejus editionis Amstelodamensis an. 1717. (2) Hac in absurditate opinionis eum præcessit Macchiavellus, quem sequutus fuit Antonius Genuensis. Vide Auctorem Operis inscripti: *Del Diritto libbero della Chiesa &c.* lib.2. par.2. cap.4. num.1.

tem suffragii ferendi in electione supremi Principis, non videre non debeat, singularem utilitatem sui cum hujusmodi electione conjunctam esse, ita ut si electio in illum cadat, qui sibi quavis tandem de causa bene affectus sit, plura sibi commoda expectare, nullaque adversa metuere, æquo jure possit. Quando autem aliqua electio est conjuncta cum maxima utilitate illorum, qui ad eam suffragium habent, facile valde est, ut iidem propria utilitate seducantur: ac propterea longe est facilius in electione supremi Principis, ac in aliis electionibus, ut in eligentibus propria utilitas supra commune bonum prævaleat, atque ita electio non solum supra optimum non cadat, sed neque etiam supra eum, qui foret melior quibusdam aliis. Quare electio ex sui natura non habet, ut cadat supra illum, quem bonum commune postularet, & ut non cadat, earum potissimum electionum habita ratione, in quibus de supremo Principatu agitur, maximum periculum est. Tam ergo in Monarchico regimine successivo, quam in electivo fieri potest, ut Supremam gubernandæ Reipublicæ curam ille habeat, qui sit minus idoneus ad hujusmodi munus.

Aliunde autem publica salus facile periclitari potest, quando Principatus a nonnullorum electione pendet. Nam haud difficile contingit, ut inter istos dissensiones, & schismata oriantur, atque ita fiat, ut non sine perturbatione publicæ tranquillitatis, diutius, quam par esset, electio protrahatur, atque interea subditi in diversas partes scindantur. Hoc autem periculum a Principatu successivo est longe remotum.

Prærogativas, quas Principatus successivus supra electivum habet, nunc expendamus. 1. Princeps, qui natus, educatusque in Principatu fuerit, longe facilius est, ut induat sensus boni Principis, quam alter, qui nullum jus ad Principatum ex sui origine habet. Nam ille & quæ sunt rationes optimi Principatus præmature videre potest, & ad eas videndas, difficile sane est, ut quæ requiritur, institutionem saltem aliquam non habeat. Si enim omnibus plerumque parentibus cordi est, ut sui filii in eo recte instituantur, quod illorum offi-

cii

cii ratio postulat ; multo magis Principibus curæ esse debet, ut sui filii illam institutionem habeant, quæ eisdem, etiam Principatus habita ratione, maxime conveniat. Est deinde plerumque insitum juvenibus, id addiscere velle, quod etiam a se ipsis aliquando faciendum esse vident. Quare etiam in iis, qui in Principatu nascuntur, dum ad maturiorem ætatem pervenerint, facile est, ut voluntas excitetur cognoscendi ea, quæ requiruntur ad rectam administrationem illius Principatus, quem futurum vident, ut ipsi quoque aliquando tenere debeant.

2. Qui Principatum ex successione habet, illum uti paternam hæreditatem a suis majoribus sibi traditam, atque a se ad suos filios, & nepotes transmittendam respicit. In paterna vero hæreditate quiddam occurrit, quod est per se non minus charum, quam dulce: itemque benevolentia, & amor erga filios, atque nepotes de diligentiori custodia ejus hæreditatis, quæ ad illos transmitti debet, nunquam nos monere desinit. Ex hoc autem consequitur, ut Principatus successivus supra electivum id quoque habeat, ut in se spectatus singulari ratione charus dulcisque sit, sicuti revera sunt cetera pignora, quæ parentes nobis reliquerunt, & ob filiorum, atque nepotum amorem diligentius custodiatur. Hoc autem redundare etiam in non levem utilitatem boni communis, nemo non videt. Inde enim fit, ut qui Principatum hac ratione tenet, quadam illum charitate complectatur, procuret bonum illius, utilitatesque undequaque foveat.

3. Principatus successivus ex sui natura majorem amorem erga subditos in Principe inspirat, quam electivus. Sicuti enim modo dicebamus, Principatus successivus quia est quædam paterna hæreditas, quæ ad filios, & nepotes transmittitur, singulariter charus habetur, diligentiusque custoditur, atque servatur. Est autem cum hisce duobus etiam conjunctus erga subditos amor singularis. Subditi enim sunt pars potissima Principatus: illa igitur charitas, qua Principatus successivus, non secus ac hæreditas paterna, singulariter diligitur, & major

jor diligentia, atque custodia, qua servatur, ad subditos præcipue refertur. Quum vero Principatus electivus haberi non possit, uti quædam paterna hæreditas a majoribus recepta, atque transmittenda ad hæredes, ex hac parte non habet, sicuti successivus, ut singularem amorem erga subditos in Principe foveat.

4. Principatus electivus id quoque ex sui natura habet, ut ad majorem amorem, quam successivus, erga suum Principem subditos singulariter excitet. Quæ est ergo ratio famuli ad Dominum in electivo, quæ vero filii ad patrem in successivo Principatu quodammodo repræsentatur. Nam famulus domino exhibere suam quidem servitutem debet: attamen ut huic potius domino, quam alteri serviat, ab ipsa natura non habet: filius autem ut suum patrem revereatur, naturali sibi indita subjectione cogitur. In electivo, & successivo Principatu secundum quamdam rationem idem contingit. Nam in illo subditi ex sui natura huic potius, quam illi subjecti non sunt, sed ut huic potius fiant subjecti, quam alteri, ab electione pendet: in isto autem certi cujusdam Principis jurisdictioni naturaliter subjiciuntur absque ulla mutatione, quæ ab electione pendeat. Quapropter si ex sui natura major est charitas filiorum erga parentes, quam famulorum erga Dominos, major quoque esse debet subditorum erga Principem in successivo Principatu, quam in electivo. Ipsa deinde stirps regia venerationem quamdam benevolentiæ amorisque plenam per se sibi conciliat, propter quam sane fit, ut a subditis Principatus magis diligatur. Ex his autem omnibus satis perspectum arbitramur, Monarchicum regimen successivum electivo præferendum esse.

§. VI. Quamvis Monarchicum regimen Aristocratico, & Democratico, Aristocraticum Democratico, & Monarchicum successivum electivo, præemineant, si ea ex sui natura spectentur; tamen illorum omnium habita ratione, quæ cum his regiminibus conjungi possunt, contrarium quandoque contingere potest.

Nemo

Nemo non novit accidere posse, ut in Aristocratico, & Democratico regimine cuncta ordinate fiant, & prout eorum natura postulat, non autem in Monarchico: item cuncta in Democratico regimine ita esse disposita, ut nihil in his habeatur, quod veræ rectæque rationi hujusmodi regiminis adversetur, contra vero contingat in Aristocratico regimine: tandem Monarchico regimini successivo, non autem electivo, multa eorum deesse, quæ ad bonum commune juxta rectam rationem requiruntur. Hoc si eveniat, tunc singula regimina non solum amittere id perfectionis, quod supra alia regimina habeant, sed etiam iisdem deterioris conditionis evadere, nemo non videt.

LIBER XXIX.

DE SPIRITU LEGUM CIVILIUM.

De spiritu legum non multo ab hinc tempore nuperus quidem Auctor (1) multa disseruit: nihil tamen ille minus in suo toto Opere attigit, quam spiritum legum. Semel ac enim de rei alicujus, ut ita loquar, spiritu agamus, interius exteriusque eam perscrutari debemus. Hoc autem tunc potissimum facimus, quando in originem, effectus, & finem illius inquirimus. Unde spiritus legum nobis esse compertus nullo modo potest, si in illarum originis ignoratione versemur, si tum effectus, tum finem non noverimus. De origine civilium legum ne verbum quidem citatus Auctor habet. Quid autem ad ipsas leges consequi debeat, non investigat; sed ex nationum moribus, atque consuetudinibus plerumque confirmat, quæ ipse præcepta legum, diversorum regiminum habita ratione, falso constituit: quasi vero non præceptis legum informandi sint hominum mores, aut corrigendæ pravæ consuetudines, sed tum pravæ consuetudines apud aliquas nationes receptæ, tum mores quorumdam populorum, quicumque tandem ii sint, canones legum constituendarum esse possent. De fine autem illo dum disserit, quem in hujusmodi operis elucubratione sibi proposuisse affirmat, nullum dubitandi locum relinquit, finem civilium legum ad commoda hujus vitæ ita ab eo referri, ut nullam rationem religionis haberi velit. Postquam enim in tanto Opere conficiendo 20. annos sese insumpsisse dixit, omnium mortalium felicissimum se habiturum affirmat, si illud labore hoc suo consequatur, ut ex eo omnes nova argumenta habeant amandi suas obligationes, suum Principem, suam patriam, suas leges, ita ut in qualibet regione, sub quovis regimine, ubicumque locorum degunt, gaudere, lætarique possint. Sive Athei

(1) Montesquieu, qui edidit Opus inscriptum: *De l'Esprit des Loix* distributum in 31. libros, quorum singuli continent plura capita.

Athei ergo sint, sive Deistæ, sive Ethnici, sive Mahumethani, sive hos, aut illos contra veram religionem sequantur errores, sive tandem veram religionem profiteantur, æque omnes felices sua institutione legum reddere cupit, ita ut ubicumque locorum degant, suas obligationes ament, quævis tandem eæ sint, suum Principem, quodvis ab illo præcipiatur, suam patriam, cujusvis generis sint mores illius, suas leges, vel rectæ rationi illæ consentiant, vel non consentiant, ad veram religionem sint accomodatæ, vel non sint (1). Hujusmodi autem finis esse potest tantum illius, qui indifferentissimum, latitudinariusmumque profitetur, nihilque de vera religione curat. In tanta autem perversitate erroris hunc Auctorem versatum fuisse, magis perspectum fiet, si alterius Operis illius ratio habeatur, in quo id probandum sibi proposuit, idololatriam majoris partis Ethnicorum æterna damnatione non puniendam existimari posse (2). Non me latet, nec latere neminem potest, Auctorem *spiritus legum* non minus a Spinosismo, quam a Deismo sese purgare conatum fuisse par. 1. suæ defensionis §. 2., multaque in medium protulisse, quæ in suo Opere *De Spiritu legum* ipse habet ad adstruendam necessitatem Divinæ Revelationis. Hæc omnia a me nunc expendi non oportere arbitror: neque enim id paucis præstari potest, ut inde perspectum fiat, utrum omnem Deismi suspicionem ab illo amoveant, præcipue vero si aliorum multorum ratio habeatur, quæ in toto suo Opere sparsa, atque etiam inculcata habet. Hoc unum tantum dicam, Indifferentistam ea omnia illi facile daturum esse, quæ in sui purgationem a Deismo in medium adducit. Neque enim contendit Indifferentista, esse omnes religiones ejusdem perfectionis, atque dignitatis, sed cunctos æternam salutem consequi posse, quamcumque tandem ii religionem sequantur, hoc vero est, quod contendit. Iis autem in locis, quæ ex Opere *Spiritus legum*

Mm 2 in

(1) Vide quæ hanc in rem ex eodem Auctore in medium adduximus lib. 1. cap. 2. §. 9. (2) Vide elogium hujus Operis factum ab Alemberto, & præfixum Operi: *De Spiritu legum* in edit. Amstelodamensi an. 1770.

in sui defensionem depromit, id unum præfertur, plus perfe-ctionis in Christiana Religione, quam in aliis inesse, non vero illius professione tantum fieri posse, ut quis salutem æternam consequatur. Nos ergo ut certo ordine hac tota in re procedamus, præmittamusque illa, quibus præcitati Auctoris absurda multa quoad istud doctrinæ caput de civilibus legibus refelluntur, in 1. hujus libri capite de origine legum civilium disputabimus, in 2. de earum fine, in 3. de effectu, in 4. de ipsa politica ratione civilium legum, in 5. 6. & 7. de ipsa politia regiminis Democratici, Aristocratici, & Monarchici.

CAPUT I.

DE ORIGINE CIVILIS LEGIS.

§. I. JUS legislativum in Principibus a Deo est, uti naturæ auctore.

Jus legislativum cum ea Suprema publica Potestate, qua gentes, & populi gubernantur, necessario conjungitur: nam Princeps, lege lata, iisdem indicat oportet, quod ab eis servari voluerit: at Suprema publica Potestas in Principibus a Deo est, uti auctore naturæ (1): igitur a Deo esse debet etiam illud jus legislativum, quo Principes potiuntur.

§. II. Hoc jus legis naturæ principiis innixum est.

Hoc jus in eo consistit, ut Princeps, dum illo utitur, præcipiat, vel prohibeat, quod ad rectum regimen gentium sibi subditarum magis accomodatum esse judicaverit: huic autem recto regimini aliorum nihil accomodatum esse potest, si suum in lege naturæ fundamentum non habeat. Semel ac enim agatur de iis, quæ non sunt supra naturalem ordinem, cujusmodi est tum istud regimen, tum ea omnia, quæ sub ipso cadunt, regula illorum a legis naturæ præceptis peti debet, quum præter ista in ipso naturali ordine nulla alia habeamus. Est ergo innixum principiis legis naturæ jus illud legislativum, quo Principes potiuntur.

§. III. In lege civili magis explicate ea legis naturæ præcepta

(1) Lib. 27. cap. ult. §. 1. & seq.

cepta traduntur, quæ spectant ad commune bonum societatis.

Etiam illa, quæ spectant ad commune bonum societatis, in lege naturæ tradita habemus; verumtamen universe, atque generatim, quum magis consulendum esse communi bono, quam privato, a lege naturæ præceptum sit, non vero ab ea distincte explicetur, quo id tandem modo peragi debeat, eorum omnium habita ratione, quæ in hoc toto negotio pro diversitate temporum, locorum, atque personarum, animadverti debent. Hoc ergo est, quod legislativæ illi jurisdictioni subest, qua Princeps ex Divina institutione potitur. Nam ea sane illi non datur, ut constituere possit, quæ bono communi adversantur, sed ut talia præcipiat, quæ, iis omnibus expensis, ad quæ in exercitio hujusmodi jurisdictionis attendi debet, ad commune bonum magis conferre judicaverit. Id autem dum facit, illud universale præceptum legis naturæ de procurando magis communi, quam privato bono, quod ab ipsa lege naturæ proficiscitur, singillatim ad singularia capita reducit. In civili ergo lege magis explicate ea legis naturæ præcepta traduntur, quæ spectant ad commune bonum societatis.

§. IV. Lege civili magis inculcantur ea præcepta legis naturæ, quæ spectant ad commune bonum societatis.

Sanctio legum, etiam civilium, inniti quidem potest tum promissioni præmiorum, tum comminationi pœnarum, tamen in comminatione pœnarum, quæ sustinendæ sint ab iis, qui legem transgressi fuerint, est potissimum posita (1). Naturæ lege earum quoque actionum turpitudo cognoscitur, quæ contra bonum commune fiunt, easdem pœna dignas esse perspicitur, indeque animus aliqua ratione cruciatur: attamen hæc, vel illa pœna singularis luenda non indicitur ob hanc, vel illam actionem, quæ contra commune bonum commissa fuerit: indicitur autem lege civili, quum sanctio ejus, sicuti modo diximus, potissimum consistat in comminatione pœnarum. Tunc vero præcepta legis magis inculcari, quando ob transgressionem illorum certa, atque determinata pœna luenda conspicitur, nemo negaverit.

(1) Lib. 2. cap. 3. §. 1. & seqq., ac § 11. & seqq.

verit. Lege ergo civili magis inculcantur ea præcepta legis naturæ, quæ ſpectant ad commune bonum ſocietatis.

§. V. Origo legis civilis, ſi jus illius ferendæ ſpectemus, eſt a Deo naturæ auctore, ſi autem ad ejuſdem præcepta attendamus, a legis naturæ principiis.

Hæc duo in quavis lege attendi debent, ut vera ejus origo cognoſcatur, hoc eſt, & a quo ſit ipſum jus legislativum, & quænam ſint, & eſſe debeant principia, quæ, dum hujuſmodi jure utitur, legislator ſequatur oportet. Semel ac enim de hiſce duobus conſtat, eſt ſane perſpecta legis origo illa, de qua inquiritur. Jus legislativum in Principus a Deo eſſe, ſicut etiam hoc jus legis naturæ principiis inniti oportere, jam oſtendimus (1). Verum eſt igitur, originem legis civilis a Deo eſſe, uti auctore naturæ, ſi jus illius ferendæ attendamus, a principiis autem legis naturæ, ſi præcepta ejus ſpectemus.

CAPUT II.

DE FINE LEGIS CIVILIS.

§. I. Finis legis civilis eſt commune bonum politicum.

Nomine communis boni politici illud intelligimus, quod ad totam ſocietatem ſub uno regimine ſimul unitam refertur, ejuſque commoda reſpicit, habita proxime ratione vitæ præſentis (2). Eſt ergo civilium poteſtatum curare bonum illorum, qui ſibi ſubjiciuntur; neque enim in perniciem, & deſtructionem eorumdem, ſed in commodum, atque utilitatem poſitæ ſunt: illud autem ſua legislatione potiſſimum præſtare debent. Nam legislatio ſubditos omnes complectitur, ac propterea legislatio eſt illud medium, quo communi bono proſpicitur. Et re quidem vera ſi legislator communi bono non proſpiciat, nullus ſane reliquus erit, qui id præſtare poſſit. Nam ad procurandum commune bonum publica ſane poteſtas requiritur, cui nemo non ſit ſubjectus. Contra commune enim bonum & nihil a quoquam fieri debet, & omnes oportet ut agant, quod ad illud conducit. Hoc autem nunquam haberi poterit ſine

(1) Hujus cap. §. 1. & 2. (2) Vide lib. 16. cap. 1. §. 4.

sine suprema Potestate, quæ sub se omnes complectatur, omnibusque interdicat, quæ communi bono contraria sunt, præcipiat autem, quæ ad illud conducunt. Finis ergo civilis legis est commune politicum bonum.

§. II. Hujusmodi politicum bonum tale esse debet, ut conforme sit principiis legis naturæ.

Origo legis civilis, si ad præcepta ejus attendamus, a principiis legis naturæ repeti debet (1): finem ergo præceptorum illius legis naturæ principiis conformem esse oportet. Verum igitur commune bonum illud nullo modo erit, quod non est conforme legis naturæ principiis, sed imaginem tantum quamdam inanem, atque falsam boni communis habebit.

§. III. Politicum commune bonum, quod leges civiles intendunt, etiam Divinæ legi nobis manifestatæ in Divino verbo tum scripto, tum tradito, conforme sit oportet.

Lex contenta in Divino verbo tum scripto, tum tradito a Deo est, uti supernaturali auctore: Principes vero jus legislativæ potestatis a Deo auctore naturæ habent (2), suaque in legislatione principiis legis naturæ, quæ sunt quoque a Deo, uti auctore naturæ, semper insistant oportet (3). Sibi autem non esse conformia non possunt, quæ a Deo proficiscuntur, sive quatenus est naturæ auctor, sive quatenus est auctor supernaturalis, ab illo sint. Politicum ergo commune bonum, quod leges civiles intendunt, etiam Divinæ legi nobis manifestatæ in Divino verbo tum scripto, tum tradito, conforme sit oportet (4).

§. IV. Quia politicum commune bonum a lege civili præintentum finis quidem veram rationem habet, non tamen ultimi; ideo hujusmodi bonum procurari non potest cum aliquo præjudicio ultimi finis.

Quando dicitur, politicum bonum commune esse debere finem legum civilium, id ita accipi non potest, quasi legislator in ferendis legibus ultimo conquiescere possit in communi politico bono vitæ præsentis. Nam non secus, ac in aliis omni-

(1) Cap. præced. §. 5. (2) Cap. præced. §. 1. (3) Præced. §. (4) Vide lib. 16. cap. 2. §. 5.

omnibus, etiam in ipsis finibus quidam ordo attendatur oportet. Sunt enim aliqui inter eos, qui per se non intenduntur, sed propter alios, ad quos referri debent, quemadmodum etiam ex ipsa nostra quotidiana agendi ratione compertum habemus. Omnium vero finium unus aliquis ultimus esse debet, ad quem cuncti alii referantur, alioquin nunquam conquiescere possemus. Ultimi autem finis non posse habere rationem neque commune politicum bonum, neque rem aliquam creatam, non solum ex Sacris Litteris perspectum habemus, sed etiam ex ipsa ratione novimus, qua conscii sumus, hujusmodi rebus non expleri capacitatem nostram, ac proptcrea in iis ultimo non posse conquiescere. Finis ergo ultimus consistit in eo bono, quod in altera vita, si nunc egerimus, prout debemus, assequemur. Huic ergo ultimo fini nihil eorum, quibus politicum commune bonum procuratur, aliquo modo adversetur oportet. Nam est contra ipsam rationem eorum, quæ ad aliquem finem referuntur, eidem ultimo fini aliquo modo adversari. Quia ergo commune politicum bonum a lege civili præintentum finis quidem rationem habet, non tamen ultimi; ideo hujusmodi bonum procurari non potest cum aliquo præjudicio ultimi finis (1).

CAPUT III.

DE EFFECTU LEGIS CIVILIS.

§. I. Legis civilis non est, omnia vitia cohibere.

Lex civilis fertur pro multitudine hominum, eaque sibi propositum habet bonum commune politicum, non vero bonum singulorum (2): ea ergo hujusmodi lege prohiberi debent, a quibus etiam multitudo hominum sese abstinere haud difficile contingat, & si se non abstineat, communi politico bono præjudicium afferatur: non omnia ergo vitia lex civilis cohibere debet, sed ea præcipue, quæ tendunt in detrimentum communis politici boni. " Lex ponitur (inquit S. Tho-
" mas 1. 2. qu. 96. art. 2.) ut quædam regula, vel mensura
" huma-

(1) Vide lib. 1. cap. 2. §. 6. & seqq. (2) Cap. præced. §. 1.

„ humanorum actuum . Mensura autem debet esse homogenea mensurato ..... Lex autem humana ponitur multitudini hominum non perfectorum virtute . Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere, & præcipue, quæ sunt in nocumentum aliorum , sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset “.

§. II. Neque est etiam civilis legis præcipere omnes actus virtutum .

Qua ratione non est proprium legis civilis omnia vitia cohibere , ad ipsam quoque non spectat præcipere omnes actus virtutum: nam cum prohibitione omnium vitiorum est simul conjuncta præceptio singularum virtutum. Legem deinde civilem institutam esse novimus ad comparandum commune bonum politicum: communis vero politici boni ratio exercitationem singularum virtutum non requirit in hominibus, sed nonnullarum tantum, sine quibus idem commune politicum bonum subsistere non potest. “ Non tamen de omnibus actibus „ omnium virtutum humana lex præcipit (ait S. Thomas 1. 2. „ qu. 96. art. 3.) sed solum de illis , qui ordinabiles sunt ad „ bonum commune, vel immediate, sicut quum aliqua directe „ propter bonum commune fiunt, vel mediate, sicut quum „ aliqua ordinantur a legislatore pertinentia ad bonam disci„ plinam, per quam cives informantur , ut commune bonum „ justitiæ, & pacis conservent “. Est igitur compertum non esse legis civilis præcipere omnes actus virtutum.

§. III. Effectus legis civilis est in iis potissimum reddere homines bene moratos , quæ ad commune politicum bonum conducunt.

Lex, sicut inquit S. Thomas 1. 2. qu. 92. art. 1. “ Nihil „ aliud est, quam dictamen rationis in præsidente , quo sub„ diti gubernantur “ . Quidquid autem a ratione procedit, non recte institutum esse non potest : semel ac ergo homines obtemperent legi, bene morati evadunt: est igitur generatim omnium legum facere homines bene moratos : quapropter

cujuscumque legis particularis est reddere illos quoad ea bene moratos, quæ respiciunt finem ab eadem particulari lege præintentum. Lex enim unaquæque singulariter iis prospicere debet, quæ ad suum finem conducunt. Finis legis civilis est commune politicum bonum (1): igitur ejus quoque esse debet, reddere bene moratos quoad ea cives, quæ spectant ad hujusmodi bonum commune. Neque enim vitiis, aut turpitudine actionum, sed quadam exercitatione virtutum publicum bonum promovetur.

§. IV. Non oportet, ut una eademque sit ratio cujuslibet legis civilis, qua cives bene morati quoad ea fiant, quæ ad commune bonum politicum conducunt.

„ Principia communia legis naturæ (inquit S. Thomas „ 1. 2. qu. 95. art. 2. ad 2.) non eodem modo applicari possunt omnibus propter multam varietatem rerum humanarum: & ex hoc provenit diversitas legis positivæ apud diversos". Quapropter prout diversa in nonnullis regionibus rerum humanarum conditio fuerit, politicum quoque commune bonum diversa ratione in iisdem procurandum est, civilibusque legibus efficiendum, ut in iis potissimum bene morati evadant homines, quæ singulariter utilia esse possunt communi illi politico bono, quod juxta conditionem rerum humanarum procurari debet.

CAPUT IV.

DE POLITICA RATIONE LEGUM CIVILIUM.

§. I. Perfecta politia civilis legis ad id tendere debet, ut membra suo capiti subjiciantur, ipsa inter se non discordent, unaque eorum omnium ad commune bonum conspiratio sit.

Pluribus exemplis hoc evincit (2) Ptolomæus Lucensis seu quisquis alius sit Auctor lib. 4. qui reperitur in S. Thomæ Opusc. 20.

(1) Cap. præced. §. 1. (2) Vide Rubei *Admonitionem prævium*, quæ Opusculo 20. S. Thomæ præmittitur in edit. Venetensi Operum S. Thomæ anni 1764.

Opusc. 20. *De Regimine Principum*; in eo siquidem lib. cap. 23. hic Auctor animadvertit politiam recte comparatam ab Aristotele fuisse cum naturali, atque organico corpore, in quo, si illud sit bene dispositum, nulla deordinatio motus datur in ejus partibus, sed motus singularum & a primo motu præcipuæ partis regitur, & est institutus non minus ad mutuam consociationem partium, quam ad bonum commune totius. Ita quoque politicum corpus tunc recte dispositum erit, si in eo partes quoad suos motus primo moventi subdantur, habeatur inter illas mutua consensio, omnesque simul tendant ad commune bonum totius. Hæc omnia profecto si in politico corpore habeantur, nihil ultra quoad politiam vitæ præsentis desiderandum superest. At perfecta politia legis civilis ad rectum regimen politici corporis comparata sit oportet: tendere ergo ad illud debet, ut membra suo capiti subjiciantur, ipsa inter se non discordent, unaque eorum omnium ad commune bonum conspiratio sit.

§. II. Ratio politici hominis alia esse debet, ac sit ratio hominis in se spectati.

„ Quum enim virtus (sicuti inquit S. Thomas in *Disputatis* qu. 2. *De Virtutibus Theologicis* art. 2.) sit quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit, manifestum „ est, quod secundum propriam virtutem homo ordinatur ad „ proprium bonum. Proprium autem bonum hominis oportet diversimode accipi, secundum quod homo diversimode „ accipitur. Nam proprium bonum hominis in quantum homo, est bonum rationis, eo quod homini esse, est rationale esse. Bonum autem hominis in quantum est artifex, est „ bonum artis; & sic etiam secundum quod est politicus, est „ bonum ejus bonum commune civitatis“. Quapropter sicut unius artificis ab altero institutio, agendi principium, curæ, labores, diversa esse debent, prout ars, quam ille, vel alter exercet, diversa fuerit: sicuti patrisfamilias, & filii, discipuli, & magistri, medici, atque jurisperiti, aliorumque omnium, qui præter id, quod est commune omnibus hominibus, aliquibus singularibus obligationibus propter sui conditionem

detinentur, diversa munera esse debent, atque ad ea recte obeunda peculiaris cognitio requiritur, & quarumdam virtutum exercitatio; est inde profecto consequens, ut etiam politici hominis diversa ratio esse debeat, ac hominis in se spectati, quia quatenus est politicus, boni communis cura singularis illi incumbit.

§. III. Hæc tota diversa ratio politici hominis in virtute posita esse debet.

„ Si autem homo, (inquit citato loco S. Thomas) in „ quantum admittitur ad participandum bonum alicujus civi„ tatis, efficitur civis illius civitatis, competunt ei virtutes „ quædam ad operandum ea, quæ sunt civium, & ad aman„ dum bonum civitatis". Quædam, inquam, virtutes competunt illi ad operandum ea, quæ sunt civium, & ad amandum bonum civitatis. Nam bonum proprium bono communi ab eo ne præferatur oportet, & illud etiam quandoque proprium bonum, quo nullum magis charum esse potest. Sine virtute autem commune bonum proprio non præfertur. Deinde ut politicus, sicuti debet, commune bonum revera diligat, non propria utilitate ducatur oportet, sed salute communi. „ Amare bonum alicujus civitatis (prosequitur S. Thomas) „ contingit dupliciter: uno modo ut habeatur, alio modo „ ut conservetur. Amare autem bonum alicujus civitatis, „ ut habeatur, & possideatur, non facit bonum politicum: „ quia sic etiam aliquis tyramnus amat bonum alicujus civi„ tatis, ut ei dominetur, quod est amare se ipsum magis, „ quam civitatem. Sibi enim hoc bonum concupiscit, non „ civitati. Sed amare bonum civitatis ut conservetur, & de„ fendatur, hoc vero est amare civitatem, quod bonum po„ liticum facit: in tantum quod aliqui propter bonum civi„ tatis conservandum, vel ampliandum se periculis mortis „ exponant, & negligant privatum bonum". Quare licet de utilitate boni communis singuli cives aliquando fiant participes, quia tamen sæpe etiam contingit, ut multi eorum omnino expertes sint, ac etiam omnes communem utilitatem cum detrimento propriæ tueri debeant; semel ac ex princi-

pio

pio virtutis, quæ sunt rectæ politiæ partes homo non exequatur, verus profecto politicus esse non potest. Nam, ut propria commoda, quæ tam vehementer expetimus, propter commune bonum vel non quæramus, vel etiam contemnamus, nonnisi præeunte, atque regente virtute, fit. Politici ergo hominis tota ratio in virtute posita sit oportet.

§. IV. Si omnium Politicorum tota ratio in virtute posita esse debet, eorum vel maxime sit oportet, qui ipsam politiam regunt, atque moderantur.

Hi sane supra alios politicos habent, ut totum ipsum commune bonum in sua manu quodammodo contineant. Ne ergo propria utilitate, cui cum detrimento communis facile prospicere possent, aliquo modo seducantur, sibi caveant oportet. Animum a muneribus omnino aversum habere debent, ne ad constituendum, quod obesset bono communi, aliquando inducantur: regulas æquitatis æqualiter cum omnibus servent oportet: propria commoda non expetant: otio non indulgeant, atque solatiis, sed iis tam multis invigilent, quæ curæ illorum commissa sunt, ac sibi quodammodo non amplius vivant, sed bono, & felicitati communi. Ad hæc omnia autem, multaque alia non minus necessaria, quæ modo commemoranda non sunt a nobis, singularem requiri virtutem, quis non videat? Si omnium ergo politicorum tota ratio in virtute posita esse debet, eorum vel maxime sit oportet, qui ipsam politiam regunt, atque moderantur.

§. V. Tum in electione eius finis, qui ad bonum commune præcipue conducit, tum in electione mediorum, quibus ille finis facilius, atque securius obtineatur, tum in amovendis omnibus, quæ ab hujusmodi fine averterent, aut talia media impedirent, positus est modus politicarum virtutum.

Ea politicarum virtutum institutio esse debet, ut iisdem communi bono consultum sit: ad hoc enim ipsæ sua natura tendunt. Communi autem bono tunc maxime consulitur, quando inter plures fines, qui ad illud conducere possunt, præ ceteris is eligitur, qui certius utiliusque conducat. Quia vero cum electione finis est quoque conjuncta electio mediorum,

rum, quæ ad assequutionem ejus ducant; ideo etiam quoad illa talis discretio habeatur oportet, ut præ ceteris magis opportuna seligantur.

Aliquando autem non minus præintento fini, quam exequutioni mediorum, aliqua opponuntur, quamvis & ille rectus, & ista etiam secundum virtutem opportuna sint. Quare ratio virtutum politicarum in eo quoque versari debet, ut per illas amoveantur non minus quæ averterent ab huiusmodi fine, quam quæ ab exequutione proportionatorum mediorum impedirent. Sicuti ergo dicebamus, nemo non videt, tum in electione ejus finis, qui ad bonum commune præcipue conducit, tum in electione mediorum, quibus ille finis facilius, atque securius obtinetur, tum in amovendis omnibus, quæ ab hujusmodi fine averterent, aut talia media impedirent, positum esse modum politicarum virtutum.

§. VI. A vera politia secundum omnem sui rationem abhorret, quod rectæ rationi, vel Divinæ legi quovis modo opponitur.

Politici etiam hominis tota diversa ratio, quam ipse habet super alios homines, in virtute posita esse debet (1): fieri autem non potest, immo omnino repugnat, ut sit illud in virtute positum, quod vel rectæ rationi, vel Divinæ legi adversatur: igitur a vera politia secundum omnem sui rationem abhorret, quod rectæ rationi, aut Divinæ legi quovis modo adversatur.

§. VII. Bonum commune, quod a Potitico intenditur; secundum se spectatum, ultimo bono consentaneum sit oportet.

„ Bonum (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 7.) principaliter est finis: nam ea, quæ sunt ad finem, non dicuntur bona nisi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex est finis, unus ultimus, & alius proximus; ita etiam est duplex bonum, unum quidem ultimum, & universale, & aliud proximum, & particulare. Ultimum quidem, & principale bonum hominis est Dei fruitio secundum illud Psal. 72. v. 27. „ *Mihi*

(1) Hujus cap. §. 3.

„ *Mihi adhærere Deo*, *bonum est*; & ad hoc ordinatur homo „ per charitatem “. Principale bonum esse positum in fruitione Dei, nullus sane negare auserit, sicuti etiam illud commune bonum, quod a politico intenditur, esse circumscriptum, finitum, atque singulare. Bona singularia, & finita multa sane esse possunt; at vero universale esse unum tantum debet, & ad illud omnia bona referantur oportet, alioquin non foret universale. “ Bonum autem secundarium (prosequitur S. Doctor) & quasi particulare hominis potest esse „ duplex: unum quidem, quod est vere bonum, utpote ordinabile, quantum est in se, ad principale bonum, quod „ est ultimus finis; aliud autem est bonum apparens, & non „ verum, quia abducit a finali bono “. Illud ergo bonum, quod intendit politicus, vel illius generis necesse est esse, ut in se spectatum ad ultimum bonum referri possit, vel ejus generis, ut solum habeat falsam quamdam imaginem bonitatis, & ab ultimo bono abducat. Jam vero ab ipsis principiis etiam in nostra ratione insculptis omnino convincimur, illud nos semper bonum consectari debere, quod in se spectatum revera bonum est, non quod habet falsam imaginem bonitatis, eique virtuti nos inhærere oportere, quæ, si in se consideretur, est vera virtus, & falsam solummodo umbram virtutis non præsefert. Ab hoc enim genere virtutis proficiscitur bonum apparens. “ Sed si illud particulare bonum (pergit S. Doctor) non „ sit verum bonum, sed apparens; virtus etiam, quæ est in or„ dine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitu„ do virtutis: sicuti non est vera virtus avarorum prudentia, „ qua excogitant diversa genera lucrorum, & avarorum justi„ tia, qua graviorum malorum metu contemnunt aliena, „ & avarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ sumptuosa est, „ cohibent appetitum ... Si vero illud bonum particulare sit „ verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hu„ jusmodi erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi refe„ ratur ad finale, & perfectum bonum “. Commune ergo bonum, quod in se spectatum, ultimo bono consentaneum non sit, neque etiam imperfectæ virtutis rationem habebit: unde-

quaque

quaque ergo turpe erit. Quod autem turpe est in nullo negotio sine turpitudine quæritur. Commune ergo bonum, quod a Politico intenditur, secundum se spectatum ultimo bono consentaneum sit oportet.

§. VIII. Si bonum commune, secundum se spectatum, ultimo bono adversetur, veram communis boni rationem habere non potest.

Veram communis boni rationem in eo inesse, quod humanæ naturæ adversatur, omnino repugnat. Ratione profecto homo distinguitur a brutis, ac sibi propriam speciem habet. „ Et ideo (sicuti inquit S. Thomas 1. 2. qu. 71. art. 2,) id, „ quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo: quod autem est secundum rationem, est secundum naturam hominis, in quantum est homo ... Unde virtus humana, quæ hominem facit „ bonum, & opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundum naturam hominis, in quantum convenit rationi: vitium autem in tantum est contra naturam hominis, in quantum est contra ordinem rationis ". Esse autem id secundum rationem non potest, quod in se spectatum ultimo bono adversatur. Ultimum enim bonum, ad quod omnia cetera bona referri debent, vult recta ratio, ut potissimum intendatur. Contra eam ergo id omne est, quod ultimo bono opponitur. Sed quod est contra rationem, est etiam simul contra humanam naturam: igitur bonum commune societatis, quod ultimo bono opponitur, veram communis boni rationem habere non potest, nisi dicere velimus, commune bonum iis quoque promoveri posse, quæ sunt contra humanam naturam.

Quapropter sicuti quis omnino falso contenderet, privatum bonum hominum in eo positum esse posse, quod communi bono societatis opponitur, & rectæ rationi adversatur; ita quoque cum non minori falsitate tueretur, commune bonum societatis versari in eo posse, quod ultimo bono contrarium foret, & rectæ rationi repugnaret. Eo vel maxime, quia inter commune bonum societatis, & ultimum bonum maior procul dubio connexio intercedit, quam inter privatum bonum, & com-

& commune bonum societatis. Nam cum communi bono societatis omne privatum bonum ex sui natura non est necessario colligatum; at cum ultimo bono, ex eo quod illud sit ultimum, nullum bonum non esse connexum debet.

§. IX. In communi bono procurando non quævis utilitas habenda est præ oculis, sed ea tantum, quæ honestatem sibi conjunctam habet.

Totus sane ordo rectæ rationis pervertatur oportet, si dum de utilitate prosequenda agitur, id omne nos amplecti posse dicamus, quod cum aliquo nostro commodo conjungitur, quodcumque tandem illud sit. Debitori æs alienum non solvere, mercatori uti fraudibus, furi aliena rapere, utile est. Nam licet hujusmodi homines ob id gravius damnum quandoque patiantur, quam fuerit utilitas semel percepta; semper tamen ad male agendum ipsa utilitate ducuntur. Velle ergo omnia propria utilitate indiscriminatim metiri, est profecto ad quævis scelera viam amplissimam aperire. Quod ergo utile est, in quocumque negotio consectari possumus; attamen si illud cum honestate conjunctum, si rectæ rationi consentaneum sit, si nullam cum humana natura contrarietatem habeat. Id autem a nobis præstandum est, non solum quando de privato, sed etiam quando de communi bono procurando agimus. Huic enim dum incumbimus, neque contemnere regulas rectæ rationis, neque a principiis honestatis deviare, neque exuere naturam rationalem possumus. Utilitas ergo illa, quæ intenditur in procurando bono communi, regulis honestatis semper conformis esse debet.

§. X. Ea Politia in quovis regimine quoad leges illius valde utile est, ut servetur, ne unquam mutentur eæ leges, quibus subsistit ratio ipsa regiminis, atque aliæ in locum illarum substituantur.

„ Lex optima fit perniciosa (quemadmodum Bodinus „ animadvertit lib. 4. *de Repub.* cap. 3.) si sua novitate cete„ rarum legum afferat contemptum: ipsa vero vetustatis spe„ cies tam chara cuique est, ut lex antiqua sine Magistratibus „ se ipsam tueri facile possit: legum vero novitas vix ulla

„ præmiorum spe, aut metu pœnarum, aut magistratuum „ officiis consistere potest. Quo fit, ut ea, quæ putatur novæ „ legis utilitas, non tanta sit, quanta sunt incommoda, quæ „ ex unius, aut omnium legum contemptu profectura sunt. „ In summa nihil fere exitu perniciosius est legum novitate, „ si de statu reipublicæ quæratur. Atque hæc ratio magni „ ponderis semper visa mihi est: eoque majus periculum im„ minet, si leges, quibus stat respublica, mutari, aut mo„ veri contigerit. Nam leges, quæ servitutum, ac testamen„ torum jura continent, quæque de rebus rationibusque con„ trahendis feruntur, interdum mutari convenit, ut melio„ ribus locus sit: sed qui leges, quæ ad statum reipublicæ „ pertinent, mutare, salva republica, conatur; perinde facit, „ ac qui ædium altissimarum substructiones, & fundamenta „ renovare se posse putant, salvis ædibus, quæ nisi ruant, „ plus tamen ipsa concussio domus incommodi, quam nova „ materia utilitatis est allatura". Hac eadem de re ita præclare habet S. Thomas 1. 2. qu. 97. art. 2. "Lex humana (in„ quit) intantum recte mutatur, inquantum per ejus muta„ tionem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa „ legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam „ communis salutis: quia ad observantiam legum plurimum „ valet consuetudo, intantum, quæ contra communem con„ suetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora vi„ dentur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constri„ ctiva legis, inquantum tollitur consuetudo. Et ideo nun„ quam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantum „ recompensetur communi saluti, quantum ex ipsa parte de„ rogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc quod aliqua „ maxima, & evidentissima utilitas ex novo statuto provenit; „ vel ex eo quod est maxima necessitas, ex eo quod lex con„ sueta aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus obser„ vatio est plurimum nociva". Dubitari ergo non potest, quin valde utile sit, ut ea politia in quovis regimine quoad leges illius servetur, ne unquam mutentur eæ leges, quibus subsistit ratio ipsa regiminis, atque aliæ in locum earum substituantur.

CA-

CAPUT V.

DE POLITIA DEMOCRATICI REGIMINIS.

§. I. IN Democratico regimine ea esse debet singularis ratio politiæ, ut etiam apud populum virtus in pretio sit.

Auctor *Spiritus Legum* lib.2. sui Operis dum agere instituit de legibus, naturæ diversorum regiminum habita ratione, cap.1. tres regiminis diversas species distinguit, hoc est, regimen commune multis, aut omnibus, Monarchicum, & Despoticum. Primam speciem regiminis vel Aristocraticam, vel Democraticam esse posse, recte dicit. Alteram vero a tertia in eo distingui affirmat, ut in Monarchico regimine unus præsit omnibus, verum secundum certas, determinatasque leges; in Despotico etiam unus quidem præsit omnibus, at absque ulla certa lege, atque regula, omniaque juxta suam voluntatem peragat. Verum hoc genus regiminis in tyramnum solummodo cadere potest. Quare & de hujus politia regiminis nos nihil dicemus (neque enim verum regimen dici illud debet, sed alios opprimentis injusta dominatio) & non confutabimus, quamvis absurda ea sint, quæ Auctor *Spiritus Legum* de ejusdem administrandi ratione tradit. Politia ergo Democratici, Aristocratici, & Monarchici regiminis expendetur a nobis, ostendemusque in multis quoad eam peccare eumdem Auctorem. Modo quod proposuimus,

Illud quidem nunc non inficiamur, unicuique regimini valde utile esse, ut etiam apud populum virtus in pretio sit, plebsque ipsa studeat exercitationi virtutum, atque earum dignitatem noverit. Hoc tamen esse in regimine Democratico singulari quadam ratione necessarium inde contendimus, quia in manu populi posita est legislativa potestas, sunt posita graviora munera reipublicæ. Quare si apud populum virtus in pretio fuerit, ut tales ab eo leges prodeant, quæ communi bono valde utiles futuræ sint, quadam certa spe duci possumus; at vero si alienum ille animum a virtute gerat, & ne pretium quidem ejus noverit, non est sane, cur quidquam salutare

in commune reipublicæ bonum ab eo proditurum sperare possimus. Nam si omnium politicorum tota ratio in virtute posita esse debet, eorum vel maxime posita sit oportet, qui ipsam politiam regunt, atque moderantur (1). Democratici ergo regiminis ea esse debet singularis ratio politiæ, ut etiam apud populum virtus in pretio sit.

§. II. In Democratico regimine ratio singularis Politiæ in eo quoque ponenda est, ut munera reipublicæ provectioribus ætate plerumque committantur.

Si absolute loquamur, valde expediens est cuicumque regimini, ut ætate provectiores reipublicæ munera gerant. Hac enim in ætate homines majori maturitate judicii pollere solent. Attamen si naturam conditionemque ipsius Democratici regiminis spectemus, ut in eo reipublicæ munera ætate provectioribus conferantur, singularem quamdam utilitatem habet. Nam est in Democratia constitutum, ut non minus a populo, quam e populo eligantur, qui reipublicæ tenere gubernacula debent. E populo autem homines quum studio litterarum dare operam non consueverint, aliundeque etiam desit eis, unde politiores fiant, si quid unquam ad reipublicæ munera perfectius obeunda sibi comparare possunt, habent sane ab ipsa experientia, qua multa didicisse possunt. Si autem sint ætatis provectioris, exempla multorum, qui rempublicam bene administrarunt, dum hanc, vel illam rationem in suo munere sequuti fuere, ob eorum oculos obversantur, multa ex sermone aliorum novisse possunt, plura ob ipsius ætatis gravitatem per se assequi, quæ in alia ætate assequuti non fuissent, tandem subvenire, saltem aliqua ratione, defectui cognitionis ea majori judicii maturitate, quæ cum hujusmodi ætate facile conjungitur. In Democratico ergo regimine ratio singularis politiæ in eo quoque poni debet, ut munera reipublicæ ætate provectioribus solummodo committantur.

§. III. Etiam Politiæ Democratici regiminis noxium est, ut sorte extrahantur, qui reipublicæ munera gerere debent.

Auctor *Spiritus Legum* lib. 2. cap. 2. affirmat, proprium esse

(1) Hujus lib. cap. 4. §. 4.

esse Democratici regiminis, ut in eo, adhibita sorte, illi eligantur, quibus munera reipublicæ committuntur. Falso id quidem; atque sibi contradicens affirmat. Primum de contradictione videamus. Eodem in capite, quamvis prorsus falso (1), ab eo traditur, populum in electione eorum, quibus committit aliquam partem suæ auctoritatis, singulari perspicacitate præditum esse, ipsaque experientia recte institutum. Semel ac autem populus id habeat, pugnat sane, proprium esse Democratici regiminis, ut in eo electiones ad publica munera sorte fiant. Illæ enim electiones, quæ sorte fiunt, vel supra bonos, vel supra malos æque cadere possunt, non vero idem existimandum est de aliis, quæ habentur ex suffragio eorum, qui & singulari perspicacitate præditi sunt, & ab ipsa experientia rerum in hoc recte instituti. Si ergo admittatur, sicut Auctor *Spiritus Legum* revera admittit, immo tuetur, hoc utrumque in populo esse, electiones ad publica munera sorte factæ non sunt secundum politiam Democratici regiminis.

Deinde idem Auctor agnoscit, atque confitetur, in electionibus sorte factis plurimum defectus ex sui natura inesse; & hac de causa oportuisse, ut sagacitate legislatorum nonnulla constituerentur, quibus hujusmodi defectibus aliqua ratione prospectum esset. Per se autem alicui regimini, quodcumque tandem illud sit, convenire id, quod pluribus defectibus obnoxium est, nemo unquam dixerit, multoque minus cum sui contradictione id affirmaverit, semel ac concesserit, sicut Auctor noster facit, electiones sorte factas multis defectibus obnoxias ex sui natura esse.

Sicut autem bono cujusvis alterius regiminis, ita etiam Democratici opponitur, ut electiones ad publica munera reipublicæ sorte fiant. Quandoquidem oportet, ut ille, cui committitur aliquod munus, certam quamdam singularemque proportionem cum eo habeat: nam unus ad unius, alter ad alterius muneris partes recte obeundas plerumque idoneus est, valdeque pauci inveniuntur, qui diversorum officia munerum recte

(1) Lib. 28. cap. 1. §. 3.

recte obire valeant. Hæc vero proportio, quæ sit inter munus, & personam, cui illud committitur, casui omnino relinquitur in electionibus sorte factis, atque illud etiam accedit, in eis non solum fortunæ relinqui, ut minus apti ad hoc, vel illud munus eligantur, huic, aut illi muneri præficiantur, sed etiam qui sunt indignores aliis, immo indignissimi omnium. Huic autem defectui ceterorum sane gravissimo quamvis prospiciatur, semel ac electio fortuita supra viros probos solummodo cadere possit; priori tamen nunquam consultum erit. Nam etiam viri probi ad quævis reipublicæ munera gerenda idonei non sunt.

Etiam in electionibus, quæ per suffragia fiunt, ob plurimas causas, quas hìc commemorare necesse non est, quandoque contingit, ut munera reipublicæ demandentur iis, quibus ceteri omnes anteferri deberent, aut aliis, qui licet non ad cetera, ad ea tamen, quæ iisdem committuntur, minus idonei sunt: attamen si de electionibus per suffragia factis loquamur, suus semper esse potest, immo debet, in eis rectæ discretioni locus, in illis vero electionibus, quæ pendent a sorte, & nullus datur rectæ discretioni locus, & ut in iis sit, lex nulla præcipit, atque constituit. " Quanto indigniores (sicuti Arnisæus animadvertit lib. 2. *de Republ.* cap. 5. sect. 4. num. 30.) " depromet sors, & per imperitiam unius Magistratus perniciem sæpe accerset toti reipublicæ? Nec enim ea felicitas " facile cuiquam contigit, qua Lucullum, scribit Cicero, " quum exercitus nunquam duxisset, in castris versando bonum evasisse Imperatorem, *nec ubi sæva coorta tempestas est*, " *ac turbato mari, rapitur vento navis, cui vix tuto committi* " *potest*, ut ait Fabius apud Livium lib. 24. ". Est ergo manifestum etiam politiæ Democratici regiminis noxium esse, ut sorte extrahantur, qui reipublicæ munera gerere debent.

§. IV. Æmulatio unius contra alterum, vel plurimorum contra multos certandi libido, sicut aliis regiminibus, ita etiam Democratico, noxia est.

De aliis regiminibus id concedit Auctor *Spiritus Legum* in citato capite, negat autem de regimine Democratico. Est tamen hac de re idem semper judicium ferendum, ad quodvis tandem

tandem regimen respiciatur. Salus enim omnium regiminum in unione eorum, qui communi bono advigilare debent, potissimum consistit, & semel ac de negotiis reipublicæ una simul agunt, inter se non conveniant, sed Optimates in Aristocratia, populus in Democratia contra se invicem certent, hæc regimina sensim dissolvantur oportet, sicuti sæpe usuvenisse videmus. Et re quidem vera dum multi reipublicæ præsunt, ideo simul aliquando congregantur, ut & videant, quod reipublicæ expedit, & quod expedire viderint, communi deliberatione constituant. Si vero inter se dissentiant, & quadam insana certandi libidine ducantur; tunc sane neque in consultatione, neque in deliberatione eorum, quæ ad commune bonum spectant, inter se convenire poterunt, atque interea respublica, quæ indiget salutari remedio ad ea mala propellenda, quæ sibi imminent, in aperto discrimine versabitur, atque ad destructionem sui properabit. Æmulatione ergo non minus quodvis aliud regimen, quam Democraticum omnino dissolvitur.

Quamvis ergo eidem Auctori demus, tunc ad sui interitum properare Democratiam, quando populus sua fit in auctoritate, atque potestate venalis, & pecuniæ cupiditate mancipatus ulla sine contradictione inservit voluntati aliorum, neque est amplius de utilitate reipublicæ sollicitus; tamen ex hoc non consequitur, sicuti vellet idem Auctor, æmulationem, certandique libidinem esse Democratiæ necessariam, ut diutius consistere possit. Hac enim ipse ratione uni malo consultum vellet altero æque gravi, quod etiam eadem ratione, ac illud, ad Democratiæ destructionem tenderet.

CAPUT VI.

DE POLITIA ARISTOCRATICI REGIMINIS.

§. I. IN Aristocratico regimine singularis Politia in eo servari debet, ut cujuslibet Optimatis, si publica munera non gerat, eadem, ac ceterorum, in rebus politiam communem spectantibus, ratio habeatur.

In

In Ariſtocratico regimine ea quidem Optimatum conditio eſt, ut ſimul uniti totum regimen in manu ſua teneant; tamen ipſi quoque accepti diviſim, ſi nullam publicam præfe-ꝺturam ſibi demandatam habeant, æque, ac alii omnes, ſicuti quædam privatæ perſonæ haberi debent, & cum aliis civibus computari. Æquitati autem repugnat, ut quorum una conditio eſt, eadem quoque ratio non habeatur. Quum igitur ſint ejuſdem conditionis tum Optimates, tum alii omnes, ſi ad vitam privatam attendamus; ut cujuslibet Optimatis, ſi publica munera non gerat, eadem, ac ceterorum ratio habeatur, ſingularis Politia eſſe debet Ariſtocratici regiminis. Singularis, inquam, Politia Ariſtocratici regiminis eſſe debet, quia nimis facile eſt, ut iis, qui uniti cum aliis habent aliquam partem regiminis, immo cum eiſdem totum regimen componunt, etiam quatenus ſunt perſonæ privatæ, plus deferatur in rebus quoque ad communem politiam ſpectantibus, quam aliis civibus, aut ipſi ſibi tribuant, quod ſupra alios non deberent.

§. II. In Ariſtocratico regimine ea quoque ſingularis Politia valde utiliter ſervatur, ut penes aliquem Magiſtratum paucorum Optimatum ſit quædam ſuprema poteſtas ad omnes quoſcumque cives, etiam Ariſtocratici ordinis, in officio continendos, prout utilitas boni communis exegerit.

Hoc quoque in regimine nonnulla quandoque occurrunt, quibus ut conſulatur, quamdam ſupremam poteſtatem ipſum quoque commune bonum requirit. Valde enim intereſt boni communis, ut quibuſdam, quæ in detrimentum ejus vergerent, quadam auctoritate ita proſpiciatur, ut quod ab ea decretum ſtatutumque fuerit, ultimi judicii rationem habeat, & amplius non ſit aliorum ſententiæ ſubjectum. Tunc enim locus juſtitiæ exercendæ abſque ulla differentia perſonarum liberius patet, cunctis timor facilius incutitur, & multis malis ſecurius proſpicitur, atque iis potiſſimum, quæ graviora ſunt, quorumque judicium ſi ex uno ad aliud tribunal deferri poſſet, occulte ſaltem aliquo intervallo temporis in republica ſerperent. Conſtitutio deinde Ariſtocratici regiminis ea eſt, ut non ſolum conſultationis, ſed etiam exequutionis habita ratione,

tione, reipublicæ negotia transigantur opera plurimorum. Dum vero id servatur, plerumque contingit, ut illa non expediantur ea celeritate, quæ ad commune bonum requireretur. Unde ut hic Magistratus, de quo nunc loquimur, sit penes paucos, nonnisi utile esse potest. Ut ergo hujusmodi Magistratus sit in Aristocratico regimine, ad utilitatem ejus exigit Politia singularis. Solummodo autem cura negotiorum graviorum, quæ ipsum commune bonum proxime respiciunt, hujusmodi Magistratui committi convenit, ut respondeant illi supremæ jurisdictioni, cui reservantur.

Neque ob hujusmodi Magistratum quidquam de ea Politia detrahitur, quæ Aristocratici regiminis propria esse debet, atque ob eam penes omnes Optimates simul unitos supremum regimen sit oportet. Nam ab Optimatibus sane eligendi sunt, qui hujusmodi Magistratum gerant, neque iidem semper illud gerere debent, sed qui ab Optimatibus electi fuerint ad magis, vel minus diuturnum tempus, prout ipsius reipublicæ conditio exegerit.

§. III. Regiminis Aristocratici ea est Politia valde salutaris, ut nonnulla reipublicæ munera committantur etiam illis, qui in censum Optimatum non veniunt.

Cujuscumque regiminis ea est Politia valde salutaris, ut in illo cuncta, quantum fieri potest, disposita sint ad fovendam communem pacem, atque concordiam inter omnes cives. Singulariter autem in regimine Aristocratico communem pacem, atque concordiam foveri, semel ac in distributione munerum etiam eorum aliqua ratio habeatur, qui in censum Optimatum non veniunt, inde constat, quia Optimatum est publica munera distribuere. Si ergo illa inter se tantum distribuant, in aliquam offensionem ceterorum procul dubio veniunt, qui reipublicæ oneribus obnoxii quidem essent, de utilitate autem ejus nullo modo singulariter participarent. Nihil autem animum aliorum contra alios magis commovet, quam ipsum lucrum, præcipue si ab eo sibi comparando nonnulli omnino excludantur. Quapropter licet ea munera, quæ sunt præstantioris dignitatis, quam maxime

conveniat, ut Optimates inter se distribuant; tamen nonnulla alia, quæ sunt minoris momenti, & ipsum regimen proxime non attingunt, ipsa Politia Aristocratici regiminis postulare videtur, ut saltem quandoque demandentur etiam aliis, qui computandi non sunt inter Optimates.

In hoc etiam Auctorem *Spiritus Legum* nobis consentientem habemus: tamen postquam ille affirmavit, regimini Aristocratico utile esse, ut aliqua indirecta ratione populus extrahatur ab eo despectu, in quo est, id quoque tradit, meliorem Aristocratiam eam esse, in qua populus nihil potest, estque tam parvus, atque pauper, ut Optimates ad eum opprimendum nulla ratione excitari possint (1). Esse eam Aristocratiam meliorem ceteris, in qua populus quoad ipsum reipublicæ regimen nihil possit, ei damus: semel ac enim id non habeatur, Aristocratia in Democratiam degenerat: non vero illam, in qua populus nihil possit tum ob sui paucitatem, tum ob miserias, in quibus versatur. Hoc enim si verum esset, illa Aristocratia supra ceteras præstaret, cujus regimen & minus late, & supra quosdam tantum homines miserabiliores extenderetur. Deinde quomodo illa Aristocratia melior ceteris esse potest, in qua populus in miseriis versatur, si, etiam ipso sentiente, Aristocratico regimini utile est, ut populus aliqua ratione, saltem indirecta, extrahatur ab eo contemptu, in quo manet. Nam propter paupertatem populum in quodam contemptu esse apud alios facile posse, nemo non videt. Nunquam vero Optimatum interest opprimere populum, sive sit ille numero exiguus, sive magnus, vel divitiis affluat, vel paupertate laboret: qualecumque enim ipsi habent, servare regimen debent, non vero oppressione subditorum minuere, aut perdere.

§. IV. Ad veram Politiam Aristocratici regiminis valde confert ab Optimatibus in sui collegium cooptari eos, qui in utilitatem reipublicæ suam operam præclare locarunt.

Hoc semel posito, illud statim consequitur, ut, data opportunitate, excitentur omnes ad suam operam in bonum reipu-

(1) Cit. lib. 2. cap. 2.

reipublicæ præclare locandam. Honoribus enim, atque dignitatibus, & sæpissime etiam plus, quam par esset, homines ducuntur, & semel ac aditum ad illas patere sibi posse vident, id præclare agere facile aggrediuntur, quo easdem consequi posse vident. Si ergo Aristocratico regimini valde salutare est, ut in eo sint, qui in reipublicæ bonum suam operam præclare locare contendant, illud quoque salutare esse debet, ab Optimatibus in sui collegium cooptari illos, qui id præstiterunt.
„ Quo fit (quemadmodum Bodinus *de Republ.* lib. 6. cap. 4.
„ observat) ut quum honorum, ac imperii aditus interclusus
„ sit nemini, præter quam ei, qui dignitatem suam, aut de-
„ cus turpitudine aliqua violarit, nullæ plebi cum Optimatibus
„ de honoribus, & imperio contentiones existere possint".

Nostra de hujusmodi cooptatione sententia etiam ab Auctore *Spiritus Legum* non improbatur: dicit ipse tamen, ad abusus fovendos nihil conducere magis, quam si penes Senatores sit jus cooptandi alios in suum collegium, semel ac illud diminutum fuerit. Id ergo auctoritatis Censoribus tribuendum contendit: suæ vero assertionis nullam rationem affert, sed in confirmationem ejus legem Romanorum in medium adducit, qua cautum erat, ut dignitas Senatoris a Censoribus conferretur (1). Verum ex hoc inferri non potest, ad fovendos abusus per se institutum esse, ut Senatores id potestatis habeant. Rem enim eamdem agendi plures rationes æque utiles, salutares, atque honestæ occurrere possunt, neque quia uno modo quidpiam aliquando factitatum noverimus, inde consequitur alio modo illud idem fieri non posse, semel ac abusus foveri non velimus. Nam quam multa, locorum, temporum, personarum habita ratione, sæpe occurrunt, propter quæ idem agendi modus, ac alias servatus in eadem re fuerit, servari non debet? Quapropter ut Senatores in consortium sui alios adsciscere possint, id in se habere, quod tendat ad fovendos abusus, hoc vero est, quod Auctor *Spiritus Legum* ostendere debebat. Tantum vero abest, ut quod ipse vellet per se consequatur, semel ac prædicta auctoritas sit penes Senatores, quin

(1) Cit. loco.

quin potius contra res sese habeat. Sunt enim omnes de sua auctoritate solliciti, eamque pluris etiam saepe faciunt, quam deberent. Quapropter existimandum est, ut etiam Senatores diligentissime caveant, ne illa dignitas, atque auctoritas, quam ipsi habent, aliis quoque communicetur, etsi illorum nulla praevia merita praecesserint. Si rem ipsam ergo in se spectemus, nihil in ea est, quod ad abusus fovendos per se conducat, quamvis malitia hominum conducere possit. Verum quando aliquid ex alio per se consequi dicitur, istud in se spectetur oportet.

CAPUT VII.

DE POLITIA MONARCHICI REGIMINIS.

§. I. AD veram Politiam Monarchici regiminis valde conducit, in eo esse quoddam singulare corpus legum civilium, quae serventur in hujus administratione regiminis.

Hujusmodi leges nunc tales esse praesupponimus, quae editae fuerint post maturam deliberationem, & examen valde diuturnum, atque grave, conditionis ipsius Monarchiae quoad ea omnia, quae cum ea connecti possunt, habita ratione, iisque prospectum sit multis utilitatibus ad commune bonum pertinentibus. Leges ergo hujus generis haberi loco cujusdam depositi pretiosioris, quod sancte custodiatur, atque ab earum praeceptis in sua tota ratione dominandi nunquam eum recedere, qui est suprema auctoritate praeditus, valde utile, atque salutare esse, nemo negaverit. Hoc enim discriminis inter Monarchicum, & alia regimina intercedit, ut in illo sit penes unum tota suprema potestas (1): dum vero suprema potestas est penes unum, singulariter utile est, ut ille unus non solum communem regulam habeat, positam in illis legibus civilibus, quae omnibus sunt communes, sed etiam particularem existentem in singularibus legibus civilibus accommodatis qualitati regiminis. Ita enim fit, ut illis incommodis prospiciatur, quibus hujusmodi regimen facile esse obnoxium potest. Cura enim

(1) Vide lib. 20. cap. 3.

enim unius, perſpicacia, advertentia, examen, judicium, atque alia, quæ in quovis regimine exerceri debent, non ita late extenduntur, ſicuti multorum. Quare Monarchico regimini ſingulariter utile eſſe debet, ut qui illud tenet, non ſolum communes civiles leges, ſed etiam particulares habeat ipſi regimini accommodatas, quas in ſua tota gubernatione uti certam regulam ſequatur. Iis enim in multis dirigetur, quæ ipſe per ſe facile non attingeret, atque etiam ſaltem plerumque ſecurius, quam conſilio aliorum, quia hujuſmodi leges, majori judicii maturitate, quæ ab aliquibus parvo intervallo temporis adhiberi poſſit, latæ præſupponuntur. Ad veram ergo politiam Monarchici regiminis valde conducit, in eo eſſe quoddam ſingulare corpus legum civilium, quæ ſerventur in hujus adminiſtratione regiminis.

De hoc depoſito legum multa turbat Auctor *Spiritus Legum* lib. 2. cap. 3. Eccleſiaſticam poteſtatem haud ſubobſcure ipſe primum carpit, atque affirmat, eam quidem eſſe Monarchiæ utilem, reipublicæ autem, hoc eſt illi regimini, quod ſit penes multos, pernicioſa: quaſi vero Chriſtus inſtituerit, quod omnibus civilibus ſocietatibus utile non eſſet, aut omnes civiles ſocietates quoad ſpiritualia regi non indigerent Eccleſiaſtica poteſtate. Depoſitum vero legum, quod Monarchiæ eſſe neceſſarium dicit, in quodam politico corpore reponit, a quo promulgentur leges, ſemel ac editæ, vel in memoriam aliorum revocentur, ſemel ac oblivioni traditæ fuerint. Nam, inquit ipſe, Optimates ignorantiæ tenebris naturaliter involvuntur, & civile regimen in quodam deſpectu habent, indeque eſt, ut neceſſarium ſit quoddam corpus politicum, quo fiat, ut leges pulvere jam obſitæ reviviſcant. Conſilium aulicorum, ipſe proſequitur, legum ipſarum depoſitum eſſe non poteſt: nam aulici loco depoſiti habent momentaneam voluntatem Principis, non vero leges fundamentales. Præterea hujuſmodi conſilium mutatur, in eo pauci locum habent, quibus populus non valde fidit, indeque idonei non ſunt, ut populum ad obſervationem legum inducant.

Quam multa præter ipſam notionem rerum, atque præter rectam

rectam rationem Auctor iste hoc de capite doctrinæ habet. Nam depositum legum penes illum esse debet, qui potestatem habeat, & promulgandi leges, semel ac illæ editæ fuerint, & iterum inducendi observationem illarum, si in quamdam oblivionem jam ceciderint. Quemadmodum enim pecunia apud eum deponitur, cui ad illam servandam nihil deesse putamus; ita etiam depositum legum apud eum reponatur oportet, qui efficiendi potestatem habeat, ut ii, qui debent esse subjecti legibus, illas servent: ad hunc enim finem ipsarum legum depositum refertur. Unde Auctor noster & maxima illiberalitate agit tam cum Optimatibus, quam cum iis, qui apud Regem funguntur munere consiliariorum: illos enim uti rerum omnium ignoratione laborantes traducit, atque uti contemptores Monarchici regiminis, istos autem quorumdam assentatorum loco habet;&ipsum depositum legum reponit in iis, in quibus per se reponi non potest. In Monarchico regimine unus tantum est legislator, unus sua potestate facit, ut leges obligent, unus propria auctoritate punit transgressores legis. In hoc ergo uno depositum legum per se reponi debet. Tamen simul etiam in aliis quibusdam minus proprie reponi potest, non tamen indiscriminatim in Optimatibus, sed in illis, sive sint Optimates, sive non sint, quos supremus Princeps, diversorum munerum habita ratione, sibi fecerit administros sui regiminis. Nam & hi quoque, licet non propria auctoritate, sed a supremo Principe recepta, observationi legum advigilant, cum potestate eam inducunt, transgressoresque puniunt.

§. II. Virtus esse debet principium etiam illius Politiæ, quæ est propria Monarchici regiminis.

Tota ratio cujusvis politici hominis in virtute posita esse debet, eorum autem quam maxime in virtute posita sit oportet, qui ipsam totam politiam regunt, atque moderantur (1). Aliunde vero ipsum Monarchicum regimen in se habet, ut supra cetera regimina præcellat (2): si ergo alicujus unquam regiminis proprium esse debet, virtutem pro certa regula sibi propo-

(1) Hujus lib. cap. 4. §. 3. & 4. (2) Lib. 28. cap. 4.

propositam habere, Monarchici sane regiminis quam maxime esse debet.

Hoc vero est, quod Auctor *Spiritus Legum* negare audet lib.3. cap.4. In Adnotatione illud monet, se de virtute politica loqui, quæ est virtus moralis, quatenus ad bonum commune dirigitur, a se autem respici aliquo modo, licet parum omnino, virtutes morales peculiares, omnino nihil virtutem, quatenus refertur ad veritates revelatas. Hoc semel posito, ita ipse præclare sane, subtiliterque habet. In Monarchia ipsa politica ratio efficit, ut res magnæ fiant ea minori virtute, qua possunt. Monarchicum regimen subsistit independenter ab amore patriæ, desiderio veræ gloriæ, abdicatione sui, suarumque utilitatum, omnibusque heroicis virtutibus, quas apud antiquos usitatas fuisse didicimus, sed in eo leges habentur loco virtutum omnium. Quamvis cuncta crimina ex sui natura publica sint; tamen distinguendum est inter crimina, quæ sunt revera publica, ab aliis criminibus, quæ privata dicuntur, quia majus damnum singulari homini inferunt, quam toti societati. In Aristocratia, & Democratia crimina privata sunt magis publica, hoc est, magis officiunt constitutioni ipsius status, quam personis particularibus; in Monarchia crimina publica sunt magis privata, hoc est, minus nocent constitutioni status, quam personis particularibus. Contra vitia aulicorum deinde declamat, multaque illorum scelera commemorat, indeque difficillimum esse contendit, ut homines ordinis inferioris in regimine Monarchico ad honestatem tendant.

De illo primo videamus, quod a se adnotandum putavit. Esto igitur eas potissimum virtutes morales considerari oportere, quæ ad bonum commune conducunt, dum agitur de ipsa ratione regiminis, non vero de aliis moralibus virtutibus, quæ perficiunt hominem secundum vitam privatam; attamen turpe sane est, Christianum hominem velle, ut in consideratione earum virtutum, quæ ad commune bonum conducunt, veritatum revelatarum nulla ratio habeatur. Quasi vero hujus vitæ commune bonum iis quoque recte procurari

curari posset, quæ alterius vitæ communi bono adversantur (1), aut fieri posset, quæ in Divina revelatione tradita habemus, hujus vitæ communi bono adversari (2), aut dum hujus vitæ communi bono consulitur, præcepta Dei aut contemni, aut saltem non curari permitteretur. Cadere ne ista possunt in mentem Christiani hominis? Cetera videamus.

In Monarchia secundum politiam ejus accidere, ut res magnæ fiant ea minori virtute qua possunt, ille tantum putaverit, qui non solum contra ipsam rectam rationem (3) regimen Monarchicum Aristocratico, & Democratico minus perfectum facit, sed etiam voluerit illud ex se comparatum esse ad virtutes deprimendas, earumque contemptum inducendum. Quo sane nihil absurdius, atque huic regimini omnium præstantissimo magis ignominiosum dici potest.

At enim Monarchicum regimen subsistit sine exercitatione plurimarum virtutum, quia in eo leges habentur loco omnium virtutum. Verum leges æque in Monarchico, ac in ceteris regiminibus vim obligandi habent: igitur non solum in Monarchico, sed etiam in ceteris regiminibus in locum virtutum illæ haberi deberent: attamen licet tum Aristocraticum, tum Democraticum regimen suas leges habeant, plurimum virtutis in eorumdem administratione regiminum ipse etiam Auctor noster in hoc eodem libro cap.3., & 4. requirit: sibi ergo non constat, dum tradit, vices virtutum suppleri a legibus in Monarchico regimine. Deinde quænam tandem sunt eæ leges, quæ in regimine Monarchico vices virtutum supplent? Juxta Auctorem nostrum non sunt Divinæ, quia virtutem sibi considerandam proponit, quatenus ad veritates revelatas nullo modo refertur. Anne sunt naturales? an civiles? Nihil minus fieri potest. Nam lege naturali quacumque in re nihil aliud præcipitur, quam quod est virtuti conforme: civili autem lege si quidquam præcipiatur, quod, prout exigit commune bonum, virtuti conforme non sit, & propter eam subditi secundum politicam virtutem bene morati

(1) Vide hujus lib. cap. 4. §. 6. (2) Vid. lib. 13. cap. 3.
(3) Lib. 28. cap. 4.

rati non fiant (1), non est vera lex civilis. Eo ergo in regimine, quod subsistit sine exercitatione plurimarum virtutum, immo in quo, uti Auctor contendit, res magnæ fiunt ea minori virtute, qua possunt, lex neque Divina, neque naturalis, neque civilis locum virtutum tenere possunt. Nam istæ omnes leges ad virtutem inducunt, ipsamque virtutem in se semper exprimunt: quomodo ergo vicem virtutis supplere eo in regimine poterunt, quod & subsistit sine exercitatione virtutum, & proprium est illius, ut res magnæ fiant ea minori virtute, qua possunt?

Falsum est autem, omnia crimina ex sui natura esse publica: non sunt enim talia, quæ inter privatos parietes committuntur, & multo minus quæ in interiori tantum voluntate latent. Crimina autem privata æque regimini Aristocratico, & Democratico, ac Monarchico officere possunt, & ea potissimum omnino officiunt, quæ utilitati boni communis opponuntur. Nam a vera politia, cujuscumque tandem regiminis ea sit, secundum omnem sui rationem abhorret, quod rectæ rationi, vel Divinæ legi quovis modo opponitur (2).

Non minus autem temere æque omnes aulicos iisdem vitiis laborare Auctor noster affirmat, quam sine ratione inde colligit, difficillimum esse, ut homines ordinis inferioris in regimine Monarchico ad honestatem tendant. Nam vitia nonnullorum affingi omnibus non sine maxima temeritate possunt. Vitia deinde, quæ quandoque sunt in quibusdam aulicis tantam vim in se habere non possunt, ut omnes pertrahant ad male agendum, ac proinde ex iis nullo modo colligi debet, difficillimum esse, ut homines ordinis inferioris in Monarchico regimine ad honestatem tendant.

§. III. Falsum est, in regimine Monarchico honorem tenere locum politicæ virtutis.

In Monarchico regimine locum politicæ virtutis honorem tenere, hoc est, præjudicium cujusvis personæ, atque conditionis, lib. 3. cap. 6. Auctor *Spiritus Legum* tuetur, atque illud etiam affirmat, in Monarchia bene

(1) Vide hujus lib. cap. 4. §. 1. & seqq. (2) Hujus lib. cap. 4. §. 6.

ordinata omnes plerumque futuros bonos cives, paucos tamen homines honestos adinveniri posse, quia ad id requiritur, habere in mente præintentam honestatem, & non ob propriam utilitatem, sed ob bonum illius diligere Principatum (1). Cap. 7. ad probandum quod sibi proposuit, singulariter descendit. Regimen Monarchicum, inquit, præsupponit præeminentias, dignitates, atque nobilitatem originis: honor autem sua ipsa natura gradus requirit, quibus unus alteri præferatur, atque ab eo distinguatur: ob hoc ergo honor in isto regimine politicæ virtutis locum tenet. Ambitio, ille prosequitur, reipublicæ, hoc est, Aristocratico, vel Democratico regimini obest, tamen salutares effectus in regimine Monarchico producit, atque ei vitam confert, neque nocet, quia statim reprimi potest. Si secundum philosophiam loquamur, falsus est ille quidem honor, quo reguntur partes ipsius Principatus; tamen est æque utilis communitati, ac sit verus honor personis singularibus. Hæc sunt præcipua, quæ habet ille in defensionem suæ absurdissimæ opinionis.

Dum affirmat in regimine Monarchico locum politicæ virtutis tenere honorem, hoc est, præjudicium cujusvis hominis, atque conditionis, non satis distincte explicat, quid velit; id tamen præstat, dum superaddit, in Monarchia bene ordinata omnes plerumque futuros bonos cives, paucos tamen honestos homines adinveniri posse. De eo ergo honore ipse loquitur, quem contra jura rationis, & præter omnem honestatem quispiam aucupari contendat, quique etiam contra leges honestatis acquiratur, atque teneatur: ab hoc honore habere suam vitam regimen Monarchicum, illumque in eodem regimine tenere locum politicæ virtutis cum summa confidentia tradit. Quisnam unquam talia in mentem hominis cadere potuisse putaverit? Ea tamen non solum in mentem nostri Philosophi venerunt, qui in hoc suo Opere elaborando insumpsit 20. annos, sed etiam idem ipse haberi illa voluit certi principii loco, quo regimen Monarchicum administra-

(1) Hic adnotatiunculam apponit, in qua ad alteram priorem appellat; de qua nos mentionem fecimus in præced. §.

niſtraretur. Profectò bonus civis ita ſit inſtitutus oportet, ut communi bono ſemper proſpectum velit, atque ut propter illud, ſi neceſſe ſit, etiam proprium contemnat. Honeſtate autem ad id maxima opus eſt, fortitudine, quodam etiam deſpectu divitiarum, juſtitia, atque, ut uno verbo dicam, obſervatione eorum omnium juris naturæ præceptorum, quibus humana ſocietas regitur, atque ſubſiſtit. Nam qui ob propriam utilitatem reipublicæ bonum curat, non vero ductus honeſtate virtutis, inane ſimulachrum ille quidem erit boni civis, non vero bonus civis. Hinc quam ſemel perſonam aſſumpſit, ſtatim deponet, ſi cum publica utilitate etiam propriam conjungi non poſſe animadverterit. Sua ergo longiori meditatione 20. annorum eam Auctor noſter inter bonum civem, & honeſtum virum diſtinctionem invexit, quæ repugnat primis notionibus tum boni civis, tum honeſti viri, indeque facile quidem futuros in regimine Monarchico bonos cives, non vero honeſtos viros, ad libidinem ſibi confinxit.

Nunc de ejus argumentandi ratione videamus. Regimen Monarchicum, inquit, præſupponit præeminentias, dignitates, atque nobilitatem generis: honor autem ſua ipſa natura requirit gradus, quibus unus alteri præferatur, & ab eo diſtinguatur: ob hoc ergo honor in regimine Monarchico tenet locum politicæ virtutis. At vero ſunt etiam in Democratico regimine præeminentiæ, atque dignitates: nam qui in eis publicam perſonam gerunt, quamdam dignitatem obtinent, nullumque ſine Magiſtratibus regimen dari poteſt. Sunt quoque in Ariſtocratico, qui præcellunt nobilitate generis: honor autem ſua ipſa natura requirit gradus, quibus unus alteri præferatur, & ab eo diſtinguatur: igitur honor etiam in regimine tum Ariſtocratico, tum Democratico locum tenet politicæ virtutis. Profectò quod ſingulariter uni rei convenit, illi tantum convenire debere, qui fuerit primis Logicæ præceptis imbutus, non ignorat.

„ Honor (ſicuti animadvertit S. Thomas 1. 2. quæſt.2. „ art.2.) exhibetur alicui propter aliquam ejus excellentiam; „ & ita eſt ſignum, & teſtimonium quoddam illius excellen-

„ tiæ, quæ est in honorato". Hujus autem excellentiæ testimonium, sicuti prosequitur idem S. Doctor 2. 2. qu. 103. art. 1. " Vel redditur coram Deo, vel coram hominibus.
„ Coram Deo quidem, qui inspector est cordium, testimo-
„ nium conscientiæ sufficit: & ideo honor coram Deo potest
„ consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet aliquis
„ recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis
„ coram Deo. Sed quoad homines aliquis non potest testi-
„ monium ferre nisi per aliqua signa exteriora vel verborum,
„ puta quum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicujus;
„ vel factis, sicut inclinationibus, obviationibus, & aliis hu-
„ jusmodi; vel etiam in exterioribus rebus, puta in mune-
„ rum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis hujus-
„ modi". Nimis ergo multæ sunt rationes, atque etiam inter se diversæ, quibus honor alteri propter excellentiam ejus exhibetur, quemadmodum experientia quotidiana novimus; neque tunc tantum quempiam honore prosequimur, quando ei aliquam dignitatem conferimus, aut collatam ab aliis in illo reveremur, alioquin semper mancus virtuti honor deferretur. Notionem ergo honoris non fuit Auctor noster assequutus, dum illum intra fines dignitatum coarctavit.

Quod autem in se spectatum æque ad malum, ac ad bonum inducere potest, & propter defectum humanæ naturæ ad malum sæpissime inducit, utile esse posse regimini Monarchico, in cujusnam tandem venerit mentem hominis, qui ratione utatur? Venit tamen in nostri Politici mentem, qui ambitione promoveri utilitatem Monarchici regiminis absolute affirmavit, indeque id fecit, quia ambitione homines excitantur ad nonnulla præclare agenda in utilitatem boni communis. At vero, quemadmodum observat S. Thomas 2. 2. qu. 131. art. 1. ad 3. " Sicut per appetitum honoris, quando
„ debito modo appetitur, aliqui provocantur ad bonum, & re-
„ vocantur a malo; ita etiam si inordinate appetatur, potest
„ esse homini occasio multa mala faciendi, dum scilicet aliquis
„ non curat, qualitercumque honorem consequi possit. Unde
„ Sallu-

„ Salluftius dicit in *Catilinario*, quod *gloriam*, *&* *honorem*, „ *&* *imperium bonus*, *&* *ignavus æque fibi exoptant*; *fed ille*, „ fcilicet bonus, *recta via utitur*; *hic*, fcilicet ignavus, *quia* „ *bonæ artes defunt*, *dolis*, *atque fallaciis contendit*. Et tamen illi, qui folum propter honorem vel bona faciunt, vel „ mala vitant, non funt virtuofi, ut patet per Philofophum „ in III. *Ethicorum* (1), ubi dicit, quod non funt vere fortes, „ qui propter honorem fortia faciunt ". Quod ergo Ethnici folo lumine rationis viderunt, quod ipfa ratio, immo etiam experientia confirmat, nofter Philofophus non vidit, indeque abfolute conftituit, ambitionem utilem effe fingulariter Monarchico regimini, quia ea homines ad præclara opera excitantur, quafi vero propter ambitionem etiam multa turpia non committerentur ab hominibus, & appetitus honoris in fe fpectatus quidquam vitii non contineret. Deinde ambitio utilis eft Monarchico regimini, quia propter eam homines, ficuti ipfe vult, excitantur ad præclara opera: igitur haud fingulariter ea utilis hujufmodi regimini effe debet, quia omnibus regiminibus æque utile eft, ut homines excitentur ad præclara opera: & tamen ipfe contendit, ambitionem fingulariter in Monarchico regimine tenere locum politicæ virtutis.

At ambitio, fi in malum tendat, in Monarchico regimine facile reprimitur. Verum cur ambitio fi nocumentum afferat, ftatim reprimi in Monarchico regimine poffit, in aliis regiminibus eadem celeritate non poffit, fane non video, nullamque rationem hujus diverfitatis Auctor nofter affert. Vitia profecto, quæ in animis hominum altius infederint, cujufvis regiminis habita ratione, difficilius eradicantur, & nihil unquam vitiofum admittendum, aut introducendum eft, quamvis illud avelli facile poffit.

Ad illud tandem, quod Auctor nofter fuperaddit de utilitate illius falfi honoris, quo partes ipfius Principatus reguntur, non eft, cur refpondeamus: eft enim unicuique perfpectum, ex re falfa nihil boni ex fui natura confequi poffe.

§. IV.

(1) Cap. 6.

§. IV. Falso dicitur, singulare, atque proprium esse Monarchici regiminis, ut in eo suprema potestas intermediis, subordinatis, dependentibusque potestatibus exerceatur.

Hanc quoque in falsitatem Auctor *Spiritus Legum* incidit. Nam lib.2. cap.4. contendit, id proprium, atque peculiare esse Monarchici regiminis, ut in eo suprema potestas intermediis quibusdam potestatibus exerceatur. Hanc vero suæ assertionis præclaram rationem affert. Si enim, inquit ipse, in Principatu nihil aliud habeatur, quam momentanea voluntas unius, & ad libidinem conformata, nihil certum, atque fixum in eo erit, nullaque propterea lex fundamentalis constituta. At hic illud falso supponit, Monarcham ab omnibus legibus esse solutum, omniaque juxta suum arbitrium, nullius legis habita ratione, peragere posse. Verum enim vero quæcumque sit tandem ratio regiminis, vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica, aut etiam Despotica secundum eam rationem, qua Despoticum regimen ipse accipit; semper intermediæ potestates necessariæ sunt, ut illud quod a Monarcha, Optimatibus, populo, atque etiam ab eo, qui tyramnidem exercet, subinde præcipitur, ministerio earum exequutioni mandari possit. Sicut enim tyramnus in eos, quos sibi injuste subjecit, suam sævitiem per se exercere non potest, sed administris suæ iniquitatis utatur oportet; ita etiam quod populus decreverit, Optimates statuerint, supremus Monarcha sanxerit, est profecto opera aliorum, quamvis auctoritate prædictorum, exequutioni mandandum, nihilque insulsius dici potest, quam populum, Optimates, Monarchas & promulgare leges, & secundum eas per se judicare, & tributa tam constituere, quam exigere, atque alia omnia, quæ sunt supremæ jurisdictionis, per se exercere debere. Quod autem commune est omnibus regiminibus, immo & necessarium, unius tantum proprium, atque singulare dici non potest. Singulare ergo, atque proprium esse Monarchici regiminis, ut in eo suprema potestas intermediis, subordinatis, dependentibusque potestatibus exerceatur, falso dicitur.

§.V.

§. V. Optimates esse naturaliter illam intermediam potestatem, qua negotia Monarchiæ gerantur, æque falso dicitur.

Citato capite idem Auctor hoc quoque contendit, Optimates esse illam intermediam potestatem, quam Monarchici regiminis propriam esse tuetur: at non minus falso, ac illud prius. Monarcha enim, quia ipse unus præest omnibus, & a nemine suorum subditorum, immo a quovis eorumdem cœtu legem non accipit, in exercitio suæ jurisdictionis opera illorum uti potest, quos ipse præ ceteris magis idoneos judicaverit. Ei autem non minus Optimates, quam omnes alii cives, & infimi etiam e plebe homines, naturaliter subjecti sunt. Quamvis igitur fateamur, in Optimatibus facilius, quam in aliis, id omne adinveniri, quod ad reipublicæ negotia bene gerenda requiritur; licet etiam valde conveniens sit, ut supremus Monarcha in administratione sui regiminis Optimatum opera utatur, semel ac illam reipublicæ utilem futuram prospiciat; tamen potestatem illam intermediam, de qua Auctor noster loquitur, esse reponendam in Optimatibus, absolute dici non posse, nos contendimus. Qui enim regimen, quod re vera Monarchicum sit, tenet, quosvis voluerit, in administrationem sui regiminis advocare potest, & de eo tantum oportet, ut sit quam maxime sollicitus, ne minus aptis ad hoc munus utatur, iisque, qui sua opera non prodesse reipublicæ, sed potius obesse facile possent. Optimates ergo non sunt naturaliter illa intermedia potestas, qua Monarchiæ negotia gerantur.

§. VI. Cupiditas honoris, atque gloriæ neque etiam in supremo Monarcha tenere potest locum politicæ virtutis.

Honorem tenere locum politicæ virtutis in Monarchico regimine, si ad partes illius attendatur, Auctor *Spiritus Legum* tuetur, quem supra refutavimus. Nunc id quoque ostendendum aggredimur, etiam ipsius Monarchæ politicam virtutem esse non debere cupiditatem honoris, & gloriæ. Sicuti enim animadvertit S. Thomas Opusculo 20. *de Regimine Principum* lib. 1. cap. 7., honor, & gloria continentur favore hominum, quum tum ille, tum ista pendeat ex opinione eorum.

Nihil

Nihil autem datur magis incertum, atque mutabile opinione hominum. Deinde magnitudinem animi deprimit gloriæ cupiditas: deservire enim voluntati aliorum, eisque placere velle debet, qui favorem illorum quærit. Ex quo sane contingit, ut servus eorumdem quodammodo fiat, & excidat ab ea magnitudine animi, quæ si alicujus unquam, imperantis sane propria esse debet. His accedit, cupiditate gloriæ quempiam duci facile posse etiam ad ea peragenda, quæ nullam cum virtute conjunctionem habent, rectæque rationi opponuntur. Tandem quia, sicut inquit S. Thomas, " Difficile „ est, paucisque contingit veras virtutes assequi, quibus solis „ honor debetur; multi gloriam cupientes virtutis simulato- „ res fiunt.... Sicut igitur periculosum est multitudini, si „ Princeps voluptates, & divitias quærat pro præmio, ne „ raptor, & contumeliosus fiat; ita periculosum est, quum „ detinetur gloriæ præmio, ne præsumptuosus, & simulator „ existat ". Animadvertit autem, & recte quidem, idem S. Doctor, quod quidam sapientes: " Non ea ratione hono- „ rem, & gloriam pro præmio Principi decreverunt, tam- „ quam ad hoc principaliter ferri debeat boni Regis inten- „ tio; sed quia tolerabilius est, si gloriam quærat, quam si pe- „ cuniam cupiat, vel voluptatem sequatur... Cupido enim „ gloriæ aliquod habet virtutis vestigium, dum saltem bono- „ rum approbationem quærit, & eis displicere recusat ". Si ergo etiam ad ipsum Monarcham attendatur, cupiditas gloriæ, & honoris non debet tenere locum politicæ virtutis.

LI-

LIBER XXX.

DE EA TOTA RATIONE, QUA ECCLESIA IN SUA EXTERIORI POLITIA SESE HABET AD POTESTATEM CIVILEM, ET CIVILIS POTESTAS AD ECCLESIAM.

SUmma eorum, quæ in hoc libro disputaturi sumus, in alio posita non est, quam in exteriori politia tum Ecclesiastici, tum civilis regiminis. Nam si Ecclesia quoad exteriorem politiam a civili potestate suam omnem auctoritatem mutuetur, sicuti Protestantes contendunt, inde profecto consequitur, Ecclesiam potestati seculari subjectam esse in iis omnibus, quæ ad politiam exteriorem pertinent. Hæc sane est sententia Protestantium; non una tamen omnium. Quidam enim plus, alii minus quoad rem istam seculari potestati tribuendum putarunt, quamquam studia omnium eo tendant, ut in exteriori Ecclesiæ administratione eminentiores, atque præcipuas partes Principi esse tribuendas evincant (1). Ii Protestantes, qui *Collegiales* dici inde possunt, quia Ecclesiæ non *status*, seu reipublicæ convenire rationem affirmant, sed *Collegii* tantum, supra ceteros Ecclesiæ politiam exteriorem civili subjectam faciunt. Præter alios hunc errorem Pufendorfius propugnavit in suo illo libro singulari, quem inscripsit: *De habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*. Ita enim in eo §. 32. habet: " In Ecclesiis formandis „ non opus est decreto super certa regiminis forma introducenda; absurdæque ideo sunt quæstiones, Monarchica, „ Aristocratica, an Democratica forma competat Ecclesiæ: „ hæ quippe formæ cadunt in statum aliquem, seu civitatem; „ Ecclesia autem status non est ". Vult ergo Ecclesiam privatum quoddam collegium esse, quod nullam præcipiendi potestatem habeat, sed in eo alii sint docentes, alii vero audientes. Præcipiendi enim potestatem statui solummodo conveni-

(1) Vide Mamachium *Orig.*, & *Antiquit. Christian.* lib. 4. par. 1. cap. 2. §. 3. num. 3. adnot. 2.

re posse affirmat: " Per statum (inquit) intelligimus ejusmo-
„ di conjunctionem plurium hominum, quæ imperio per ho-
„ mines administrato, sibi proprio, & aliunde non dependen-
„ te, contineatur ". Hoc igitur in libro omnium primus est refutandus a nobis error ille Protestantum, quo tuentur, Ecclesiæ *status*, seu reipublicæ rationem convenire non posse, sed *Collegii* tantum. Quia vero respublica, seu status consistere non potest ullo sine hierarchico ordine, in quo sint, qui præsint aliis juxta eam rationem, quam ipsa respublica, vel status exigit; contra eosdem Protestantes illud etiam secundo loco ostendemus, hierarchicum ordinem in Ecclesia admitti necessario debere. Hisce duabus veritatibus in bono lumine semel positis, hoc est, Ecclesiam esse rempublicam, non vero Collegium, & in ea dari hierarchicum ordinem, quod utrumque in duobus prioribus capitibus præstabimus, in 3. agemus de præstantiori dignitate, atque auctoritate Ecclesiæ supra dignitatem, atque auctoritatem Principatus civilis, in 4. de ea ratione, qua potestas Ecclesiastica, atque civilis etiam in iisdem locis simul recte consistunt, in 5., & 6. explicabimus, quomodo Ecclesia, si ad singularem potestatem illius attendatur, ad civilem Principatum sese habeat; itemque quomodo ad Ecclesiam sese habeat Principatus civilis, si singularem potestatem ejus spectemus, in 7., & 8. de ea utilitate agemus, quam potestas Ecclesiastica, atque civilis sibi invicem afferunt secundum diversa, quæ alterutrius propria sunt.

CAPUT I.

DE ECCLESIA, QUATENUS HABET VERAM RATIONEM STATUS, SEU REIPUBLICÆ.

§. I. Collegii, status, seu reipublicæ, vel Principatus notio traditur, atque explicatur.

Collegiorum illud proprium est, ut si quid est illis regiminis, potestatis, legum, a Principe rei civilis publicæ pendeat: status autem, vel respublica, aut Principatus a se habet, quidquid ejusmodi habet. Ex quo sane fit, ut collegia

& omnem

& omnem facultatem, quam obtinent, a Principe acceptam referre debeant, eaque uti sine illius dependentia non possint: status autem, seu respublica, vel Principatus a se potestatem ad omnia ea habeat, quæ sunt proprii regiminis, atque hujusmodi potestatem exercere possit independenter a quavis alià potestate civili.

§. II. Repugnat institutioni Catholicæ Ecclesiæ, ut ea in censum collegiorum venire possit.

Ecclesiæ Catholicæ nomine intelligimus societatem Christianorum, qui quum longe lateque diffusi sint per orbem terrarum; tamen sub uno visibili capite eamdem fidem profitentur, eorumdemque sacramentorum usu, ceu nexu quodam mutuo colligantur, ac veluti in unum corpus coalescunt. Quæro nunc igitur, a quonam sit baptismus, quo homines primo initiantur, ut membra hujus societatis esse possint? a quo cetera sacramenta, quibus in eamdem societatem simul uniti continentur? a quo illud visibile caput, cui omnes subjecti eamdem fidem profitentur, quique super universam Ecclesiam habet supremam auctoritatem, atque jurisdictionem cum suprema legislativa potestate conjunctam (1)? a quo tota illa fides, atque institutio Divinorum mysteriorum, quæ religio Catholica complectitur? a quo tandem omnia præcepta legis Evangelicæ, quibus religio Catholica regitur, atque gubernatur? a quo ipsa religio Catholica, tota quanta est? A Jesu Christo profecto amantissimo Servatore nostro, qui, antiquata Veteri lege, ex eo quod jam advenisset, quod in illa præfigurabatur, novam posuit, eamque servandam indixit omnibus, qui æternam salutem consequi vellent. Rursus hìc ego quæro, utrum Christus facultate accepta ab Imperatoribus, vel saltem iisdem scientibus, nec reluctantibus, sed consentientibus, hæc omnia constituerit, quibus Christiana religio, & societas eorum omnium, qui sub ea continentur, coalescit: anne auctoritate Imperatorum probari, atque confirmari voluit? Nihil sane minus dici potest. Nunc ergo ad rem nostram.

Rr 2 Colle-

(1) Vide lib. 17. cap. 1. & seqq., lib. 18. cap. 2., sicut etiam lib. 19. cap. 2. & 3.

Collegiorum proprium est, ut si quid illis est regiminis, potestatis, atque legum, a Principe rei civilis publicæ habeant (1): at vero quidquid regiminis, potestatis, atque legum Catholica religio habet, a Jesu Christo habet, atque ita quidem, ut Jesus Christus in hisce omnibus constituendis publicæ politicæ potestatis rationem omnino nullam habuerit: igitur tam est manifestum, quam quod maxime, Ecclesiæ Catholicæ institutioni repugnare, ut collegii ratio ei tribuatur.

Est autem hoc verum non solum de Ecclesia Catholica, sed etiam de Ecclesia Protestantium. Quæro enim a Protestantibus, cur Sacramentorum Novæ legis nonnulla admittant, alia vero reiiciant? cur idem faciant quoad alia dogmata Catholicæ religionis? cur verbi divinitus inspirati libros aliquos non suscipiant, alios autem uti Divinos venerentur? cur quæ in Sacris libris Divina inspiratio continetur, ab eis admittatur, non vero illa, quam traditione accepimus a Majoribus nostris? cur tandem, ut omittam alia sane multa, in sua Ecclesia fidei veritatem consistere velint, in Catholica autem, aut quavis alia secta suæ contraria nolint? Nihil hæsitantes ad hæc omnia paucis respondebunt (neque enim aliud quidpiam respondere possunt) hæc se amplecti, atque suscipere Sacramenta, non item alia, quia sunt illa Divinæ institutionis, non vero cetera: consentire in aliqua dogmata cum Catholica Ecclesia, quia sibi perspicuum est, illa esse tradita divinitus, in aliis autem ab Ecclesia Catholica dissentire, quia sunt humanæ institutionis: de Divina inspiratione, quæ continetur in Sacris litteris, a nemine dubitari posse, quæ autem inesse dicitur in Sacra traditione, eam quidem non esse Divinam, sed humanam: tandem in ea religione, quam ipsi profitentur, non vero in Catholica, aut quavis alia, fidei veritatem consistere dicent, quia nihil a se detractum fuit iis dogmatibus, nihilque etiam superadditum, quæ ex Divina revelatione accepimus. Rursus ego ab eis quæro, unde sane contendant, præcepta morum spectare ad eam fidem, quam ipsi profitentur? ex eo quod in lege Evangelica expressa illa habeamus, ulla sine

(1) Præced. §.

fine hæsitatione respondebunt. Ex hisce autem omnibus illud necessario consequi, etiam Ecclesiam eorum dici collegium nullo modo posse, nemo non videt. Neque enim, quod nullus unquam dixit, & sine evidenti falsitate dici non potest, ipsi tamen dicent, Christum auctoritate sibi tradita, aut venia saltem concessa a laica potestate, quæ ipsi dogmata profitentur, constituisse, atque sanxisse ea præcepta, quæ esse Evangelica tenent. Dicendum est igitur, Catholicæ Ecclesiæ institutioni repugnare, ut ea in censum collegiorum referatur, atque de hac veritate etiam ex ipsa sua Ecclesia Protestantes convinci (1).

§. III. Christi mentem non fuisse, novum statum, seu rempublicam constituere, ex agendi diversa ratione, quam Moyses, atque Christus sequuti fuere, Pufendorfius omnino falso contendit.

Citati libelli *de Habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem* §. 12. & seqq. comparat rationem, quam Moyses in institutione Judaicæ reipublicæ servavit, cum ea, quam tenuit Christus, dum suæ Ecclesiæ fundamenta posuit, atque ex earum diversitate infert a Moyse quidem quamdam rempublicam constitutam fuisse, non vero a Christo. Observat ergo ille, semel ac Moyses constitutus fuit a Deo liberator Judaici populi ab Ægyptiaca servitute, ut sibi id juris, quod in eum populum non habebat, assereret, singulari Divina virtute suffultum talia gessisse in utilitatem illius, ut idem populus „ Et miraculis ejusdem, ac beneficiis motus, & quod præsens „ numen ipsius acta comitari conspiceret, lubens principem „ ipsum, ducemque agnosceret “. Id autem muneris maxima cum auctoritate Moyses sustinuit, quoad usque vixit, summique Principis partes egit, “ Leges ferendo circa sacra, „ & civilia, totumque adeo populi statum designando, for„ mandoque “. Ad hæc accessit, ut ex hac vita migraturus successorem sibi designaverit, qui supremi regiminis jura teneret, & populum in possessionem terræ tandiu exoptatæ introduceret. Ex quibus Pufendorfius ita colligit: “ Manifestum igi„ tur

(1) Vide Mamachium *Orig.*, *& Antiqu. Christ.* lib. 4. par. 1. c. 2. §. 3.

„ tur est, Moysem, dum vixit, Principis munus gessisse,
„ novumque statum, seu rempublicam constituisse ".

Venit deinde ad Christum, atque talem ejus agendi rationem fuisse contendit, " Ut novum condere statum eidem „ haud propositum fuisse facile appareat ". 1. Christus plura quidem miracula fecit, sed quæ omnia ad benefaciendum comparata essent. 2. Quosdam sibi adscivit suæ doctrinæ sectatores, sed eos quidem paucos, inermes, atque omni auctoritate destitutos. 3. Proclamari se in Regem plebi interdixit, seque ob hanc causam ab ea subtraxit. 4. Nullam novam legem condidit, quod ad novam rempublicam formandam conduceret. 5. Et tributum solvit, & vitam sibi eripi passus fuit. Hæc autem omnia, Pufendorfius inquit, a persona Principis omnino abhorrent. Hæc quidem ille §. 13.: ita vero prosequitur §. 14.

Nihil eorum egit Christus, quæ ab alicujus reipublicæ conditoribus agi solent. Nam illud isti primo loco curant, ut maximam aliquam multitudinem hominum uno vinculo connectendam sibi devinciant, suisque subjiciant legibus. Numerus autem discipulorum Christi minor sane fuit, quam ut in eo populi, quamvis exigui, ratio aliqua contineretur: Ipsorum vero discipulorum munus ad aliquam rempublicam condendam non ordinabatur, & subjectio eorum erga Christum non erat subditorum erga Principem, sed discipulorum erga Magistrum. Immo vero ceteri quoque omnes, qui Christum sequuti fuere, ejus quidem miracula videre curarunt, nemo tamen illorum imperio Christi se unquam subjecit, seque ab eo regimine subducere conatus fuit, cui antea subjectus erat. Hinc dum Christus mortem subiturus esset, ipsi quoque discipuli ejus se in fugam dederunt.

Illud urget §. 15. conditorem novæ reipublicæ potiri oportere aliquâ regione, in qua cives sedem reponant suarum fortunarum. Unde quum Moyses non posset dare Israelitis securum domicilium in Ægypto, in loca deserta eos eduxit, quæ nullius ditioni subessent, quousque terram Chanaan, veteribus incolis deletis, occuparent. Christus

ne id quidem loci habuit, in quo suum caput reclinaret, nec unquam ad alienas regiones occupandas aut suos instruxit, aut ipse animum adjecit.

Tandem §. 16. Christum nunquam egisse personam Principis advertendum esse monet. Quin immo a matre filiorum Zebedæi ille rogatus, ut suis filiis principatum in regno cælorum supra alios tribueret, non solum non satisfecit petitioni ejus, sed etiam futurum prædixit, ut nihil imperii maneret penes eos, qui se sequuturi essent. Unde de illo quoque monuit discipulos, ne ad instar Secularium Principum dominarentur aliis, atque ut suo exemplo ad id eosdem confirmaret, pedes discipulorum lavare voluit. Ad hæc negari non potest ad novum statum, seu rempublicam constituendam plurimum conferre, ut conditor illius diutius vivat, atque res omnes publicas firmius constituat. At Christus morti sese ultro obtulit, nullo successore sibi designato, quum vix quadriennium coram omnibus publice versatus fuisset.

Ad hæc omnia non multis, quoniam Pufendorfius illud semper falso supponit, Ecclesiam talem statum, seu rempublicam esse, in qua sub alieno regimine sint quoad ea omnia inter se uniti, atque consociati homines, quæ ad vitam civilem spectant, & ad commoda vitæ præsentis referuntur. Profecto quamvis etiam totum negotium vitæ civilis iis quoque omnibus quam maxime promoveatur, quæ ab Ecclesia multitudini suorum Fidelium servanda præcipiuntur; ipsa tamen gubernationem, atque regimen vitæ civilis non attingit, sed in instituendis, regendisque suis filiis tota versatur, prout ipsa Christiana religio singulariter exigit. Quapropter quod omnino falsum est, certissimæ cujusdam veritatis loco habet, & Ecclesiæ veram reipublicæ rationem convenire posse inde negat, quia Ecclesia in prima sui institutione id non habuit, quod civili reipublicæ deesse non debet. Unde tota argumentatio Pufendorfii est illa quidem innixa principio falso, quod uti certum ab ipso supponitur, eaque sane in mentem tantum ethnici hominis, qui de Christiana religione nihil novisset, cadere poterat, non vero ejus, qui illam sane noverat, atque profitebatur.

Verum-

Verumtamen nonnulla primo de Judaica, deinde de Christiana republica dicamus. " Lex Vetus (inquit S. Thomas 1. 2.
„ qu. 99. art. 6.) disponebat ad Christum, sicut imperfectum
„ ad perfectum, unde dabatur populo adhuc imperfecto in
„ comparatione ad perfectiorem, quæ erat futura per Chri-
„ stum : & ideo populus ille comparatur puero sub pædagogo
„ existenti, ut patet *Galat. 3.* Perfectio autem hominis est,
„ ut, contemptis temporalibus, spiritualibus inhæreat, ut pa-
„ tet per illud, quod Apostolus dicit *Philippen. 3. v. 13: Quæ*
„ *quidem retro sunt, obliviscens, ad ea, quæ priora sunt, me*
„ *extendo ... Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*
„ Imperfectorum autem est, quod temporalia bona deside-
„ rent, in ordine tamen ad Deum; perversorum autem est,
„ quod in temporalibus bonis finem constituant. Unde legi
„ Veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu
„ hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum ".
Quapropter mirandum non est, si regimen Judaicæ reipublicæ fuit etiam civile, & judicialia quoque præcepta in se habuit, atque Moyses Divina auctoritate munitus, quæ a Judæis secum invicem, habita etiam ratione societatis civilis, servare deberent, edixit, atque ad instar quoque Principis civilis sese habuit. At vero lex Nova est alia a Veteri lege, non ita quidem, quatenus diversum, ac illa, finem habeat, sed quia est lex perfectionis, hoc est, charitatis, de qua Apostolus ad *Colossenses 3. v. 14.* ait, quod est *vinculum perfectionis*. Quapropter est illud advertendum, uti monet S. Thomas 1. 2. qu. 107. art. 2. ad 2. esse quidem cujuslibet præcepta legis ordinata ad virtutem: quia tamen ad opera virtutum alia ratione ii inducuntur, qui sunt in virtutibus exercitati, & ceteri, qui exercitationi virtutis non assueverunt; inde est, ut isti comminatione potissimum pœnarum, vel promissione præmiorum ad virtutem excitentur, illi autem ipso amore virtutis. Hac vero de causa, sicut inquit S. Thomas: " Lex Vetus, quæ dabatur
„ imperfectis, id est, nondum consequutis gratiam spiritua-
„ lem, dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad ob-
„ servationem præceptorum per comminationem quarumdam

pœna-

„ pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promiſſa". At vero " Lex Nova, cuius principalitas conſiſtit in ipſa ſpi„ rituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, & dicitur „ habere promiſſa ſpiritualia, & æterna, quæ ſunt objecta „ virtutis, & præcipue charitatis, & ita per ſe in ea incli„ nantur, non quaſi in extranea, ſed quaſi in propria". Hujus autem legis Chriſtus lator fuit (1), eamque fundamentum eſſe voluit illius ſocietatis, quæ & in nomine, & ſub imperio ejus congreganda erat. Quare non eſt, cur Pufendorfius opponat, nihil eorum egiſſe Chriſtum, quæ ab alicujus reipublicæ conditoribus agi ſolent. " Manſuetudine enim (inquit „ S.Auguſtinus *in Pſal.*133. num.3.) ipſe Rex noſter vicit dia„ bolum. Sæviebat ille, iſte ſufferebat. Victus eſt qui ſævie„ bat, vicit qui ſufferebat. In iſta manſuetudine Corpus Chri„ ſti, quod eſt Eccleſia, vincit inimicos". Quare ſicuti proſequitur idem S. Doctor Tract. 51. *in Joannem* num. 4.) " Non „ enim Rex Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum, vel exer„ citum ferro armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos: „ ſed Rex Iſrael, quod mentes regat, quod in æternum con„ ſulat, quod in regnum cœlorum credentes, ſperantes, aman„ teſque perducat". Fecit ergo miracula Chriſtus, quæ tamen non minus comparata erant ad benefaciendum aliis,quam ad manifeſtandam Divinitatem illius, nullo autem modo ad acquiſitionem dominii temporalis ſupra gentes, atque nationes, quia ab eo homines in rempublicam civilem ſimul uniendi non erant. Hinc mirandum non eſt, ſi in erectione hujuſmodi reipublicæ & paucos ſibi ſocios adſciverit, & eos quidem inermes, atque omni auctoritate deſtitutos, ſe Regem proclamari noluerit,leges civili regimini ſingulariter accomodatas non ediderit, immo civili regimini ſolvendo tributum ſeſe ſubjecerit. Non vi, non armis, nec ulla humana induſtria reſpublica Chriſtiana inſtituenda erat, atque late propaganda, quemadmodum ex ipſa experientia novimus, ſed Divina virtute, atque non ad inſtar civilium rempublicarum, ac propterea nonniſi inepte quiſpiam exegerit, in inſtitutione, atque

(1) Lib. 10. cap. 2.

propagatione ejus servari debuisse, quod in institutione, atque propagatione aliarum servatum novimus.

Tamen in Christiana republica nihil deest, quod ad rationem veri Principatus requiratur. Quandoquidem in quovis Principatu esse debent plures sub regimine unius, aut aliquorum simul consociati, unam eamdemque habere legem, eadem signa exteriora, atque etiam eumdem finem. Hæc autem omnia Ecclesia habet. Non solum enim plures in eam societatem, qua illa componitur, coaluere, sed etiam hujusmodi societas ubique diffusa, atque propagata est: una est fides illius: unum supremum caput: eadem signa exteriora habet apud omnes, hoc est, sacramenta, quorum primum est baptisma, quo homines reipublicæ Christianæ adscribuntur: demum est omnibus propositus idem finis, qui in alterius vitæ felicitate consistit (1). Quia vero in quovis Principatu unus per se omnia ordinare non potest, oportet, ut in eo alii quoque a supremo capite sint, qui publica munera gerant; Ecclesiæ quoque non desunt, qui ceteris potestate præcellant, eorumque sit etiam publica auctoritas.

Fide autem, quam habemus in Christum, regnum illius in hoc mundo constituendum erat. Nam quemadmodum animadvertit S. Augustinus lib. *De diversis quæstio*: quæst. 69. num. 4. " Aliter enim dicitur regnum Christi secundum potestatem Divinitatis, secundum quod ei cuncta creatura subjecta est, & aliter regnum ejus dicitur Ecclesia secundum proprietatem fidei, quæ in illo est, secundum quod orat, qui dicit (2): *posside nos*. Neque enim non ipse possidet omnia. (Num. 9.) Nam secundum id, quod verbum Dei est, tam sine fine, quam sine initio, & sine intermissione est regnum ejus. Secundum id autem, quod verbum caro factum, cœpit regnare in credentibus per fidem incarnationis suæ. Hinc autem evacuavit omnem Principatum, & virtutem, dum non per claritatem ejus, sed per humilitatem salvi fiunt credentes in eum". Unde nonnisi insipientissime quis-

(1) Videatur S. Thomas lect. 2. in cap. 4. epist. ad *Ephesios*.
(2) *Isaia* cap. 26. v. 13.

quispiam miretur, Christum supra suos Fideles eam sibi dominationem non tribuisse, quam supra suos subditos tenet Principatus civilis. Quæ filiorum erga Patrem, & discipulorum erga magistrum subjectio esse debet, hanc Christus a suis exegit, sibique eos ut supremo Domino non gravi obsequio famulatus, sed fide conjunctos, ac suavissimo amore charitatis sibi omnes devinctos voluit, legesque propterea sanxit, quarum observatione veri ejus discipuli, filii, atque subditi sui amantissimi Domini forent.

Christiana respublica suum in eis initium habuit, qui in Christum primo crediderunt. Nam solum autem Discipuli, sed & multi alii, quemadmodum ex historia Evangelica novimus, in Christum, adhuc eo degente in hac mortali vita, crediderunt: aucta deinde Christiana respublica fuit, atque in totum mundum dilatata, ejusque propagatio fuit *fructus derelictionis, tribulationis, & deprecationis* ipsius Christi, sicuti Augustinus monet epist. 140., alias 120., num.43. Quum ergo regnum Christi non fuerit de hoc mundo, Christum neque aliquam regionem possedisse, in qua respublica ejus collocaretur, neque quempiam e suo Principatu deturbasse, neque audivisse precem eorum, qui ab illo Principatum petebant, mirari potuit solus Pufendorfius, qui ipsorum primorum principiorum totius Christianæ reipublicæ sese omnino imperitum facit, eique propterea veræ reipublicæ rationem cum evidenti falsitate inde denegat, quia in institutione ejus idem servatum non novit, ac in institutione aliarum civilium rerumpublicarum.

§. IV. Ex ea ratione, quam generatim Apostoli omnes in promulgatione legis Evangelicæ sequuti fuere, Ecclesiam dici collegium nullo modo posse, evidenter constat.

Rem istam ut diligentius expendamus, est illud ostendendum a nobis, qua auctoritate Apostoli Evangelicam legem ubique promulgaverint; omnibusque servandam indixerint, si æternam salutem consequi vellent. " Data est mihi (inquit „ Christus *Matth.* 28. v.19. & seq.) omnis potestas in cælo, & „ in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos „ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos

 „ ser-

„ servare omnia, quæcumque mandavi vobis". Et *Marci* cap. 16. v. 5. & seq. " Euntes in mundum universum prædi-
„ dicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & bapti-
„ zatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condem-
„ nabitur". A Christo itaque Apostoli acceperunt promulgandæ Evangelicæ legis potestatem, immo etiam præceptum, a Christo, inquam, qui tum in cælo, tum in terra omnem potestatem sibi datam esse testatur. Quid tunc Apostoli? Anne a seculi Principibus veniam petiere ejus obeundi muneris, quod sibi commissum habebant? Nihil sane minus. " Illi au-
„ tem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante,
„ & sermonem confirmante sequentibus signis" (1). At vero Apostoli non solum nullam a seculi Principibus veniam petierunt promulgandi legem Evangelicam, sed etiam, illis quoque contradicentibus, suaque auctoritate repugnantibus, quod munus sibi Christus imposuerat, non minus alacriter, quam fortiter obierunt. Nam quum Sacerdotes, Magistratus templi, & Sadducæi manus in illos injecissent, quia Christum resurrexisse a mortuis publice testabantur, & simul congregatis in Jerusalem Principibus, Senioribus, & Scribis, illos veluti reos coram se sisti fecissent, atque iisdem denuntiassent *ne omnino loquerentur, aut docerent in nomine Jesu* (2); (nam a Petro sanatum claudum negare non poterant, atque timebant, ne populus commoveretur, si quidpiam grave in illos statuerent) " Pe-
„ trus vero, & Joannes respondentes, dixerunt ad eos: si ju-
„ stum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum,
„ judicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus,
„ non loqui" (3). Quod autem coram Principibus, Senioribus, & Scribis publice potestati fuere, ulla sine mora suo facto impleverunt, quamvis multa mala inde sibi imminere viderent. Nam in pristinam libertatem restituti non desiere confirmare miraculis, quod omnibus credendum indicebant. Quo sane factum fuit, ut Princeps Sacerdotum, & omnes, qui erant cum eo, suas manus iterum in illos injecerint, atque in publica

(1) *Marci* cap. 16. v. 20. (2) *Actorum* cap. 4. v. 18. (3) Cit. loco v. 15. & seq.

blica custodia retineri mandaverint. Quum ope Angeli ita sibi præcipientis : *ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus* (1), educti ab ea fuissent, statim *intraverunt diluculo in templum, & docebant* (2). Id autem postquam Magistratus templi, & Principes Sacerdotum intellexerunt, coram se, tamen sine vi, quia timebant, ne a populo lapidarentur, adduci jusserunt Apostolos, atque ita eos Princeps Sacerdotum alloquutus fuit: "Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis „ in nomine isto: & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, „ & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius" (3). Quid ad hæc Petrus? quid ceteri Apostoli? " Respondens aut „ Petrus, & Apostoli dixerunt : obedire oportet Deo magis, „ quam hominibus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, „ quem vos interemistis suspendentes in ligno : hunc Principem, „ & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam „ pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum. Et nos „ sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus, quem „ dedit Deus omnibus obedientibus sibi" (4). Ad hæc Principes, & Sacerdotes consentientes consilio Gamalielis legis doctoris, " Convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne „ omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos. „ Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam „ digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. „ Omni autem die non cessabant, in templo, & circa domos „ docentes, & evangelizantes Christum Jesum" (5). Tandem sicuti *Actorum* cap. 8. v. 1. legitur: " Facta est autem in illa die „ persequutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, „ & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ, „ præter Apostolos". Ad rem nostram modo veniamus. Omnino perspicuum est, Christo præcipiente, cui omnis tum in cælo, tum in terra potestas data fuerat, Apostolos promulgasse legem Evangelicam, atque ex hujusmodi promulgatione consequutum, ut multi ubique gentium Christianæ religioni nomen dederint, eamque in societatem sese univerint, cui ad veræ

(1) *Actorum* cap. 5. v. 20. (2) Cit. cap. v. 21. (3) Cit. cap. v. 28.
(4) Cit. cap. v. 29. & seqq. (5) Cit. cap. v. 40. & seqq.

veræ reipublicæ rationem nihil ſane deeſt (1). De eo quoque dubitari a nemine poteſt, Apoſtolos in promulgatione Evangelicæ legis Chriſti præcepto obſequutos fuiſſe, contradicente licet, immo ſua poteſtate contra omnino nitente ſeculari Principatu. Tandem illud quoque compertum eſt omnibus, Chriſtianam rempublicam a Chriſto habere leges ſibi proprias, obſervationemque illarum ab eodem Chriſto omnibus præceptam eſſe, ſi in æternum perire nolint. At vero collegia quod habent regiminis, poteſtatis, atque legum, a Principe rei civilis publicæ habent (2): Eccleſia igitur, quæ ſuam a Chriſto inſtitutionem habet, a Chriſto ſuas leges, atque præcepta, quæ, inquam, Chriſto præcipiente, promulgatione facta ab Apoſtolis, contra licet omni vi ſeculari poteſtate obnitente, ubique propagata fuit, eamque dum gentes, & nationes amplexatæ fuerunt, ſingularibus legibus illius, licet eſſent contra mandata Principum, ſeſe ſubjecere, collegium dici nullo modo poteſt. Ex ea ergo ratione, quam Apoſtoli in promulgatione Evangelicæ legis ſequuti fuere, Eccleſiam non eſſe collegium, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime.

§. V. Ludit ſane Pufendorfius, dum ex Apoſtolorum agendi ratione Eccleſiam eſſe collegium evincere contendit.

Citati libri §. 18. expendit munus Apoſtolorum, habita ratione doctrinæ; poteſtatis autem §. 19. Præter poteſtatem annuntiandi Evangelium, ſeculari etiam invito Principatu, *nihil penes Apoſtolos imperii*, & coactionis nos deprehendere poſſe §. 20. contendit: tandem §. 21. concludit, muneri illi, quod habebant Apoſtoli, prædicandi Evangelium, neque etiam *indirecte* vim aliquam imperii conjunctam fuiſſe. Ad oſtendendum ergo §. 18. Apoſtolos fuiſſe promulgatores doctrinæ ipſius Chriſti ea omnia Sacrarum Scripturarum teſtimonia congerit, quibus unicuique perſuaſum eſt, non ſua ab Apoſtolis, ſed a Chriſto ſibi tradita in promulgatione Evangelicæ legis annuntiata fuiſſe. Oſtendit §. 19. tum ex Chriſti verbis *Matth.* cap. 18. v. 18., tum ex *Actibus Apoſtolicis* cap. 4. v. 19., & cap. 5. v. 29. poteſtatem annuntiandi Evangelium Apoſtolis divinitus tri-

(1) Præced. §. (2) Hujus cap. §. 1.

tributam fuisse, ac propterea ea majorem, qua scientiæ humanæ tradi consueverunt. Nemo enim istas edocendi munus, invitis Magistratibus, sibi arrogare potest: Apostoli autem Divina auctoritate muniti, etiam repugnante potestate laica, suo munere defungi potuerunt. At, inquit ipse, "Per quam „ potestatem quod non intelligatur hujusmodi facultas, quæ „ per modum humani imperii sese exserat, sed potestas ho- „ mines ad salutem æternam deducendi, & ad eum finem „ media constituendi, ostenditur *Joannis* cap. 18. v. 23." Exscribit subinde locum Joannis, cui superaddit *Lucæ* alterum cap. 10. v. 10. Apostolos nihil imperii exercuisse §. 20. inde contendit, quia ab eis edocendi erant homines *sui juris*, *& puerili disciplina superiores*. *Et quid* (inquit) *vi adhibita efficerent adversus integros populos, ac civitates, inermes, singuli fere, aut bini*? Multa deinde Sacrarum Scripturarum loca citat, in quibus arma militiæ Christianæ non carnalia, sed spiritualia esse dicuntur: ad convivium quidem compellendos homines, sed sine metu, atque vi: a discipulis exercendum officium pastoris, & non male habendos illos, qui doctrinam eorum audire noluerint. Hisce autem positis, ita concludit: "Illæ „ autem dispositiones, seu statuta, quæ leguntur 1.*Corinth.* 11. „ v.2. & seqq., usque ad 22. 33. 34., 1.*Corinth.* 14., 1.*Ti-* „ *moth.* 2. v.8. seqq., 5. v.9., & si quæ alia sunt, proprie non „ proveniunt ab imperio, aut potestate legislatoria, sed a mu- „ nere docendi, & inter præcepta moralia locum sortiuntur". Non esse autem existimandum §. 21. dicit, Apostolos *saltem aliquo modo imperii quid* sibi tribuere curasse ea ratione, ut suam doctrinam subtraherent illis, qui sibi subesse nollent, suam, inquam, doctrinam, a qua hominum salus æterna pendebat. Id autem omnino abhorrere ab institutione Apostolorum dicit, & recte quidem dicit, atque aliquibus Sacræ Scripturæ locis præter ullam necessitatem confirmat. Alia deinde quædam de ministerio doctrinæ Apostolorum involvit, quæ modo a nobis, habita ratione eorum, de quibus nunc agimus, refutanda non sunt.

Sunt tamen hæc omnia futilia, atque nullius momenti ad com-

ad comprobandum, quod Pufendorfius vellet. Quis enim unquam negaverit, ab Apoſtolis in promulgatione legis Evangelicæ ea tradita fuiſſe, quæ a Chriſto acceperant? Reſpublica profectò Chriſtiana, non Apoſtolica, ab illis per univerſum mundum inſtituenda erat: in Chriſtum, non in ſe, fidem excitare debebant: præcepta Chriſti, non ſua, oportebat, ut indicerent: Sacramenta a Chriſto inſtituta, non a ſe, futura erant exteriora ſigna ejus reipublicæ, quam ipſi ubique terrarum extendere tantopere laborarunt. Quid ergo mirum ſi non ſua Apoſtoli, ſed quæ a Chriſto acceperant, in promulgatione Evangelicæ legis tradiderunt? A Chriſto ergo, non a ſeculari Principatu, quæ Apoſtoli promulgarunt, ſuam omnem auctoritatem habuere. At leges collegiorum a civili poteſtate ſuam omnem auctoritatem habent: igitur ad collegium pertinere ea, quæ Apoſtoli in promulgatione legis Evangelicæ tradiderunt, nullo modo dici poteſt. Rurſus: non ſolum ea collegiorum ratio eſſe non poteſt, ut ſuas leges a ſe habeant, ſed multo minus, ut eaſdem habeant, atque retineant, ſeculari poteſtate contradicente: ſed Chriſtiana reſpublica ſuas leges habuit, atque retinuit, ſeculari poteſtate contradicente: eſt ergo ſemper magis manifeſtum id, quod nos modo volumus.

Sicuti vero doctrina, quam Apoſtoli edocebant omnes gentes; ita etiam poteſtas, qua hac in re utebantur, ſuam omnem a Chriſto auctoritatem habebat. Quapropter ſicuti ex doctrina eorum manifeſtum eſt, Eccleſiam inter collegia numerari non poſſe; ita hoc idem eſt ex ea poteſtate inferendum, qua in promulgatione Evangelii uſi fuerunt. Collegiorum namque poteſtas a civili Principatu proficiſci debet: repugnat vero quam maxime, ut contra decreta civilis Principatus inſtituantur.

At, inquit Pufendorfius, *per modum humani imperii* hujuſmodi facultas exerceri non debebat, ſed erant *homines ad ſalutem æternam deducendi*, *& ad eum finem media conſtituenda*, Diſtinguo ſane: quatenus homines etiam inviti pertrahendi non eſſent ad profeſſionem Evangelicæ legis, & ad obſervationem

nem ejus, concedo: quasi Christiana Religio promulganda non esset auctoritate Christi, etiam invitis secularibus Principibus, iisdemque obsistentibus, ab iis quoque servanda non foret, qui illorum civili regimini subdebantur; vel etiam quatenus sine certo discrimine æternæ salutis eam amplecti, homines recusare possent, nego. Christus ergo præcepit Apostolis, ne vi aliqua ad amplectendam Christianam religionem quempiam compellerent, atque huc sane tendit *Lucæ* ille locus, quem Pufendorfius citat. Secularis item apparatus, ac quidam fastus exterior, noluit Christus, ut ab Apostolis adhiberetur in constituenda, atque propaganda Christiana republica: in quo sane laica potestas ab ea differt, quam Apostoli acceperunt. Hinc Christus *Lucæ* cap.24. & seq. inquit: " Reges „ gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui „ major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, „ sicut ministrator ". Ad hæc ergo si attendatur, potestas, quam Apostoli a Christo acceperunt, non erat *per modum humani imperii*; tamen in se verum imperium continebat, quo seculari potestate sibi contradicenti æquo jure Apostoli restitere, novam societatem condiderunt, leges divinitus acceptas illi constituere, sibi habuerunt subjectos Christiana religione initiatos, eisque propterea & præfiniere, quid agere deberent, quando de re aliqua dubium occurrebat, & etiam in peccantes publicas pœnas inflixerunt, sicuti ex *Actorum* 15. cap., & ex 1. *Corinth.* cap.5. manifestum est (1).

Quapropter ea potestate, quam acceperant Apostoli, erant quidem homines ad salutem æternam deducendi, atque ad hunc finem media constituenda; verum hujusmodi regimine, quod ab hominibus in hac vita, & super homines in hoc mundo exerceretur, eoque & aliquid auctoritatis tribueretur iis, qui præessent, & aliquid subjectionis imponeretur aliis, qui subesse deberent. Sub hoc deinde regimine res sensibiles continebantur; & mores hominum singulari ratione juxta Divinam institutionem informandi erant: exterior singularis

(1) Vide cap. 2. lib. 18.

cultus institui debebat, illaque omnia etiam exterius ordinari, quæ novæ societatis ex Divina institutione propria erant. Quomodo vero cuncta hæc præstari a quavis societate sine aliquo regimine poterant? Est ergo sane spiritualis finis potestatis illius, quam Apostoli receperunt, spiritualis etiam ipsa potestas, non tamen sine vera ratione regiminis, quod & ab hominibus & supra homines circa res quoque sensibiles, atque exteriores exerceretur.

Id autem Pufendorfius urget, quod a nemine negatur, quando contendit Apostolos, nullam vim neque adhibuisse, neque adhibere potuisse, atque etiam frustra in eos fuisse adhibituros, quos in Christiana religione initiare sibi proposuerant. Humilitate enim, tolerantia tormentorum, atque etiam innocenti effusione sanguinis una cum prodigiis, quæ hominum virtutem omnino superarent, hoc sane regnum instituendum erat, propagandum, atque ubique gentium extendendum. Illud ergo nunc tantum videamus, utrum quæ leguntur *I. Corinth.* 11. v. 2. & seqq. usque ad 22. 33. 34., *I. Timoth.* 2. v. 8. seqq., cap. 5. v. 9., *proprie non proveniant ab imperio, aut a potestate legislatoria, sed a munere docendi, & inter præcepta moralia locum sortiantur*. Apostolus Paulus *I. Corinth.* cap. 11. de ea ratione agit, qua tum mulier, tum vir in Ecclesia orare debent, atque decernit illam velato capite, istum autem non velato orare oportere. Corinthios deinde reprehendit, quod unusquisque in cœna Dominica manducare præsumeret, quæ ipse secum detulerat, atque ita fiebat, ut alius esuriret, alius autem esset ebrius. Hac vero de causa illos de schismate accusat, non ejusmodi quidem schismate, quod circa res fidei versaretur, sed circa disciplinam ejus cœnæ Dominicæ, quæ tunc in usu erat. Hinc S. Joannes Chrysostomus in epist. I. *ad Corinth.* Homil. 27. num. 2. « Si autem (inquit) „ schismata illa vocet, ne mireris. Nam, ut dixi, hac dictione „ illos incessere vult. Si vero dogmatum schismata essent, „ non ita mansuete cum illis loquutus fuisset ». Id autem ostendit pluribus exemplis, quibus Apostolum multa severitate usum fuisse constat, dum de schismatibus fidei adversis agere-

tur.

tur. Quando vero decernit Apoſtolus, qua ratione mulier, & qua vir in Eccleſia orare debeant, ſicuti obſervat S.Thomas lect.4. in caput 11. epiſt.*I. ad Corinth.* utitur "Primo quidem „ ratione, ſecundo conſuetudine, tertio præcepto, quod ſo- „ lum ſine aliis neceſſitatem induceret". Præceptum autem v. 17. exprimit illis verbis: *hoc autem præcipio*. Univerſe autem, atque generatim omnibus Corinthiis publica auctoritate hujuſmodi præceptum indicit: quod ſane eſt ejus, qui aliis cum poteſtate præeſt. Dum vero eoſdem Corinthios de ea ratione Apoſtolus coarguit, quam in cœna Dominica ſervabant, ea auctoritate utitur, quam ſuper illos habebat: nam poſtquam conſtituit, quid agere deberent, quando ad cœnam Dominicam ſimul convenirent, finem dicendi hac ratione facit: *cetera autem, quum venero, diſponam*. Hoc enim ejus tantum eſſe poterat, qui ſuper illos & imperio, & poteſtate legislativa præditus erat.

Ejuſdem epiſtolæ 14. cap. duo quoque Apoſtolus facit: primo conſtituit, quam rationem Corinthii ſequi debeant in uſu illorum donorum, quæ a Deo acceperant: deinde præcipit, ut mulieres in Eccleſia taceant, neque docere præſumant. *Prophetæ autem duo, aut tres dicant: ceteri dijudicent*, inquit citati capitis v.29., & v.34., *mulieres in Eccleſia taceant*. Illud prius dum facit, *volo*, inquit v.5.: dum vero hoc alterum; doctrinæ magiſterium in Eccleſia fœminis abſolute interdicit. Hic autem præcipiendi modus, ſemel ac ad aliquam communitatem dirigatur, ſi legislatoris non ſit proprius, non video ſane, quinam alius eſſe poſſit.

In epiſtola *ad Timotheum I.* cap. 2. v.8. ſtatuit, viros ubique orare oportere; cap.5. v.9. decernit, quales eſſe viduæ illæ debeant, quæ eliguntur. Utrumque autem cum auctoritate præſcribit: *volo ergo*, inquit, *viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione*: Et: *vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Hæc quoque non ſunt profecto docentis, ſed decernentis.

Si autem attendamus ad ea, quæ ſanxit Apoſtolus tum *I. Corinth.* cap. 11. de ea ratione, qua vir, & mulier in Ec-

 cleſia

clesia sese habere, & omnes Fideles in cœna Dominica sese gerere deberent, tum ad alia, quæ ejusdem epistolæ cap.14. sanxit de usu divinorum donorum, & de silentio servando a mulieribus in Ecclesia, tum demum ad id, quod *I. ad Timotheum* cap. 5. v. 9. & seqq. servandum constituit in electione viduarum, manifesto sane constat; falli Pufendorfium contendentem, quod omnia ista *inter præcepta moralia locum sortiantur*. Ex his autem omnibus etiam illa refutantur, quæ in eamdem rem §.31. Pufendorfius superaddit.

§. VI. Ex aliis quoque, quæ ab Apostolo gesta fuisse novimus, Pufendorfius semper magis magisque refellitur.

Pauli sane plura scripta habemus, quam cujusvis alterius Apostoli, ac propterea mirandum non est, si ex illis, quæ ab eo gesta fuisse ab eodem ipso novimus, uberius confirmari possit, quod nunc tuemur.

Apostolus in I. epistola *ad Corint.* cap. 4. v. 21. " Quid „ vultis (inquit) in virga veniam ad vos, an in charitate, „ & spiritu mansuetudinis „? Si autem in Corinthios animadvertendi nullam potestatem habuisset, virgam eis minax nunquam ostentasset. Cap. 5. ejusdem epistolæ Corinthios graviter reprehendit, quia uxorem patris sui publice retinentem æquo animo ferrent, atque communem cum ipso consuetudinem haberent. Quapropter hujusmodi hominem eorum publico judicio, sui tamen auctoritate, quam a Christo receperat, Satanæ in interitum carnis tradendum edicit: „ Ego quidem (ait) absens corpore, præsens autem spiritu, „ jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in „ nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & „ meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tra- „ dere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus „ salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi ": In altera autem ad eosdem Corinthios epistola cap. 2. eumdem fornicarium, qui veræ pœnitentiæ signa dederat, monet Corinthios, ut in suam communionem recipiant. Quapropter, postquam per epistolam experimentum obedientiæ illorum se accipere voluisse dixit, hujusmodi homini veniam indul-
fisse

fiſſe affirmat v. 6: & ſeqq. " Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt ;
„ objurgatio hæc, quæ fit a pluribus. Propter quod obſecro
„ vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim hæc
„ ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omni-
„ bus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego:
„ nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in
„ perſona Chriſti „. (1) Ejuſdem epiſtolæ cap. 10. v. 6. & ſeqq.
„ In promptu ſe habere (abſolute affirmat) ulciſci omnem
„ inobedientiam ex poteſtate, quam dedit (ſicut ipſe in-
„ quit) nobis Dominus „. Ne autem Corinthii putarent,
ſe quidem velle eos territos gravioribus epiſtolis, facta autem
verbis nunquam reſponſura, hæc ſuperaddit Apoſtolus: " Ut
„ autem non exiſtimer tamquam terrere vos per epiſtolas:
„ quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt, & for-
„ tes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contempti-
„ bilis. Hoc cogitet, qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus
„ verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto ".
Cap. 13. ejuſdem epiſtolæ v. 2., ut præſens ſe non parcat iis,
qui peccaverunt, futurum confirmat: " Prædixi, (ait) &
„ prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis, qui ante pec-
„ caverunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi venero iterum,
„ non parcam ". Unde ea etiam de cauſa talia ſcribere ad
illos dicit, ne præſens cum eis durius agere compellatur:
„ Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam ſe-
„ cundum poteſtatem, quam dedit Dominus mihi in ædi-
„ ficationem, & non in deſtructionem ". Tandem *II. Theſ-
ſalon.* cap. 3. v. 14. præcipit Theſſalonicenſibus, ne commi-
ſceantur cum eo, qui ſuis mandatis non obtemperat, ut hac
ille ratione propter confuſionem reſipiſcat: " Quod ſi quis
„ (inquit) non obedit verbo noſtro per epiſtolam; hunc
„ notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur ".
Hiſce autem omnibus poſitis, ita argumentor: eam aucto-
ritatem, quam Apoſtolus pluribus vicibus ſuper Corinthios,
atque etiam ſuper Theſſalonicenſes exercuit, ad doctrinæ
magiſterium referri non poteſt, ſed ad poteſtatem referatur
opor-

(1) Vide lib. 18. cap. 2. §. 7.

oportet, qua, & ea quidem accepta divinitus, Ecclesiæ negotia componerentur, Fidelibus præciperetur, quæ facere, vel non facere deberent, eisque mandata indicerentur cum comminatione pœnarum, atque etiam eædem pœnæ infligerentur, si non obtemperarent: falso ergo confingitur a Protestantibus, ad solum doctrinæ Magisterium referendum esse id omne auctoritatis, quod Apostoli super Fideles exercuerunt. Ex iis ergo, quæ ab Apostolo Paulo gesta fuisse novimus, Pufendorfius semper magis magisque refellitur, atque omnino perspectum fit, quam falso citati libelli §. 20. pro certo assumat: "Præter potestatem Evangelium annuntiandi, etiam ingratiis summorum imperantium, nihil penes Apostolos imperii, aut coactionis" a nobis deprehendi posse.

§. VII. Etiamsi sola docendi potestas penes Apostolos admitteretur; tamen Ecclesia dici collegium non posset.

Etiam ingratiis summorum imperantium legem Evangelicam promulgandi facultatem Christum Apostolis contulisse, Pufendorfius consentit, & nemo est Protestantium, qui contradicat, quamvis varietate opinionum hac de re, sicuti in aliis fere omnibus, inter se differant, & alii plus, alii minus civili potestati tribuant. Tota ergo, quanta est, Ecclesiæ Catholicæ doctrina non solum absque consensione civilium potestatum promulgata, atque omnibus servanda proposita fuit, sed etiam eis repugnantibus, vique omni sua utentibus, ne promulgaretur, ac servaretur. Rursus: hac doctrina Ecclesiæ Catholicæ omnes ad vitam omnino aliam a priori informandi erant, non solum fidei interioris habita ratione, sed etiam morum, atque eorum omnium, quæ ad exteriorem vitæ cultum, & eum quidem etiam sensibilem, atque in rebus sensibilibus positum, referuntur. Item: civilibus legibus obtemperandum non erat, semel ac illis quidpiam præciperetur, quod Christianæ religionis decretis adversaretur: demum propter Christianam religionem semel receptam societas cum aliis quoad ea omnia interrumpenda erat, quæ ad Divinum cultum spectabant. Ecclesia igitur quum suam doctrinam, leges, atque

que præcepta non solum a laico Principatu non habeat, sed etiam, ipso repugnante, habeat; quum doctrina, legibus, atque præceptis illius, independenter a civili potestate, ad vitam omnino aliam a priori informentur homines non solum interius, sed etiam quoad plures actus exteriores; quum auctoritas præceptorum Christianæ religionis supra auctoritatem legum civilium prævalere debeat; quum demum propter Christianam religionem semel receptam societas quoque cum aliis interrumpenda sit, quoad ea omnia, quæ ad Divinum cultum spectant; nemo non videat oportet, etiamsi attendatur ad solam docendi potestatem, quam Apostoli habuerunt, Ecclesiam dici collegium nullo modo posse. In eo enim collegii natura posita est, ut regimen ejus, potestas, atque leges a civili potestate pendeant.

§. VIII. Ecclesiam non esse statum Pufendorfius inde falso colligit, quia ejus est docere Fideles.

Citato Opusculo *De Habitu religionis Christianæ ad vitam civilem* §. 30. illud primo reponit, Ecclesiæ vocem ex prima sui origine non significare " Statum aliquem, sed certam affe„ ctionem reipublicæ Democraticæ, quippe quum consensum „ suum commode declarare multi homines vix possint, nisi in „ uno loco convenerint ". Fatetur tamen Ecclesiæ nomine aliquando accipi " Universam Fidelium multitudinem ubique lo„ corum agentem, aliquando cœtum Fidelium unius provin„ ciæ, oppidi, vel etiam privatæ domus. Utroque significatu „ si Ecclesiæ attributa, (inquit) & actiones consideremus, (& „ his quippe in moralibus de alicujus rei indole judicari solet) „ nihil invenimus, quod statum arguat. Frequentissimum elo„ gium eorum, ex quibus Ecclesiæ componuntur, est, quod „ sancti, & fratres, & redempti sanguine Christi appellantur. „ Frequentissimæ actiones audire verbum Dei, laudare Deum, „ preces fundere, exercere opera charitatis, versari in timo„ re Domini, jejunare, curam agere pauperum ". Unde post nunnulla alia ita colligit: " Est igitur actio Ecclesiæ constitue„ re doctores; tamen non est actio propria status. Nam id ju„ ris etiam privatum collegium, quod civitati subest, habere

„ po-

„ potest". Multa deinde ex Sacra Scriptura commemorat; quæ spectant ad institutionem doctrinæ, atque animadvertit „ ingressu in Ecclesiam non aboleri personam, quam quis in „ vita civili gessit, seu, suscepto Christianismo, non induci no„ vam personam civilem, quæ priorem personam aboleat". Tandemque in fine §. hæc habet: " Hæc igitur omnia si ex„ pendantur, nihil occurrit, quod statum aliquem, & impe„ rium mundanum, aut huic compar arguat".

Eam sane rationem primo expendamus, ob quam Pufendorfius statuit, Ecclesiam ex prima sui origine non significare statum aliquem, sed certam affectionem reipublicæ Democraticæ: quia, ipse inquit, consensum suum commode declarare multi homines vix possunt, nisi in uno loco convenerint. Ita ne vero? Profecto in aliquam societatem, statum, rempublicam multi, quamvis inter se longe dissiti, unaque simul nullo modo coeuntes, consentiunt, semel ac Supremo capiti illius sese submittant, aliis Præsidibus subjiciantur, ejusdem societatis, status, reipublicæ leges, statuta, decreta profiteantur, præceptis ejus suam vivendi rationem conformare decernant, indeque illam exuant, quam antea tenebant, semel ac huic alteri contraria sit. Falso ergo Pufendorfius contendit, Ecclesiam ex prima sui origine non significare statum aliquem, quia consensum suum multi homines declarare vix possunt, nisi in uno loco convenerint. Legum unitas, subjectio erga idem caput, hæc sane sunt, quæ homines in eamdem societatem, statum, rempublicam simul conjungunt, non vero eorumdem simul unitorum in unum locum conventus.

Quod sancti, fratres, & redempti sanguine Christi dicantur ii, qui spectant ad Ecclesiam, non efficit sane, ut in verum statum, atque rempublicam simul conjungi non possint, & revera non conjungantur. Audire autem verbum Dei, laudare Deum, preces fundere, exercere opera charitatis, versari in timore Domini, jejunare, curam agere pauperum, atque alia similia, sunt quidem actiones, quæ in Ecclesia frequentius exercentur. At vero Ecclesia anne hæc tantum habet? Nonne in ea sunt quoque ministeria illorum, qui præsunt,

& Chri-

& Christianam rempublicam regunt? nonne potestatem clavium nonnulli in ea habent? nonne puniendi delinquentes auctoritatem? nonne totum Catholicæ Ecclesiæ corpus & unum Supremum caput habet, a quo suprema auctoritate regitur, atque gubernatur, & alios inferiores Præsules, quibus singulæ ejus partes similiter regantur, & gubernentur? anne in Christiana republica aliquid eorum deest, quod ad verum Principatum requiratur? sunt hæc omnia perspicua tum ex iis, quæ supra disseruimus (1), ac multo magis etiam ex aliis, quæ lib. 20. cap. 3. & 4. fuse disputavimus. Verum Pufendorfius quod esse in Ecclesia non volebat, sese non vidisse sibi visus fuit.

At est actio Ecclesiæ constituere doctores, quæ tamen non est actio propria status, quum id etiam collegia facere possint: verum Ecclesia & in hac sola actione non versatur, & quomodo ipsa versatur, collegia versari non possunt. Prius constat ex iis, quæ modo, alterum ex aliis, quæ in præcedenti §. disseruimus.

Suscepto autem *Christianismo*, *non indui novam personam civilem*, *quæ priorem personam aboleat*, hoc est, eam, quam quis in vita civili gessit, Pufendorfio assentimur. Quid inde? anne propterea fieri non potest, ut qui dant nomen Christianæ religioni ad civilem rempublicam, sicuti antea spectabant, amplius spectare non possint, & quoad ea, quæ quovis modo ad religionem spectant, regimini Ecclesiæ subjici civili autem quoad alia, quæ politicam vitam respiciunt? Hoc sane est, quod Pufendorfius contendit, quemadmodum citati Opusculi §. 41. sese clarius explicat hisce verbis: « Citra contradictionem (inquit) & absurditatem intelligi non posse, ut duo » status, duoque summa imperia humana, & his respondentes in civibus obligationes in una civitate extent ». At vero, uti habet Christianopulus in Diatriba *De Ecclesiastica potestate* cap. 1. §. 2. num. 15. « Quum Ecclesiæ aliud sit, aliud » civili reipublicæ propositum genus rerum, utraque autem » potestate sua propria, suoque in genere summa regatur; pla-

 » num

(1) Hujus cap. §. 2. & seqq.

„ num est reipublicæ, hoc est, *status*, ut vocant, rationem „ utrique convenire; falsoque adeo illud a Pufendorfio esse di- „ ctum, pugnare, ut *status* in *statu* sit, perinde ac si nihil in- „ tersit, utrum unius generis uterque *status*, quod sane absur- „ dum, & pugnans esset, an diversi sit generis, in quo non „ modo nulla est pugna, sed mirifica etiam concordia est, eo „ prorsus modo, ac naturam gratia non tollit, sed confirmat, „ ac perficit. Nam & a natura civilis potestas oritur, & a gra- „ tia Ecclesiastica". Simul consistere posse regimen tum civile, tum Ecclesiasticum, quia utriusque est diversa potestas, diversa media, diversusque etiam finis, ipse quoque Pufendorfius vidit: unde hanc responsionem suæ argumentationi statim superaddidit, inquiens: " Ecclesiam, & rempublicam diver- „ sos habere fines, & circa objecta occupari sibi invicem „ non repugnantia". Quid vero ille ad hæc, ut ea argumentatio, qua usus fuerat, saltem aliquo modo apparenter, vim suam retineret? " Inde hautquaquam (inquit) con- „ sequitur, Ecclesiam in statum convertendam". Acuta sane evasio, quæ nodum difficultatis nedum non solvit, sed ne quidem attingit. Ecclesiæ autem veram rationem status tribui oportere, nos abunde jam confecisse arbitramur (1).

§. IX. Notionem ipsius status, seu Reipublicæ Ecclesiasticæ Pufendorfius turbat, ut ab Ecclesia status, seu reipublicæ rationem adimat.

In hunc ergo modum Pufendorfius in defensionem sui erroris habet citati Opusculi §. 21. Cujuslibet status præcipuus finis est securitas: hæc vero ut habeatur, opus est multis, qui, animis, atque viribus simul conjunctis, vim illatam repellere possint. Nomen autem Ecclesiæ iis quoque cœtibus Christianorum tribuitur, qui intra unius oppiduli fines, aut etiam familiæ constringuntur; atque Christus sese in medio duorum, aut trium futurum prædixit, qui in suo nomine congregarentur. Christi autem præsentia fit, ut ea omnia habeantur, quæ ad Christianam religionem requiruntur. Deinde ad finem Christianæ religionis necessaria non est

(1) Vide hujus cap. præcedentes §§.

est ea multitudo hominum, sine qua status haberi non potest. Ut enim quis salvus fiat, utrum cum multis aliis, an vero cum paucis vivat, nihil interest; indeque est, ut quamvis major Ecclesiæ pars deleretur, qui remanerent Fideles, suum finem assequerentur: quod tamen in statibus contingere non posset. Nam deleta majori parte civium, nullus amplius locus ei fini remanet, qui in ipsa institutione civitatis præintentus fuit. His accedit, in Ecclesia nihili ea fieri, quæ statibus decori, atque ornamento maximo esse solent, uti sunt divitiæ, nobilitas generis, atque doctrina. Qui enim opibus, nobilitate generis, atque sapientia non pollent, ii profecto, monente Apostolo *I. Corinth.* cap. I. v. 20. & seqq., veri Christiani habendi sunt. Sine territorio tandem status haberi non potest. Hinc est, ut quis, si in alium ab eo, in quo antea erat, statum sese conferre velit, in alium quoque locum commigrari debet. At vero neque Christus, neque Apostoli in alias sedes Christianos transtulerunt, sed unumquemque illorum eo sub imperio degere permiserunt, in quo antea erat, ac propterea neque etiam maxima multitudo Christianorum in quempiam statum assurgere potuit. Hujus autem rei illud quoque evidens argumentum esse debet, quia Christiana religione nihil de eo jure detractum fuit, quod Principatus proprium est.

De eo fine, ob quem Christus Ecclesiam instituit, deque ratione etiam, qua illam propagatam voluit, hujus cap. §. 3. satis est disputatum a nobis, dum ad ea respondemus, & illa quidem ejusdem profecto generis, ac ista, quæ contra Catholicam veritatem Pufendorfius opponit. Quare non est, cur modo rem jam actam agamus. Propter diversitatem vero institutionis, atque finis reipublicæ tum civilis, tum Ecclesiasticæ in iisdem gentibus, nationibus, & locis utramque simul uniri posse, atque revera uniri, Pufendorfiumque quoad rem istam implicatum hæsisse, est quoque jam observatum a nobis. Ludit ergo Pufendorfius dum animos multorum simul unitos, & vires una conjunctas ad injuriam propulsandam in Ecclesia requirit: ludit, dum in

Ecclesia multitudinem hominum ob eumdem finem postulat, ob quem respublica civilis eamdem exigit: ludit, dum opponit nihili fieri in Ecclesia ea omnia, quæ in republica civili in magno pretio habentur, simulque etiam Apostolum in pravum sensum detorquet, quasi omnis doctrina in Ecclesia despectui esset, & Apostolus non reprobaret sapientiam secundum carnem: ludit, dum singulariter territorium in Ecclesiæ statu desiderat: ludit, dum Christum, & Apostolos noluisse dicit, ut in alias sedes ii transferrentur, qui Christianæ religioni nomen darent: ludit, quando Christiana religione nihil de eo jure deractum dicit, quod proprium est civilis Principatus. Semper enim falso supponit, statum in statu esse non posse, quamvis eorum sint diversæ institutiones, atque omnino diversi etiam fines, quæque uni sunt propria, alteri esse non possunt.

Est ergo nunc in eo tantum confutandus a nobis, quod de Ecclesia falso supponit. Ecclesia itaque, cujus nomine hic intelligimus societatem Christianorum, qui longe lateque per orbem terrarum diffusi, sub uno visibili capite eamdem fidem profitentur, atque eorumdem Sacramentorum usu, ceu nexu quodam mutuo colligantur, ac veluti in unum corpus coalescunt, Ecclesia, inquam, & una, & Catholica est. Inquit enim Apostolus *Roman.* cap.12. v.4. & seq. "Sicut enim „ in uno corpore multa membra habemus, omnia autem mem„ bra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus su„ mus in Christo, omnia autem membra non eumdem actum „ habent". Et *I. Corinth.* cap.12. v.12. & seq. "Sicut enim „ corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem „ membra corporis quum sint multa, unum tamen corpus „ sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos „ in unum corpus baptizati sumus". Est etiam Ecclesia universalis, habita ratione tum locorum, tum conditionis personarum, tum durationis, tum etiam doctrinæ. Nam *Psalmo* 71. v. 8. de Christo regnante in Ecclesia prædictum legimus: „ Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad „ terminos orbis terrarum". Et *Matth.* cap.28. v.10. Christus in

in hunc modum præcepit Apostolis: " Euntes ergo docete
" omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii,
" & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque
" que mandavi vobis ". Est etiam universalis ob conditionem personarum: hinc *Psalmo* 21. v.8. & seq. ita legimus: " Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt
" in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Do-
" mini est regnum, & ipse dominabitur gentium ". Est universalis quoad durationem juxta illam promissionem Christi *Matth.* ult. v.20. " Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus
" usque ad consummationem seculi ". Demum ob doctrinam est quoque universalis, quia docet, quæ credi, & fieri, aut vitari debent. Quum ergo Ecclesia non minus una sit, quam universalis, extenditur ubique gentium, & in vilioribus quoque oppidulis dilatatur. Quæ ergo Ecclesiæ singulares dicuntur, sive eæ sint in insignioribus civitatibus, sive in locis obscurioribus, sunt unius ejusdemque universalis Ecclesiæ partes, sive est eadem Ecclesia universalis in hæc, vel illa loca diffusa. Non est ergo mirandum, si omnibus Christianorum cœtibus cum uno primo capite fide conjunctorum Ecclesiæ nomen tribuatur. Spectant enim omnes ad unam, atque universalem Ecclesiam, quæ ubique diffunditur, atque dilatatur; multoque etiam minus mirandum est, Christum dixisse, se in medio duorum, vel trium esse, qui in suo nomine sese congregaverint. Ii enim in nomine Christi congregantur, qui sunt membra Ecclesiæ Catholicæ, quæ ob suam unitatem indivisa manet, ob universalitatem nullibi non extenditur. Ad salutem ergo uniuscujusque illud quidem parum refert, utrum cum multis, vel paucis Catholicis simul convivat; refert autem quam maxime, immo omnino necessarium est, ut cum universali Ecclesia Catholica sit communione conjunctus, atque intra ipsam contineatur (1). Verum Pufendorfius idem de Ecclesia Catholica judicium facit, ac de sua Protestantium. Huic enim ratio status nullo modo convenire potest, quum unum caput non habeat, a quo regatur, unam fidem,

(1) Vide hac de re singularem Cypriani locum lib.25. cap.2. §.1.

fidem, eademque sensibilia signa, unamque doctrinam: nam ipsi Protestantes quoad hæc omnia inter se divisi sunt. Ex his autem omnibus manifestum est, notionem status, seu reipublicæ Ecclesiasticæ a Pufendorfio turbari, ut ab Ecclesia status, seu reipublicæ rationem adimendam evincat.

§. X. Pufendorfius frustra turbare pergit notionem Ecclesiasticæ reipublicæ, ut evincat, quod ipse vellet.

Citati Opusculi §. 32. illud refricat, suæ securitati, atque incolumitati ut consulerent, in unam homines societatem coaluisse, indeque quempiam, aut aliquos sibi præfecisse, a quibus regerentur. In instititutione vero Ecclesiarum idem servatum non fuisse animadvertit, quum homines inter se conventionem non inierint de ea societate constituenda, qua Ecclesia constat, sed singuli, nulla aliorum habita ratione, Jesu Christi legem amplexati fuerint. " Quum ignorantiæ tenebris circumfusi (inquit) salutisque suæ securi agerent, „ Deus demum permissos a se annuntiavit, & præcepit, ut „ omnes ubique resipiscerent, *Actor.* 17. 30. " Hinc observat, id quoque versari discriminis inter societatem civilem, atque Ecclesiasticam, ut in illa una cum patrefamilias ceteri omnes, qui ei subesse debent, membra efficiantur ejusdem civilis societatis, in ista autem neque uxor, neque filii, si nolint, conditionem patrisfamilias sequantur.

A Cristo enim Servatore nostro hujusmodi societas suam primam originem habet, ejus divina dispositione ordinata est, munita præceptis tum fidei, tum morum, exterioribus sensibilibusque signis ab omni alia distincta, supremo cuidam capiti subjecta, suis Præsidibus regenda tradita, illius sacra ministeria distributa. Homines ergo non quidem ut incolumitati hujus vitæ, sed ut alterius æternæ felicitati prospicerent, Christianam religionem amplexi fuere, ejusque se se legibus subjecerunt, quæ sane aggregatione illorum extendenda quidem erat, nullo autem modo instituenda, quum jam ipsa Ecclesia quoad sui institutionem nihil a Christo determinatum non haberet. Ad hoc autem necesse sane non erat, ut plures antea hac de re simul conveni-

venirent, sed sufficiebat, ut unusquisque per se in Christianam societatem sese recipere posset. Aliunde autem præcepto Christi indictum est omnibus, si perire in æternum nolint, ut religionem Christianam amplectantur: unde mirandum non est, si dum agitur de hac societate, uxor, & filii, etiam invito patrefamilias, in eam se recipere possint, vel illo deserente hanc societatem, cui & ipse nomen semel dederat, uxor, & filii ejus in eadem recte, atque æquo jure persistant. Ex hoc tamen nullo modo consequitur, ut non sint amplius membra ejus civilis societatis, cujus antea erant, ac propterea, civilis societatis habita ratione, eadem tum patrisfamilias, tum uxoris, atque filiorum, conconditio subsistit.

Quoniam vero Pufendorfius hoc quoque in §., sicut in aliis, modo *circa plantandas Ecclesias*, modo in *constituenda Ecclesia* aliam rationem servatam fuisse dicit, ac in institutione civilium societatum; ideo nunc illud advertendum putamus, etiam dum singulares Ecclesiæ constituerentur, vel ut magis distincte loquamur, dum Ecclesia magis magisque propagaretur, eumdem modum servari non potuisse, quem homines in institutione civilium societatum retinuere. Nam novus tunc status non condebatur, sed qui erat a Christo institutus, & quoad omnia ordinatus, magis magisque extendebatur, & alii, atque alii in eum cives confluebant. Quapropter sicuti Ecclesiæ generatim consideratæ institutio consensione, & mutuo consilio hominum fieri non potuit; ita etiam institutio singularum Ecclesiarum, seu propagatio unius ejusdem Ecclesiæ universalis fieri institutione, & mutua consensione hominum non poterat, sed eorum tantum fuit dare nomen statui semel a Iesu Christo instituto, atque ordinato etiam quoad ea omnia, quæ ipsius status ratio requirit.

§. XI. Ex ea ratione, quam Doctores Ecclesiæ tenent, Ecclesiam non esse statum, Pufendorfius suadere frustra pergit.

Doctorum igitur Ecclesiæ rationem omnino diversam ab ea

ab ea esse; quam ii quoque imperantes tenent, qui imperium ab electione habent, Pufendorfius citati Opusculi §. 33. in rem suam animadvertendum censet. Nam dum quispiam, sicuti ipse attendendum monet, super alios imperii culmen assequitur, suam subditi voluntati illius subiiciunt, profitenturque ea se omnia esse servaturos, quæ ad utilitatem boni communis ille præceperit. At vero accedentes ad Ecclesiam voluntati doctorum suam non subiiciunt, neque suam fidem submittunt fidei illorum, sed Dei voluntati subduntur, atque ultimo in ipsum Deum suam omnem fidem referunt. Hoc totum præter ullam necessitatem confirmat pluribus Sacrarum Scripturarum locis. Protestantium deinde errorem illum tuetur, Sacras Scripturas unumquemque interpretari posse: quem quidem errorem illius, ut nunc refellamus, instituti nostri ratio non patitur (1).

At quisnam unquam dixit, Christianam religionem talem esse, ut in ea fides ad magistros, atque doctores ultimo referatur, quasi vero præcepta doctorum, non vero Jesu Christi in se contineret? Christiana religio a Christo dicitur, non vero a Petro, & Apostolis, atque eorum successoribus. Quare Apostoli quod divinitus sibi traditum acceperunt, Fideles docuerunt, Ecclesiæ autem pastores omnes, atque doctores doctrinam Apostolorum Ecclesiis promulgarunt. " Sane quum nos omnes (inquit S. Athanasius Orat. I. „ *cont. Arianos* num. 3.) a Christo Christiani essemus, & no„ minaremur, ejectus est olim Marcion hæresis auctor: at„ que hi quidem, qui cum illo permanserunt, qui Marcio„ nem expulit, Christiani nomen retinuerunt; qui vero se„ quuti sunt Marcionem, Marcionitæ deinde sunt appel„ lati ". Commemoratis deinde nonnullis aliis hæreticis, qui a Magistro suo nomen suæ sectæ acceperunt, ita de Christianis habet: " Tametsi enim Magistrorum successores „ ha-

(1) Vide quæ contra hunc errorem disseruimus *Theologicæ* nostræ *Revelatæ*, lib. 3. qu. 4. art. 2. in quo demonstravimus esse illum cum Deismo conjunctum.

„ habemus, quorum efficimur discipuli; tamen quia ea, „ quæ sunt Christi, nos illi docent, Christiani nihilominus „ & sumus, & dicimur. At qui sequuntur hæreticos, in- „ numerabiles licet successores habuerint, ejus semper no- „ mine, qui hæresis inventor fuit, appellabuntur". Quare quum Doctores in Ecclesia novum statum non constituant, sed Jesu Christi rempublicam nutriant eo doctrinæ pabulo, quod ab eo ex Divina traditione acceperunt, nihil minus requiri potest, quam ut Fideles aut voluntati eorum suam eadem ratione submittant, ac cives suo Principi, aut in fidem eorumdem suam ultimo referant. De fide ergo habenda a Doctoribus Fideles edocentur, eisdemque etiam subiiciuntur uti rectoribus a Deo sibi datis, quibus quoad omnia munera Christianæ reipublicæ gubernentur.

§. XII. Pufendorfius falso supponit nullum in Ecclesia vinculum esse, quo status illius connectatur.

„ Quum itaque (ita citati Opusculi §. 34. auspicatur) „ in Ecclesiis particularibus ingens difformitas a statu adpa- „ reat; disquirendum est, utrum forte istæ Ecclesiæ inter „ se junctæ magnum aliquem statum absolvant". Omnibus Ecclesiis statum aliquem non constitui, perspectum esse affirmat ex institutione Christi dicentis: *Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ*. Nam neque certus locus designatur, ex quo ipsa ratio regiminis diffundatur in ceteras partes, neque cuipiam, aut aliquibus regendi alios munus committitur, neque modus ostenditur, quo ceteri cum ipsa sede regiminis communicare possint, quæ quidem communicatio fieri non poterat, ut obtineretur, tum habita ratione totius orbis, tum etiam dissidiorum, quæ erant inter civitates. Esse quidem Fideles unum corpus, baptismate hausisse unum spiritum, haberi oportere instar unius ovilis, quod uno pastore regatur, omnes vocatos in unam spem vocationis, ac propterea unam eorum fidem esse, unum baptisma, unum Dominum, mutua invicem charitate manere unitos, atque vocari fratres, ex Sacris Litteris nos certo quidem novisse concedit: verum "sunt hæc

 „ omnia

„ omnia (inquit) vincula sacrosancta, sed ad constituendum, „ & connectendum aliquod corpus mysticum, non ad regnum aliquod de hoc mundo idonea. Et possunt hæc „ omnia inter se communia esse illis, qui in diversissimis statibus degunt; quum nihil horum dependentiam aliquam „ ab imperio hominis notet, involvat ".

Singularibus Ecclesiis non constitui status singulares tandem aliquando Pufendorfius contra nos, sicuti sæpius fecit, amplius non urget, sed ad illud ostendendum sese vertit, neque etiam universali Ecclesiæ convenire rationem status. At vero in Christiana republica est sane designatus certus locus, a quo suprema ratio regiminis in ceteras partes extendatur: nam Christus supremum visibile caput totius Ecclesiæ Petrum constituit, atque Petri successores eumdem super universam Ecclesiam locum tenent (1). Ab eo ergo loco, in quo Petri successores degunt, suprema ratio regiminis in totam Ecclesiam derivatur, indeque est, ut omnes Fideles cum successoribus Petri tum fidei, tum communionis unitatem servare debeant (2). Est quoque in republica Christiana nonnullis demandatum ex Divina institutione munus regendi alios: commisit enim Christus Episcopis, ut suam Ecclesiam regerent, Presbyteris autem tam supra suum corpus verum, quam supra mysticum facultatem contulit. Aliunde autem Fideles eamdem fidem profitentur, eorumdem Sacramentorum usu, ceu nexu quodam mutuo inter se colligantur, unum idemque doctrinæ pabulum habent a suis pastoribus, atque ita fit, ut sicuti pastores cum Supremo totius Ecclesiæ capite tum fide, tum communione conjuncti sunt; ita etiam omnes Fideles conjugantur. Non solum ergo falsum est, fieri non posse, ut omnes Fideles, quaquaversum per totum orbem diffusi, cum ipsa sede regiminis communicare non possint, quemadmodum Pufendorfius contendit, sed revera communicant, & secundum eam quidem rationem, qua nulla magis conjuncta esse potest.

„ Hanc

(1) Vide quæ in pluribus capitibus disputavimus lib. 17. & seqq.
(2) Vide cap. 1. & 2. lib. 25.

„ Hanc prædicationem (inquit S. Irenæus lib. 1. *cont. Hæreses* „ cap. 10. num. 2.) quum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: & similiter credit iis, quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sint, sed tamen virtus traditionis una, & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Hiberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi constitutæ: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus, & idem est; sic & lumen prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire ".

Quando autem Pufendorfius dicit, vincula Christianæ reipublicæ esse quidem Sacrosancta, tamen ordinata tantum ad constituendum mysticum corpus, non vero regnum de hoc mundo; distinguimus: si nomine regni de hoc mundo, politicum regnum intelligat, quale est penes imperantes seculares; ei assentimur: si autem accipi velit tale regnum, in quo supremus visibilis Monarcha, & alii Præsules ad instar regnorum politicorum non habeantur, quorum sit cum auctoritate, atque potestate regere alios non solum quoad ea, quæ interius credere, sed etiam quoad alia, quæ in suis actionibus exterioribus secundum Christianam religionem servare debent; illi nullo modo assentimur. Rursus: quando superaddit, hujusmodi vincula non notare, aut involvere dependentiam ab imperio hominis; distinguimus: quatenus sunt ea constituta divinitus, & quatenus ad spirituale bonum, atque ad æternam felicitatem alterius vitæ per se referuntur; concedimus: quatenus homines per ea vincula in unam societatem visibilem non coadunantur, in qua & Supremum caput, & alii Præsules non habeantur, qui legislativa

testate, & ea quidem coactiva, præditi sint(1); ac propterea illis alii omnes obtemperare debeant; negamus. Vincula ergo Christianæ religionis sunt quidem ejusmodi, ut licet non constituant rempublicam politicam; tamen eam sane constituunt, cui ad veræ reipublicæ rationem nihil deest, quemadmodum ostendimus.

§. XIII. Nullius esse usus, ut Christiani in unum statum coalescant, Pufendorfius falso contendit.

„ Ut idonei doctores (inquit Pufendorfius cit. Opusculi §. 35.) in Ecclesiis ubique constituantur, iidemque officium suum rite obeant, a singulis cœtibus longe promptius, & accuratius effici potest, utpote qui suos norunt, & sub oculos habent, quam ab uno aliquo, utut sapientissimo, qui in remotis locis agit.... Sed nec propter lites doctorum Ecclesiæ inter se, aut cum aliis opus est peculiare tribunal erigere, quæ nullibi commodius, quam in ea civitate, ubi degunt, decidi possunt; nec ulla ratio est, ut isti defungere velint judices, quos reliqui cives agnoscere tenentur. Colorem aliquem habet; quod jactatur, melius, & firmius unitatem fidei conservari, controversias componi, ac hæreses compesci, atque extingui posse, si in unum statum coaluerint omnes per orbem terrarum Ecclesiæ, & ab uno capite, sive Pinceps is sit, sive senatus e pluribus constans regantur „. Huc usque Pufendorfius contra statum Ecclesiæ. Sese deinde vertit contra auctoritatem, & infallibilitatem unius Supremi judicis quoad totam Ecclesiam, de qua re nos satis superque egimus lib. 23., atque nonnulla iterum refricat contra statum Ecclesiæ, tam si ea spectetur, antequam Imperatores Christianæ religioni nomen darent, quam postquam dederunt; de quorum falsitate abunde constat ex iis, quæ §. 4. & seq. jam disseruimus.

Quod ergo Doctores, hoc est Episcopi, a singulis cœtibus, & quidem etiam hac, vel illa ratione eligantur, vel eligantur ab uno, aut a pluribus, quibus merita personarum etiam

(1) Vide cap. 3. lib. 19.

etiam longe dissitarum perspecta esse possunt, nihil sane refert ad eam rationem status, quem Ecclesia in se continet. Inde vero est, ut non una semper hac de re in omnibus locis Ecclesiæ disciplina fuerit, sed citra nullum detrimentum ejus regiminis, quod Ecclesiæ proprium est, modo unum, modo alterum servatum fuerit. Fidei vero unitatem servari, non dicam melius, atque firmius, sed unica ratione posse, si in unum statum omnes Ecclesiæ per orbem terrarum coaluerint, non aliquem colorem, sed omnino manifestam evidentiam habet (1). Nunc illud tantum a nobis urgendum esse putamus, semel ac inter duos, vel multos contentio aliqua oriatur, nullum ei finem imponi posse, si supremum aliquod tribunal non habeatur, cujus auctoritati tum illi, tum isti morem gerere, atque omnino acquiescere debeant. Sed de re ista satis.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. I. Hierarchiæ notio traditur, atque explicatur.

Utrum Hierarchia dicenda sit *Principatus sacrorum*, vel *sacer Principatus*, haud æque certum est apud omnes. Petavius *de Theologicis Dogmatibus* lib. 2. de Angelis cap. 2. num. 2. Hierarchiam *Principatum sacrorum* dicendam esse tuetur juxta Maximi sententiam initio *Scoliorum in cælestem Dionysii Hierarchiam*. Ex antiquis, quemadmodum etiam idem Petavius observat, Hierarchiam *sacrum Principatum* dici oportere, affirmat S. Thomas I. par. qu. 108. art. 1., Gulielmus Parisiens. par. 2. de *Univer.* cap. 144., Dionysius Carthusianus art. 16. in cap. 3. Dionysii, ex recentioribus autem Cellotius lib. 1. *de Ecclesiastica Hierarchia* cap. 2., Hallerius item *de Ecclesiastica Hierarchia* lib. 1. sect. 2. cap. 1., & Mamachius

(1) Id constat ex iis, quæ lib. 25. cap. 1. disseruimus, tum ipsius traditionis habita ratione, tum eorum omnium principiorum de quibus singillatim egimus, quæ cum hac nostra veritate necessariam connexionem habent.

chius *Origin.*, *& Antiquit. Christian.* lib. 4. cap. 3. §. 4. Vocum autem græcarum, quibus Hierarchiæ nomen componitur, si ratio habeatur, *sacrum Principatum* eo significari, Hallerius observavit, atque exemplis in medium adductis, effici a Petavio non potuisse, ut *sacer Principatus* non significaretur, Mamachius animadvertit. Istorum nos sententiam sequimur, atque Hierarchiam *sacrum Principatum* dici debere, inde quoque putamus, quia Hierarchia constat personis in Ecclesia Catholica singulari auctoritate, atque dignitate præfulgentibus, quemadmodum a Tridentinis Patribus se f. 23. can. 6. hisce verbis definitum legimus: " Si quis dixerit in „ Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina ordinatio„ ne institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, „ & Ministris, anathema sit ". Principatus autem ad personas referendus est, non ad ea, quæ Principatui subjiciuntur. Refertur autem ad personas, si *sacer Principatus*, ad ea autem, quæ subjiciuntur, & materiæ loco haberi debent, si *sacrorum Principatus* Hierarchiæ nomine intelligatur.

Si ergo Hierarchia per se spectetur, definiri potest gubernandorum Sacrorum potestas, & functio, sicuti a Maximo initio *Scholiorum in cælestem Dionysii Hierarchiam* traditum accepimus, itemque etiam præfecturam Sacrorum, cujus quidem præfecturæ in Ecclesia diversi sunt gradus, quibus curandorum Sacrorum diversa potestas, variaque jura sacrarum functionum obeundarum respondent, ut constat in Episcopis, Presbyteris, atque Ministris. Summus autem in hac Hierarchia magistratus obtinetur ab Episcopis, atque imprimis a Romano Pontifice.

Eorum autem habita ratione, in quibus Hierarchia tamquam in sua materia versatur, non solum Antistites, atque administros Ecclesiarum in se complectitur, sed etiam alios, qui iisdem Antistitibus, atque administris subjecti sunt. Quum enim Hierarchia sit sacer Principatus, atque Principatus duo sane complectatur, hoc est, & Principem, qui dominatur, & eos omnes, supra quos idem Princeps dominatur; consequens inde fit, ut Hierarchia non solum Antistites, atque administros

ſtros Eccleſiarum in ſe complectatur, ſed etiam alios, qui iiſdem Antiſtitibus, atque adminiſtris ſubjecti eſſe debent.

Munera Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſunt triplicis generis, quemadmodum Mauclerus *De Monarchia Eccleſiaſtica* 2. par. lib. 4. cap. 8. ex S. Dionyſio *Cæleſt. Hierarchiæ* cap. 5. & 6. animadvertit: primum eſt, *Divini verbi prædicatio*: alterum; *Sacramentorum adminiſtratio*: tertium; *gubernatio*, ſeu *regimen animarum*. " Quas operationes (inquit idem Auctor) triplici „ diſtinctas genere S. Dionyſius verbis expreſſit aliis, actus „ hierarchicos tripartito diſtribuens, docenſque ad Eccleſia„ſticum miniſterium, atque regimen tria illa pertinere, vi„delicet: *purgare*, *illuminare*, & *perficere*. Purgationem pa„rit Divini verbi prædicatio; illuminationem Sacramentorum „ adminiſtratio, quibus Fidelium mentes gratiarum ſplendori„bus illuſtrantur, prout S. Dionyſius interpretatur; perfe„ctionem vero pariunt illi, qui alios canonico regimine, di„rectioneque moderantur: quales ſunt Epiſcopi, Prælatique „ majores, quos ideo idem Sanctus *perfectiores* appellat. Qui„bus officiis, muneribuſque miniſtros Deus in ſua præfecit „ Eccleſia ſummo omnes Paſtori ſubditos, cui cum plenitudi„ne poteſtatis omnem ſuæ Eccleſiæ ſollicitudinem, curamque „ credidit ". Hiſce præmonitis, nunc de ceteris, quæ ſpectant ad hoc noſtrum doctrinæ caput.

§. II. Si Hierarchia ſecundum ſe totam ſpectetur, non minus in ea eſſe debent, qui præſint, quam qui ſubjiciantur.

Dum modo Hierarchiæ notionem explicaremus, ſacrum eam Principatum eſſe diximus, illorum habita ratione, in quibus eſt Hierarchica poteſtas: ſi autem Hierarchia ſpectetur per ordinem ad ea, circa quæ verſatur; tunc non ſolum Antiſtites, & adminiſtros Eccleſiarum in illa contineri affirmavimus, ſed etiam omnes, qui ſunt ſubjecti Antiſtitibus, atque adminiſtris, & ab eis illuminantur, initiantur, atque perficiuntur. Et re quidem vera, ſicuti animadvertit S. Thomas 1. par. qu. 108. art. 1., poſtquam affirmavit rationem Sacri Principatus Hierarchiæ convenire, " In nomine Principatus duo intelliguntur, „ ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata per Principem".

Unde

Unde Principatus esse nullus potest, si nulli quoque sint, qui sub ejus potestate contineantur. Quandoquidem si Principatus in se spectetur, non est aliquid absolutum, quod in uno quodam reperiri possit absque ullo ordine ad alios: sicuti etiam subjectio res quædam non est, quæ absque dependentia ad alios in aliquo sit, aut esse possit. Qua de causa, & Principatus subjectioni subditorum, & subjectio subditorum Principatui omnino respondet, atque conformis est. Hinc vero sequitur, ut in Ecclesia nullus sacer Principatus esse possit, semel ac ii quoque in illa non dentur, qui subjecti esse debeant. Semel ac ergo in Ecclesia admittatur Hierarchia, quæ est sacer Principatus, dicendum sane, in illa non minus esse debere eos, qui præsunt, quam alios, qui subditi sint.

§. III. Ex ipso munere, quod a Patribus tributum legimus in Christiana republica tum Clericis, tum laicis, constat talem in ea Hierarchiam admitti debere, in qua regimen sit penes Clerum, a laicis autem obedientia præstari debeat.

Lutheranos, & Calvinistas, qui Hierarchiæ nomen, atque rem ipsam rejiciunt, atque statuunt, ordinem doctorum, & præpositorum Ecclesiæ non ἱεραρχίαν, sive *sacrum Principatum*, sed ἱεροδιακονίαν, hoc est, *Ministerium sacrum*, dici oportere, nunc confutare aggredimur (1). Tres ergo gradus eorum, qui Christo parebant, distinguendos esse, Eusebius Cæsariensis *Demonstrat. Evangel.* lib. 8. cap. 3. putavit, hoc est, *Præfectorum*, *Fidelium*, & *Catechumenorum*. Hos tamen Præfectos nonnulli, sicuti Tertullianus lib. *De Monogamia* cap. 12., *Clericos*, & *Ecclesiasticos* appellarunt. Ordinem Ecclesiasticorum Homilia 5. *in Ezechielem* num. 4. partitus fuit S. Hieronymus in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Ministros inferiores. S. Clemens in 1. epist. *ad Corinthios* num. 40. in Episcopos, Sacerdotes, Levitas, atque Laicos totam Ecclesiam distribuit. Tamen in duas præcipuas partes universum Ecclesiæ Christianæ corpus ab antiquis auctoribus plerumque divisum fuit, quem-

(1) Quinam potissimum ex Lutheranis, atque Calvinistis hujusmodi errorem tueantur, vide apud Mamachium *Origin.*, *& Antiquit. Christian.* lib 4. cap. 3. §. 3. Adnot. 2.

quemadmodum in Dissertatione *De Discrimine Clericorum*, & *Laicorum ex jure Divino* cap. 1. Petrus de Marca recte animadvertit. Tertullianus *De Monogamia* cap. 12. *Laicorum* ordinem plebem, *Ecclesiasticorum autem Clerum* vocavit. Origenes quoque Homil. 11. *in Jeremiam* num. 3. Clericorum ordinem ab ordine laicorum distinxit, atque in illo reposuit eos, qui Fidelibus præsiderent. Quid? Nonne Clericos, & laicos in Nicæna quoque Synodo commemoratos legimus, illos quidem 2., istos autem canones 5.? Quare auctoritate Nicænæ Synodi usum hujusmodi vocum firmatum ad posteros manasse dicendum est.

Dubitari autem non potest, quin Episcopi, Presbyteri, & Diaconi spectent ad Clerum, potissimamque Cleri partem constituant. Id etiam apud Adversarios nostros in confesso est, quum illud opponant, sicuti infra videbimus, Cleri nomen superbia Clericorum in Ecclesiam invectum esse, atque etiam constabit ex locis Patrum, quæ modo in medium allaturi sumus. Quapropter semel ac illud compertum habeatur, Episcoporum, Presbyterorum, atque Diaconorum proprium esse quoad ea omnia regere Fideles, quæ ad Christianam rempublicam spectant, atque quoad ea laicos Episcopis, Presbyteris, & Diaconis subesse oportere, est sane confectum, quod nos modo volumus. Illud ergo prius ex traditione Patrum nunc est ostendendum a nobis.

S. Clemens in sua I. epistola *ad Corinth.* num. 40. " Qui " ergo (inquit) assignatis temporibus oblationes suas faciunt, " accepti, & beati sunt: nam qui legitima Dei sequuntur, " non peccant. Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa " sunt: & Sacerdotibus locus proprius præstitutus: Levitis " quoque sua ministeria incumbunt: homo laicus præceptis " laicis constringitur " Profecto quoad sacra & summo Sacerdoti sua munia tributa, & Sacerdotibus locum proprium præstitutum, & Levitis sua ministeria collata S. Clemens affirmat. S. Ignatius in epistola *ad Magnesianos* num. 6. " Hortor, ut " hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco senatus Apo-

„ stolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi..... Nihil sit in vobis, quod possit vos dirimere, sed unanimi Episcopo, & Præsidentibus in typum, & doctrinam incorruptionis". Num. 13. "Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini..... cum dignissimo Episcopo vestro, & digne contenta spirituali corona Presbyterii vestri, & secundum Deum agentibus Diaconis". *Ad Trallianos* num. 1. "Quum enim Episcopo subjecti estis, ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secundum Jesum Christum vivere..... Necessarium itaque est, ut sine Episcopo nihil agatis. Sed & Presbyterio subditi sitis..... Oportet autem & Diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros omnimode omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri". Num. 3. "Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi, & Episcopum, ut eum, qui figura est Patris, Presbyteros autem ut consessum Dei". *Ad Philadelphenos* num.7. "Clamavi quum interessem, loquutus sum magna voce, voce Dei: Episcopo attendite, & Presbyterio, & Diaconis". Tandem *ad Smyrnaeos* num. 8., ut omittam alia loca, quæ non secus, ac ista, ex genuinis epistolis S. Martyris in medium adduci possent: „ Omnes (inquit) Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterium, ut Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. Sine Episcopo nemo quidpiam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent". S. Clemens Alexandrinus lib. 6. *Stromatum* num.13. "Nam hìc quoque (inquit) in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum sunt, ut arbitror imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ, ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ spectare illos, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio". S. Optatus Milevitanus lib. 1. *Contra Parmenianum* "Quid commemorem (ait) laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid Presbyteros in secun-

„ do

„ do Sacerdotio constitutos ? Ipsi apices, & principes omnium „ aliqui Episcopi &c. " S. Cornelius Pontifex in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. *6. Ecclesiast. Histor.* cap. 46., & apud Coustantium tom. 1. *Collect. epist. Roman. Pont.* num. 2. de quodam Episcopo agens, qui imprudens Novatiano manus imposuerat, & deinde facti pœnitens ad Ecclesiam redierat, ait: " Cui & communicavimus ut laico, depre- „ cante pro ipso universo, qui tunc erat præsens, populo ". Num. 6. " Intercedebant non solum omnis Clerus, sed & multi „ laicorum ". S. Cyprianus epist. 4. ad Presbyteros, & Diaconos: " Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci „ conditio, peto vos pro fide, & religione vestra & vestris „ partibus, & meis, ut nihil vel ad disciplinam, vel ad dili- „ gentiam desit ". Epistola 11. Presbyterorum, & Diaconorum munus esse dicit, " Commendatas sibi oves fovere, & „ Divino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruere ". Origenes Homilia 1. *in Psalmum* 37. num. 2. " Omnes Episco- „ pi, atque omnes Presbyteri, vel Diaconi erudiunt nos, & „ erudientes adhibent correptiones, & verbis austerioribus „ increpant ". Ex his autem omnibus, ut alia loca Patrum omittamus, duo sane constant: 1. in Christiana republica laicos distingui ab aliis omnibus, qui ad Clerum pertinent: 2. istos præesse illis quoad ea omnia, quæ ad Christianam rempublicam spectant. Nam Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui Cleri pars potissima sunt, pro suo unusquisque modo regimen Ecclesiæ tenent, eisque Christi ministerium commissum est: laici autem revereri debent Diaconos, ut mandatum Jesu Christi, Episcopum, ut eum qui figura est Patris, Presbyteros, uti consessum Dei, sine Episcopo nihil agere, Presbyterio subditi esse, Diaconis omnino placere, cum istis conformari in dogmatibus fidei, & sine Episcopo quidquam eorum non facere, quæ ad Ecclesiam pertinent. Quum igitur Hierarchia sit quædam gubernandorum sacrorum potestas, constat sane ex ipso munere, quod a Patribus in Christiana republica tributum legimus tum Clero, tum laicis, talem Hierarchiam in ea admitti debere, in qua regimen sit penes Clerum, a laicis autem obedientia præstari debeat.

§. IV. Clerum a laicis feculo 3. diftinctum fuiffe, non fine evidenti falfitate dicitur.

Hujufmodi errorem Rigaltius tuetur in Adnotationibus ad 2. epiftolam S. Cypriani. Illud ergo primo habet, unum effe ovile Chrifti, atque in eo contineri tam paftores, quam oves, & quod de ovili dicitur, etiam de Ecclefia dicendum, quum Ecclefiæ omnes fint una Ecclefia, coeuntibus pluribus membris in unum corpus, cujus caput eft Chriftus. Clerus quoque, ipfe inquit, " Etfi quid divifum fonet, attamen par„ tes quantæcumque fint, unam omnes fubftantiam compo„ nunt. Et quidquid fortientes acceperint pro fuo Clero, pu„ ta Clerum effe de numerofo quopiam ovili Chriftiano, ex „ uno eft ovili, exve una Ecclefia. Quod ovile, quæ Ecclefia „ in quantaslibet accepta, five portiones exierit, unciæ funt „ unius affis, unius fubftantiæ, unius patrimonii confortia, „ & confortio fuo juncta unum Clerum faciunt, unum ovile „ Chrifti ". Deinde affirmat *Cleri* voces ad res Chriftianas S. Petrum tranftuliffe in cap. 5. fuæ 1. epiftolæ, in qua fe confeniorem vocat, obfecratque feniores, ut ob turpe lucrum non pafcant commiffum fibi gregem, *neque ut dominantes in Cleris, fed forma facti gregis ex animo*. His conftitutis, ut ad id, quod vult, viam fibi muniat, primo dolet, prava cœcitate hominum factum fuiffe, ut, neglecta Chriftiana fimplicitate, reduceretur fuperbia Pharifæorum. Difcipulos, atque Apoftolos Chrifto quidem obfequutos fuiffe, atque *ævo proxime fequenti* nobis fuppetere affirmat evidentiffima argumenta ejus reverentiæ, quam illi erga fuum magiftrum habuerunt; tamen, ille fuperaddit, " Exinde nonnullos ovilibus Chriftianis adeo „ graves, & afperos incubuiffe Paftores, ut ab iis ad nos anti„ quiffimæ origines fluxerint morum, & rituum ab illa primæ„ va finceritate alieniffimorum ". Deinde animadvertit, Apoftolum Paulum futurum profpexiffe, ut poft fuum difceffum lupi gregi infidiarentur, & non parcerent ovibus. Tandem hæc fuperaddit: " Formam ovilis, quam Ecclefiæ Chriftianæ „ Apoftoli, paftores a Domino formati, tradiderunt, viri „ Apoftolici fervavere. Sed vix alterius feculi difciplina fuit,

„ quum

„ quum ipsi Pastores nomen Cleri, quod erat ovium universi-
„ tati commune, sic proprium sibi fecerunt, ut jam nomen
„ ipsum ovilis in populi, sive plebis, & laicorum appellatione
„ vilesceret. Hinc exorta jam ævo Tertulliani, & Cypriani
„ inter Clericos, & laicos differentia tanta, ut laici non in-
„ telligerentur appellatione Cleri".

Nunc ergo nos rem istam totam diligentius expendamus. Christus sane quum exteriùs Ecclesiam per se regere non voluerit, oportuit, ut Hierarchiam in illa constitueret. Fieri namque non potest, ut recte ordinata societas habeatur, vel semel habita diutius consistat, si nulli sint, qui eam cum potestate regant, atque moderentur. Si hoc non habeatur, quævis societas, quamvis sit illa paucorum, consistere non potest, & multo minus ea, in quam integræ nationes convenerint. Si autem de hujusmodi societate agatur, quæ constet ex omnibus gentibus, atque nationibus dispersis ubique terrarum, qualis est profecto ea societas, ex qua respublica Christiana coalescit, res absurdissima sane erit, & quæ in mentem hominis ne cadere quidem possit, velle, ut illa subsistat sine moderatoribus, a quibus cum auctoritate, atque potestate regatur. Semel ac ergo Christus societatem Christianam per se ipsum regere non volebat, necessarium profecto fuit, ut moderatores constituerentur, qui rem illius universam curarent, atque ut eam revera curare possent, potestatem super omnes partes ejusdem societatis obtinerent. Quia vero unus quoad rem istam per se omnia præstare non poterat, immo vero neque etiam plures superiores Præsules ad cuncta sufficiebant, quemadmodum etiam in politicis societatibus semper usuvenisse videmus, illud quoque requirebatur, ut inferiores quidam administri in hujusmodi curæ partem aliquam venirent, superiorumque Præsulum nutu singula ordinarent. In hoc autem tota Hierarchiæ, & Cleri ratio posita est. Nam Hierarchia est sacer Principatus, qui constat Episcopis, imprimisque Romano Pontifice, Presbyteris, atque ministris, quibus omnibus pro ratione sui muneris, dignitatis, atque potestatis Ecclesiæ regimen commissum est, iisque ipse Clerus coalescit. Nunc ad Rigaltium veniamus.

Unum

Unum ſane eſt ovile Chriſti, in quo tam oves, quam paſtores continentur: una Eccleſia; cujus inviſibile caput eſt Chriſtus: clerus quoque non multiplex, ſed unus, qui cum una Eccleſia Catholica ubique locorum ad regimen Fidelium extenditur. Unus eſt ergo æque omnium Chriſtus ſupremus Paſtor; verum ſpiritualis, atque inſenſibilis. Eccleſia autem eſt viſibilis, & quia talis ſupremum viſibile caput neceſſario requirit (1). Eſt item Eccleſia quidam ſtatus, ſeu reſpublica (2), quæ una ſemper exiſtens, ubiqne gentium ſuos quodammodo ramos protendit, atque ovile illius quaquaverſum propagatur, & ubique paſcit: igitur etiam paſtores, qui ovile regant, illud a lupis tueantur, a noxiis paſcuis avertant, & ad ſalutaria ducant, in omnibus iis locis ſint oportet, in quibus ovile paſcit, atque commoratur.

Qua autem ratione Eccleſia eſt una, & unum ovile illius, quatenus omnes ubique Fideles eamdem fidem profitentur, eorumdem Sacramentorum uſu, ceu nexu quodam mutuo inter ſe colligantur, unum idemque doctrinæ pabulum a ſuis ſingularibus paſtoribus habent, per quos etiam cum Supremo capite Eccleſiæ tum fidei tum communionis unitatem ſervant (3). Eſt etiam unus Clerus, quia licet ſit ubique diſtributus, ſicuti eſt ovile, tamen omnes, qui in Chriſtiana republica Fidelibus quovis modo præſunt, cum Supremo Paſtore unitate tum fidei, tum communionis conjunguntur, eademque tum credenda, tum ſervanda tradunt. Eſt ergo unus Clerus ex uno Chriſto, ex uno ovili, & ex una Eccleſia: in quo tamen ovili, in qua Eccleſia habet munus regendi, & paſcendi alios, hique omnes ab eo regi, atque paſci debent. Omnino ergo fruſtra unitatem ovilis, Eccleſiæ, & Cleri in rem ſuam Rigaltius urget.

S. Petrus, ut ad alia nunc deſcendamus, monet paſtores, ne ad Inſtar principum laicorum in gregem ſibi ſubiectum dominentur, neque turpis lucri gratia illi præſint, *ſed for-*

(1) Vide quæ diſſeruimus contra Marcum Antonium de Dominis lib. 17. cap. 1. & ſeqq. (2) Vide cap. præcedens. (3) Vide lib. 25. cap. 1. & ſeq.

forma facti gregis ex animo suisque operibus præseferentes, quæ alios servanda docuerint. " Studeant igitur sine inter„ missione, qui præsunt, (inquit S. Gregorius *Regulæ Pasto„ ralis* par. 2. cap. 6.) ut eorum potentia quanto major exte„ rius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur: ne co„ gitationem vincat, ne in delectationem sui animum ra„ piat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se „ libidine dominandi supponit. Ne enim præsidentis animus „ ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur, recte „ per quemdam sapientem dicitur (1): *Ducem te constitue„ runt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis*. Hinc „ etiam Petrus ait: *non dominantes in clero, sed forma facti „ gregis* ". A consenioribus ergo omnem abusum sublatum vult S. Petrus, non vero ipsum munus, atque potestatem pascendi, & regendi gregem. Et re quidem vera pastorem propter sui officii rationem & distingui ab ovibus, & eis cum potestate præesse debere, nulloque modo dici posse, ipsum quoque quamdam ovem esse, quisnam unquam non fatebitur?

Quam autem æque falso, ac cum maxima injuria Sanctissimorum virorum, Rigaltius contendat, tertio Ecclesiæ seculo invectam fuisse distinctionem inter laicos, & Clerum, facile ostenditur. Quandoquidem S. Clemens discipulus Apostolorum a Summo Sacerdote, Sacerdotibus, atque Levitis laicos distinxit, & habita quidem ratione eorum munerum, quæ illis conveniunt, non vero istis (2). S. Ignatius autem in suis genuinis epistolis tum ad Magnesianos, tum ad Trallianos, tum ad Philadelphenos, tum ad Smyrnæos, nihil magis inculcat, quam ut harum Ecclesiarum Fideles Episcopo, Presbyteris, atque Diaconis, *quibus commissum est ministerium Jesu Christi*, subjecti sint, ut cum illis conformentur in dogmatibus Domini, ut sine Episcopo nihil agant, ut revereantur Diaconos, uti *mandatum Jesu Christi*, Episcopum, uti eum, *qui figura est Patris*, Presbyteros, uti *consensum Dei*, tandem ut sine Episcopo *nemo quidquam faciat eorum*, quæ

(1) Ecclesiast. cap. 32. v. 1.

(2) Vide locum in præced. §.

quæ ad Ecclesiam pertinent (1). Profecto Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos e Clero esse, & ad Clerum pertinere juxta nostram, & Catholicorum omnium sententiam certum est: at vero S. Ignatius Martyr Episcopos, Presbyteros, & Diaconos a reliquis Fidelibus in eo distinxit, ut voluerit, reliquos Fideles illis esse subjectos, atque obtemperare, uti iis, quibus ministerium Jesu Christi commissum erat, atque sine Episcopo neminem agere quidquam eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent: igitur & ipse quoque S. Ignatius Clerum a laicis in eo distinxit, ut illis præsidendi munus in Christiana republica detulerit, istos autem in iis, quæ spectant ad Ecclesiam, præceptis illorum subditos voluerit. At etiam consentiente Rigaltio, " Formam ovilis, quam Ecclesiæ Christianæ " Apostoli, pastores a Domino formati, tradiderunt, viri Apo- " stolici servavere ". Quum igitur viri Apostolici, quales fuerunt Sancti Martyres Clemens, & Ignatius, Clerum a laicis distinxerint, & in eo quidem, ut Clerus sua propria munia in Ecclesia habeat, non vero laici, sed isti Clero subjecti quoad ea esse debeant, quæ ad Ecclesiam spectant: igitur hæc distinctio inter Clerum, & laicos manavit ab ea forma ovilis, quam Ecclesiæ Christianæ Apostoli, pastores a Domino formati, tradiderunt. His accedit, a S. Clemente Alexandrino apud Eusebium *Hist. Ecclesiast.* lib. 3. cap. 23. traditum esse, S. Joannem postquam ab exilio rediit Ephesum, in id quoque incubuisse, ut a Divino Spiritu sibi designatos in Clerum, seu Domini sortem adlegeret: " Quum post obitum tyramni (inquit) ex in- " sula Patmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque " provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos consti- " tueret, partim ut Ecclesias integras disponeret, ac forma- " ret, partim etiam ut homines sibi a Divino Spiritu indicatos " in Clerum quemdam, seu sortem Domini seponeret ".

Ex his autem & illud quoque constat, quod non minus falso Rigaltius, quam sine maxima injuria sanctissimorum virorum affirmet, Tertulliani, & Cypriani ævo, hoc est, seculo tertio, inter Clericos, & laicos tantam differentiam invectam

(1) Vide loca in præced. §.

ctam esse, ut laici non intelligerentur appellatione Cleri, *&* *jam nomen ipsum ovilis in populi, sive plebis, & laicorum appellatione vilesceret*. Quandoquidem semel ac ponatur seculo tertio id contigisse, necesse sane est, ut dicamus, tunc Ecclesiæ Pastores abjecisse pristinam de hoc capite doctrinam, qua secundum Apostolicam traditionem informati erant, & contra eam institutionem, quam a viris Apostolicis ipsi accipere potuerant, invexisse discrimen in Clericos, & laicos, hisque ereptum voluisse, quod antea cum Clericis commune habebant. Hoc autem in cujusnam tandem mentem hominis cadere potest? Quisnam unquam affirmare auserit, omnes tunc Ecclesiæ Præsules in eo inter se mutuo conspirasse, ut doctrinam Apostolicæ contrariam cum præjudicio maximæ partis Fidelium in Ecclesiam invexisse? Profecto S. Cornelius Apostolicæ traditioni semper insistens & Novatianorum errorem condemnavit (1), & Cypriano contendenti venientes ab hæresi iterum baptizandos traditionem opposuit (2). Similiter Cyprianus, quamvis falso, pro defensione sui erroris ad traditionem appellavit (3), & recte Presbyteris Schismaticis Felicissimo faventibus opposuit, ab iisdem invehi contra Evangelicam disciplinam *novam traditionem sacrilegæ institutionis*. Tertullianus quoque, seculi tertii etiam ipse scriptor in lib. *De Præscript. adversus Hæret.* cap. 21. quid Apostoli docuerint, ab illis Ecclesiis discendum affirmat, *quas ipsi Apostoli condiderunt, eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea*. Ex Scriptoribus ergo tertii seculi compertum habemus, tunc quoque ad traditionem Apostolorum contra errores appellatum fuisse: quo sane contra Rigaltium constat, nihil a vero abhorrere magis, quam hoc eodem seculo contra doctrinam Apostolorum invectam fuisse distinctionem inter Clericos, & Laicos. Tandem, ut cum Tertulliano concludamus in lib. *De Præscript. adversus Hæret.* cap. 28. "Ecquid verisimile est, „ ut tot, ac tantæ (Ecclesiæ) in unam fidem erraverint?

(1) Vide Natalem ab Alexandro in historia seculi 3. cap. 3. art. 4. §. 1. & seqq. (2) Vide epist. Cypriani 74. (3) Vide epistolam eamdem.

„ Nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud „ multos unum invenitur, non est errarum, sed traditum “.

Tandem, ut ad id quoque respondeamus, quod ex Apostolo Rigaltius opponit, Paulus sane prospexit, esse futuros lupos, qui gregi insidiarentur, verissimeque prospexit (1): falsos quoque Prophetas in suum gregem subintraturos, Christus prædixit (2): verum cuinam tandem ista conveniunt? anne Catholicis, qui quaquaversum diffusi unam fidem semper habuerunt, atque etiam nunc habent, eademque præcepta, an vero hæreticis, quorum doctrina nunquam eadem fuit, sed vaga, atque incerta, & ne ii quidem inter se mutuo consentiunt, qui ad eamdem sectam spectant. Alia ad hæc superaddere possemus: at in re minime necessaria non est, cur diutius immoremur.

§. V. Cleri nomen suam ex Sacris Litteris originem trahit, neque ob illud factum fuit, ut laici despectui haberentur.

Dubitari quidem de eo non potest, quemadmodum etiam Petrus de Marca in dissertatione *De Discrimine Clericorum, & Laicorum ex Divina institutione &c.* cap. 1. num. 4. animadvertit, apud LXX. Interpretes plura sane occurrere loca, in quibus κλῆρος dicitur singulorum civium hæreditas, atque terræ distincta possessio, quemadmodum habemus *Geneseos* cap. 49., & *Judicum* cap. 5. Attamen nomen κλῆρος tribus Leviticæ singulariter proprium fuit. Quum ergo hæc tribus ministerio Dei peculiariter addicta in divisione regionis Chananææ nullam portionem sibi propriam consequuta fuisset, se ipsum Deus illi sortem κλῆρον, atque hæreditatem futurum pronuntiavit *Numer.* cap. 28. v. 20., & *Deuteron.* cap. 18. v. 2. Ad instar ergo Leviticæ tribus qui apud Christanos Divinorum mysteriorum curam sibi commissam habuerunt, indeque Dominum pro sua sorte, atque hæreditate singulari ratione consequuti fuere, Clerici dicti sunt, quemadmodum epist. 52. num. 5., alias epist. 2. ad Nepotianum S. Hieronymus animadvertit. S. Isi-

(1) *Actor.* cap. 20. v. 29. (2) *Matt.* cap. 7. v. 15.

S. Isidorus Hispalensis lib. 7. *Originum* cap. 12.: nec non S. Augustinus *Enarrat. in Psal.67.* num.19. nomen Clericorum inde profectum arbitratur, quod Matthias omnium primus ab Apostolis in Ecclesiasticum ordinem sorte adlectus fuerit: „ Nam & Cleros (inquit S. Augustinus), & Clericos hinc „ appellatos puto, qui sunt in Ecclesiastici ministerii gradi- „ bus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem pri- „ mum per Apostolos legimus ordinatum „. Quum igitur Apostoli dubitarent, quemadmodum *Actorum* cap.1. legimus, uter Apostolatu dignus videretur, Barsabas ne, an Matthias, rem istam ad sortem revocarunt, divinoque beneficio factum fuit, ut sors super Matthiam caderet: accepit ergo tunc Matthias, sicuti *Actorum* cap. 1. v. 25. legimus κλῆρον τῆς διακονίας, καὶ ἀποστολῆς. Quare non habita ratione sortis, quæ super Matthiam cecidit, sed sortis ipsius ministerii, & Apostolatus., factum est, ut vox ista κλῆρος transferretur in eos, qui divina quidem ordinatione, non tamen sorte, sed electione in Ecclesiasticum ordinem adlegerentur. Et jure quidem merito in istos translata fuit, quamvis non sorte, sed electione Ecclesiasticum ministerium consequantur. Nam *Actorum* cap. 1. v. 17. Judæ obtigisse dicitur κλῆρον τῆς διακονίας *ministerii sortem*, quamvis Judas Christi electione, non vero sorte, in collegium Apostolorum cooptatus fuerit. Hinc Eusebius de Lino agens ait *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 2., quod primus κληροῦται sorte consequitur Romanæ Ecclesiæ Episcopatum. Non est autem putandum Linum Romanæ Ecclesiæ cathedram sorte consequutum fuisse. Ex his autem constare arbitramur, Cleri nomen ex Sacris Litteris ad eos significandos, qui Ecclesisticæ militiæ inservirent, in Christianam rempublicam derivatum fuisse, & a *Clero*, hoc est, *sorte ministerii*, dictos Clericos, qui publica munera in Ecclesia obirent.

Est tamen illud animadvertendum, *sortem Sanctorum*, sive hæreditatem regni sempiterni omnibus Fidelibus esse communem, atque secundum hanc acceptionem omnes Fideles Clero esse adscribendos. Unde apostolus *ad Colossen.* cap. 1. v. 12. ait: Εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς

τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί: *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Eodem sensu accipiendus est Petri Apostoli locus ex ejus epistola 1. cap. 5. v. 3. Μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων *nec sicut dominantes in Cleris*. Hisce enim in locis nomine cleri intelligitur universus cœtus Christianorum, qui in partem hæreditatis Christi vocatus est.

Nunc de altero, quod proposuimus: factum ergo Rigaltius conqueritur, ut nomen ipsum ovilis in laicorum appellatione *vilesceret* (1). Joannes Franciscus Buddeus *Præfat. in orig. antiquit. Ecclesiast. Bingami* tom. 1., *& Isagoge Hist. Theol. ad Theolog. universam* cap. 5. lib. 2. §. 11. animo haud quidem malo inductam a Majoribus distinctionem inter Clericos, & laicos fuisse dicit, verum postea consequutum opponit, ut Clerici " veluti supra humanam sortem evecti laicos ceu in„ fra eamdem positos contemnerent, & alto despicerent su„ percilio ". Verum enim vero etsi aliquando contingere potuerit, & modo etiam contingere possit, ut nonnulli Clericorum supra laicos in eo, in quo non debebant, neque poterant, sese extulerint, atque de eo munere superbierint, quod ex Dei singulari dono consequuti fuerunt; tamen id audaciæ omni ordini Clericorum non sine maxima injuria affingitur. Profecto si ad dignitatem Clericorum, eorumque omnia munera attendamus, iisdem sane ipsi monentur, formam Christianarum virtutum in se magis, quam alios, exprimere debere, ceterisque omnibus sese præbere exemplum bonorum operum. Si ergo Cleri rationem ipsam spectemus, tantum abest, ut ea comparata sit ad despectum laicorum, quin potius nihil ea magis præsefertur, quam & aliarum virtutum, & humanitatis exemplum. " Re„ liqua pars Ecclesiæ (sicuti recte monet Petrus de Marca in „ Dissert. *De Discrimine Clericorum, & laicorum* cap. 1. §. 11.) „ a Clericis distincta laicorum nomine comprehenditur, ut „ dixi, honesto quidem illo, non autem humili, & abjecto, „ ut blaterant hæretici, quo hac quoque in re de fastu Cle„ rico-

(1) Supra præced. §.

„ ricorum conquerendi occasionem captent. Laici dicuntur „ ἀπὸ τοῦ λαοῦ. Porro hac distinctione significatur in Scripturis ex versione LXX. populus Dei, quem ille sibi peculiarem, & hæreditarium fecit, segregatum a colluvie gentium: synagogæ temporibus primum, sed excellentius „ post Evangelium promulgatum. (Num. 12.) Quare Clerici erunt in Ecclesia pars quidem populi illius selecti, sed „ præcipua, utpote quibus regendæ Ecclesiæ post Episcopos, „ & ministros inferiores cura concredita est. Laici vero constituent alteram populi Christiani partem sub nomine generali τοῦ λαοῦ. Simile discrimen reperies in civitatibus „ Romanis, quæ duabus partibus constare dicuntur, ordine, „ & plebe. Ordo significat Duumviros, aliosque magistratus „ municipales, & Decuriones: plebis autem nomine reliquus civitatis populus designatur".

§. VI. Hierarchiæ significationem a Sacris litteris, & consuetudine primitivæ Ecclesiæ alienam esse, falso confingitur.

Id erroris inter alios Joannes Franciscus Buddeus tuetur lib. 5. *Institut. Theologicarum* cap. 4. §. 1., atque Dionysium Areopagitam huiusmodi hierarchiæ inventorem esse affirmat. At vero est primo illud animadvertendum a nobis, per hoc quod alicujus dogmatis nomen, quo nos ad illud designandum nunc utimur, & Ecclesiæ Patres ante nos usi fuerunt, in Sacris litteris non habeatur, inde nullo modo colligi posse, ipsum dogma in Sacris Litteris traditum non esse. Semel ac ergo ipsum dogma, quod hoc, vel illo nomine Patrum, atque Ecclesiæ consensione significari consuevit, in Sacris Litteris expressum legatur, non est sane dubitandum, quin illud a Deo traditum habeamus. Hinc quamvis nemo antequam Apostoli ex hac vita migrarent, ad designandam unam Divinitatem trium Divinarum Personarum inter se distinctarum nomen Trinitatis usurpaverit, ejusque nominis in Sacris Litteris aliqua mentio non occurrat; quia tamen id, quod hoc nomine significatur, est in Sacris Litteris distincte traditum; ideo Mysterium Sanctissimæ Trinitatis in iisdem Sacris Litteris contineri, nullo modo dubitari potest. Dogma profecto non in solo

ſolo nomine conſiſtit, ſed in re nomine ipſo ſignificata, proptereaque ſi rem nomine ſignificatam ex Divino Verbo ſcripto, vel tradito habeamus, etiam dogma, quod hoc, vel illo nomine exprimi conſuevit, eſſe divinitus traditum dicatur oportet. Si ergo Adverſarii noſtri Hierarchiam quid novum eſſe, & a Deo non traditum inde contendant, quia huiuſmodi nominis nulla mentio occurrat in Sacris litteris, præter omnem ſane rationem contendunt. Eſt igitur videndum, utrum quod Hierarchiæ nomine ſignificatur, in verbo Dei ſcripto, aut tradito expreſſum habeamus. Habemus ſane. Quandoquidem Eccleſiæ regimen etiam Sanctis Apoſtolis Jeſus Chriſtus commiſit, habueruntque illi quoque legislativam poteſtatem cum vi coactiva ſimul unitam (1). Apoſtolus *ad Titum* cap. 1. v. 5. ita habet: " Hujus „ rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, „ & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicuti & ego diſpo- „ ſui tibi ". Et in epiſt. 1. *ad Thimotheum* cap. 5. v. 19. & ſeq. „ Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub „ duobus, aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus „ argue, ut & ceteri timorem habeant ": S. Petrus epiſt. 1. cap. 5. v. 2. ad Conſeniores ita habet: " Paſcite qui in vobis „ eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee „ ſecundum Deum ". Hæc autem omnia, ſicuti nemo non videt, ſunt ejus generis, ut ei tribui nullo modo poſſint, qui non ſit in Chriſtiana republica aliqua juriſdictione præditus.

Nunc hac eadem de re expendamus, quid ex verbo Dei tradito habeatur, ſimulque inde perſpectum fiet, Hierarchiæ ſignificationem ab Eccleſiæ primitivæ conſuetudine alienam eſſe, quam falſo dicatur. Quod de nomine dogmatis, Divinarum Scripturarum habita ratione, modo animadvertimus, eſſe illud eodem jure animadvertendum dicimus, dum agitur de auctoritate verbi divinitus traditi. Quapropter licet de ipſo Hierarchiæ nomine antiquiores Eccleſiæ Patres nullam diſtinctam mentionem fecerint, dum tamen id ipſum tradiderint, quod eo Catholici ſignificatum volunt, nullus ſupereſt dubi-

(1) Vide lib. 18. cap. 2. §. 6. & ſeq.

dubitandi locus, a Patribus traditum esse, quod nos modo contendimus. Id tamen advertatur oportet, etiam a nonnullis Patribus antiquioribus Hierarchiæ distinctam mentionem factam fuisse: nam S. Joannes Chrysostomus, seu quivis alius sane perantiquus auctor Homiliæ *De Joanne Theologo*, quæ tom. 4. Operum S. Joannis Chrysostomi editionis Maurinæ legitur, Hierarchas nominat. Hierarchiæ autem distinctam mentionem facit S. Sophronius Hierosolymorum Antistes, & scriptor seculi 7. (1), alii quoque post ipsum fecerunt (2). His accedit auctoritas Felicis III. Pontificis Maximi, qui seculo 5. Pontificatum obtinuit. Hic enim epistola 5. ad Zenonem Imperatorem (3) "Valentini (inquit) & Eutychetis di„ scipulum expelle a civitate simul, & Ecclesiastico regimi„ ne, & a dignitate Hierarchiæ dejectum esse sancito". In concilio autem Œcumenico VII. canone 2. hæc leguntur (4): „ Substantia Hierarchiæ nostræ sunt eloquia divinctus tradi„ ta". At nunc ex Patribus tum priorum, tum sequentium seculorum de substantia ipsa nominis.

Supra §. 3. Sancti Clementis, & Ignatii Martyris loca protulimus, ex quibus in Christiana republica præsidere Fidelibus quoad ea omnia, quæ ad Ecclesiam spectant, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, evidenter evincitur. S. Justinus Martyr *Apologia* 1. num. 65. Sacerdotum, qui in Sacris Synaxibus populo *præsunt*, iterum iterumque mentionem facit. S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæreses* cap. 26. num. 5. hæc habet: „ Tales Presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta „ ait (5): *Et dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in* „ *justitia*". S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 1. nu. 26. „ Quemadmodum ergo pastoralem artem ovium curam gere„ re dicimus: inde enim dicitur, quod Pastor *animam ponit* „ *pro ovibus suis*; ita etiam legum ferendarum artem, quum „ hominum gregis curam gerat, eorum virtutem adstruere, „ & quod in illis bonum est, suscitare debemus". *Pædagogi* lib. 1.

(1) Vide epist. ejus tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1259.
(2) Vide loca eorum apud Hallierium *De Hierarchia Ecclesiast.* lib. 1. cap. 2. (3) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 487. (4) Tom. 4. Concil. edit. colum. 487. (5) *Isaiæ* cap. 60. v. 17.

Evangelia lib. 2. Homil. 26. num. 5. " Horum profecto (Apo-
„ stolorum) nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi,
„ atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regi-
„ minis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius
„ est honoris ". Nihil sane his omnibus explicatius haberi potest ad id omni ex parte designandum, quod Hierarchiæ nomine intelligitur. Est enim Hierarchia sacer Principatus (1): Patres autem vel distincte, atque singillatim affirmant, hujusmodi sacrum Principatum in Ecclesia esse, vel sacris Ministris illius ea tribuunt, quæ sacrum Principatum exposcunt. Est igitur etiam ex Divino verbo tradito compertum, Hierarchiam in Ecclesia admitti debere; ac propterea quum de ea constet ex Patribus primorum Ecclesiæ seculorum, Buddeum longe a vero aberrasse, dum affirmavit, Hierarchiam a consuetudine primitivæ Ecclesiæ alienam esse, ejusque Dionysium Areopagitam inventorem fuisse.

§.VII. In Ecclesiastica Hierarchia ille tantum perfecte continetur, qui aliqua Sacra ordinatione initiatus fuerit.

Illud a Patribus Tridentinis definitum habemus, Hierarchiam Divina ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris (2). " Neque Ministri (inquit Tho-
„ massinus *De Veteri, & nova Ecclesia Disciplina* par. 1. lib. 1.
„ cap. 51. num. 2.) alii sunt, quam Diaconi, ut apparet ex
„ significatione vocis, & propriis Scripturæ ipsius terminis.
„ Verum eo maxime verbo uti voluit Sacra Synodus, ut in-
„ nueret, minores omnes ordines, quia quædam quasi Dia-
„ conatus decerptæ portiones sunt, Divina illa Hierarchia
„ comprehendi ". Unde eadem par. lib. 2. cap. 30. num. 4. postquam idem Auctor animadvertit in Sacris Litteris Episcoporum, Presbyterorum, atque Diaconorum mentionem fieri, & tum Concilia, tum Patres de tribus illis ordinibus consentire, de ceteris autem penitus diffidere, atque certum tempus constitui non posse, quo ii primum incœperint, ita habet:
„ Nihil autem probabilius, quam veluti quasdam portiones
„ esse Diaconatus, aliis aliisque temporibus, & necessitati-
„ bus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu, eoque ve-

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Sess. 23. can. 6.

„ to, recte dixeris, Minores Ordines in fonte sui, ac origine, „ id est, in Diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, „ institutionis esse Divinæ. Ministerii enim Sacerdotalis par- „ tes, & segmenta sunt, quod totum, & plenissimum est in „ Diaconatu “. Unde etiam S. Thomas in Supplem. 3. par. qu. 37. art. 2. ad 2. ita habet: “ Quod in primitiva Ecclesia „ propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria „ Diaconis committebantur ..... Nihilominus erant omnes „ prædictæ potestates (aliorum ordinum inferiorum) sed im- „ plicite, in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est „ cultus Divinus; & Ecclesia, quod implicite habebat in uno „ ordine, explicite tradidit in diversis “. Quum igitur Hierarchia (ut ad rem nostram modo deveniamus) sit sacer Principatus (1), inde consequitur, ut qui ad illam spectant, quamdam in Christiana republica quod ea, quæ sunt propria illius, auctoritatem habeant, certoque munere publice fungantur, prout ille gradus exegerit, quem in ipso Hierarchico ordine habuerint: sunt igitur isti omnes ad hujusmodi dignitatem elevandi Sacra ordinatione, qua cultui Sacrorum singulariter addicantur, & circa rem Sacram acquirant eam potestatem, quam non habebant. Nam ut per aliquid Sacrum & cultui Sacrorum quis singulariter addicatur, & in rem Sacram quamdam potestatem acquirat, ipsi quoque naturali rationi consentaneum est. “ Non per generationum tramitem curritur (inquit San- „ ctus Leo serm. 2. *in Anniversaria die Assumpt.* cap. 1.) nec quod „ caro, & sanguis creavit, eligitur, sed cessante privilegio „ Patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores „ Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit: ut in „ populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis, atque „ regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat un- „ ctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat antistitem “.

§. VIII. Semel ac quispiam in Episcopum eligatur, ejusque electio, qua debet auctoritate confirmata fuerit, etiam ante Sacram ordinationem ad Ecclesiasticam Hierarchiam aliquo modo pertinet.

Ab

(1) Hujus cap. §. 1.

Ab Episcopo electo, & confirmato, quamvis nondum consecrato, quæ sunt jurisdictionis, non vero ordinis, exerceri posse, constat ex cap. *Transmissum De Electione, & electi potestate*. Hæc vero omnia, quæ sunt hujusmodi jurisdictionis, ab eo tantum fieri possunt, qui in Ecclesiastica Hierarchia saltem aliquo modo locum habet: nam singularis aliqua potestas Ecclesiastici ordinis ad illa requiritur, quæ sane ab eo haberi non potest, qui ad Ecclesiasticam Hierarchiam nullo modo pertinet. Est ergo dicendum, semel ac quispiam in Episcopum eligatur, ejusque electio, qua debet, auctoritate confirmata fuerit, etiam ante Sacram ordinationem ad Hierarchiam Ecclesiasticam aliquo modo pertinere. Ob munus vero consecrationis, quam intra tres menses suscipere tenetur, ad Ecclesiasticam Hierarchiam hujusmodi Episcopus aliqua ratione pertinere videtur. Nam si consecrationem illam intra tres menses non recipiat, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur: si autem intra totidem menses id facere neglexerit, Ecclesia ipso jure privatur, & nullam jurisdictionem super eam amplius habet (1).

CAPUT III.

DE PRÆSTANTIORI DIGNITATE, ATQUE AUCTORITATE ECCLESIÆ SUPRA DIGNITATEM, ATQUE AUCTORITATEM PRINCIPATUS CIVILIS.

§. I. Constat regimen Ecclesiasticum supra civile longe præcellere, si ad utriusque institutionem attendatur.

Nullum civile regimen occurrit, quod sibi a Deo primum sui caput constitutum eodem modo habeat, quo Petrus a Christo totius Ecclesiæ Supremum regimen recepit: in civili regimine ea Divina successio Supremi capitis non occurrit, quæ in Ecclesiastico conspicitur: ex Divina institutione in civili regimine non sunt præscripta munera, atque potestas, quomodo in Ecclesiastico habentur: tandem nullius civilis regiminis potestas ex Divina institutione firma est, & immutabilis,

 sicuti

(1) Vide Concilium Trident. Sess. 23. cap. 2.

ſicuti illa, qua regimen Eccleſiaſticum continetur. Habet in ſe quidem civile regimen armorum apparatum, ceteraque omnia, quæ non ſolum incutere timorem, ſed etiam vim inferre poſſunt; at, ſicut inquiebat Apoſtolus *II. Corinth.* cap. 10. v. 4. & ſeqq. " Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed po„ tentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruen„ tes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcien„ tiam Dei ..... & in promptu habentes ulciſci omnem inobe„ dientiam ". Conſtat ergo Eccleſiaſticum regimen ſupra civile longe præcellere, ſi ad utriuſque inſtitutionem attendatur.

§. II. Si attendatur origo poteſtatis illius, quam regimen Eccleſiaſticum in ſe continet, hujuſmodi regimen civili regimini præferendum eſſe conſtat.

Humana ſane non eſt, ſed Divina tota illa poteſtas, qua Eccleſia regitur, atque gubernatur: nam ita Chriſtus ad Petrum loquitur, dum illum Supremum Eccleſiæ caput ſe conſtituturum promiſit (1): " Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque „ ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quod„ cumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis ". Ceteris autem Apoſtolis in hunc modum loquutus fuit, quando eis Eccleſiam regendam commiſit (2): " Data eſt mihi omnis „ poteſtas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes „ gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiri„ tus Sancti: docentes eos ſervare omnia quæcumque manda„ vi vobis ". Non ſua ergo poteſtate, & auctoritate Præſules, atque Paſtores Eccleſiam regunt, ſed poteſtate, atque auctoritate Chriſti, ipſeque propterea Chriſtus, quamvis abſceſſerit a nobis, tamen nunc quoque eſt caput Eccleſiæ. Quandoquidem, ſicuti animadvertit S. Gregorius Magnus in Præfatione in librum Job num. 14. " Redemptor noſter unam ſe perſo„ nam cum Sancta Eccleſia, quam aſſumpſit, exhibuit: de ipſo „ enim dicitur (3): *Qui eſt caput omnium noſtrum*; & de Eccle„ ſia ejus ſcriptum eſt (4): *Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia* ". Hinc etiam S. Auguſtinus *Tractatu* 115. *in Joannem* num. 2. expli-

(1) *Matth.* cap. 16. v. 19. (2) *Matth.* cap. 28. v. 18. & ſeqq.
(3) *Epheſ.* cap. 4. v. 15. (4) *Coloſſenſ.* cap. 1. v. 24.

explicans hæc verba Joannis cap. 18. v. 36.: *regnum meum non est de hoc mundo*, hæc recte animadvertit: " Unde & hìc non ait: *regnum meum non est in hoc mundo*, sed *non est de hoc mundo*. Et quum hoc probaret, dicens: *si ex hoc mundo esset regnum meum*, *ministri mei utique decertarent*, *ut non traderer Judæis*. Non ait: *nunc autem regnum meum non est hìc*; sed *non est hinc*. Hìc est enim regnum ejus usque in finem seculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem ". Quæ est autem in seculi Principibus potestas ad regendos populos sibi subjectos, a Deo quidem est, ea tamen Divina non est, sed ipsi Principes quod faciunt in sua tota ratione regiminis, propria auctoritate faciunt, nec opus est, ut aliquid Divinum in eis recipiatur, quo jus acquirant ad eam potestatem, quam exercent. Si ergo attendatur origo potestatis illius, quam Ecclesiasticum regimen in se continet, hujusmodi regimen civili regimini præferendum esse constat.

§. III. Habita ratione eorum, circa quæ versatur potestas Ecclesiastici regiminis, est ea longe præcellentior altera potestate, quæ est propria civilis regiminis.

Tota ratio, quæ respicit custodiam tum rectæ fidei, tum honestatis morum Ecclesiastico regimini commissa est: ad illùd spectat tum administratio Sacramentorum, tum cura ceterorum omnium, quæ sub nomine Sacrorum veniunt: quidquid sanctius, majorique veneratione, atque reverentia dignum in Christiana Religione occurrit, est illud totum Ecclesiastici regiminis gubernationi commissum. Hinc Gelasius I. Imperatorem Anastasium ita monuit (1): " Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in Divino sunt reddituri examine rationem. Nosti enim, fili charissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus Divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salu-

„ tis

(1) Epist. 4. ad eumdem Tomo 2. Concil. edit. Harduini colum. 893.

„ tis expetis: inque sumendis cælestibus Sacramentis, eisque, „ ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis reli- „ gionis ordine potius, quam præesse. Nosti itaque inter hæc „ ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redi- „ gi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet pu- „ blicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi æterna dispoſi- „ tione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis An- „ tistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obvia- „ re sententiæ; quo, rogo te, decet affectu eis obedire, qui „ pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis. Proin- „ de sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus, siluisse „ pro Divinitatis cultu, quod congruit; ita his, quod absit, „ non mediocre periculum est, qui, quum parere debeant, „ despiciunt „. A Symmacho Papa eumdem Anastasium cer- tiorem factum fuisse novimus, dignitatem illius cum sua com- parandam non esse, rerumque humanarum ad illum, Divina- rum autem curam ad se pertinere (1). Gregorius II. in episto- la ad Leonem Imperatorem (2): " Audi (inquit) humilitatem „ nostram, Imperator, cessa, & Sanctam Ecclesiam sequere. „ prout invenisti, atque accepisti. Non sunt Imperatorum „ dogmata, sed Pontificum, quoniam Christi sensum nos ha- „ bemus ..... Et ecce tibi palatii, & Ecclesiarum scribo discri- „ men, Imperatorum, & Pontificum. Agnosce illud, & sal- „ vare, nec contentiosus esto ..... Nam quemadmodum Pon- „ tifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac „ dignitates regias deferendi; sic neque Imperator in Eccle- „ sias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque „ consecrandi, vel symbola sanctorum Sacramentorum admi- „ nistrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis ". Et re quidem vera, sicuti inquit Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *& Imper.* lib. 2, cap. 4. num. 2. " Nullam penes Prin- „ cipes spiritualem auctoritatem esse, in confesso est apud „ omnes, quum ligandi, & solvendi potestatem, & pascenda- „ rum ovium curam Petro, & Apostolis Christus tribuerit, & „ iis

(1) Vide Baronium ad an. 503. num. 8. (2) Epist. ad eumdem Tom. 4 Concil. edit. Harduini colum. 15.

„ iis, quos hujus ministerii participes futuri essent. In quo „ nulla Regum mentio, quibus potestas asseri non potest, quæ „ omnem naturæ ordinem exsuperat, nisi disertissime illis a „ Deo collata sit. Christus quidem, quum Ecclesiam suam „ institueret, Regum dignitatem non læsit, sed eam non au- „ xit ..... Immo vero Apostolus gladio Principem accingit ad „ scelerum vindictam, non ad fidei canones sanciendos; ita „ ut palatium, & tribunal ad eum pertineant, non autem Ec- „ clesia,& Cathedra Petri". Si ergo humanis Divina præferenda sunt; si quæ spirituale bonum sibi annexum habent, æternamque felicitatem respiciunt, sunt majoris præcellentiæ, atque dignitatis præ aliis omnibus, quæ spectant ad tranquillitatem hujus vitæ; negari a nemine potest, regimen Ecclesiasticum longe esse præcellentius civili regimine, habita ratione eorum, circa quæ illud versatur. " Quo circa (inquiebat S.Joannes Chrysostomus Homil. 11. in 2. epistolam *ad Corinth.* „ num.4.) non modo majorem, quam provinciarum præfecti „ sed etiam quam illi ipsi, qui diademate cincti sunt, hono- „ rem acceperunt, qui hoc imperium gerunt: ut qui in ma- „ joribus rebus, & ob majora commoda homines fingant".

§. IV. Si Ecclesiastici regiminis tum amplitudo, tum stabilitas attendatur, est sane illud civili regimine præcellentius.

„ Ecclesia enim (inquit S. Irenæus lib. 1. *Cont. Hæreses* „ cap.10. num.1.) per universum orbem usque ad fines ter- „ ræ seminata, & ab Apostolis, & a discipulis eorum acce- „ pit eam fidem, quæ est in unum Deum. (Num. 2.) Hanc „ prædicationem quum acceperit, & hanc fidem, quemad- „ modum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum „ mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam do- „ mum inhabitans: & similiter credit iis, videlicet quasi „ unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc „ prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os". Et S. Cyprianus in lib. *De Universitate Ecclesiæ* " Ecclesia Do- „ mini (inquit) luce perfusa per orbem totum radios suos „ porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffundi- „ tur,

„ tur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter „ rivos latius expandit. Unum tamen caput est, & origo „ una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa". Est ergo tale Ecclesiæ regimen, ut per totnm terrarum orbem ubique propagetur. De stabilitate ejus æque certum est: semper enim cum ea Christus se futurum promisit. Nullum autem civile regimen unquam fuit, quod æque protenderetur, ac regimen Ecclesiæ, sicut etiam nullius est tanta firmitas, quamvis illud & longe lateque protendatur, & plurimum sua potentia valeat, ut deficere non possit. Quapropter si regimina, quæ magis extenduntur, sunt præcellentiora aliis minus extensis; si etiam firmitas, atque stabilitas est singularis prærogativa regiminum; inde profecto consequitur, regimen Ecclesiæ, si ad amplitudinem, & stabilitatem ejus attendatur, esse longe præcellentius civili regimine.

CAPUT IV.

DE EA RATIONE, QUA POTESTAS TUM ECCLESIASTICA, TUM CIVILIS SIMUL RECTE UTILITERQUE CONSISTUNT.

§. I. CHristus suam Ecclesiam in iis omnibus locis extendendam instituit, in quibus civiles potestates dominabantur.

Matthæi cap. 28. v. 19. & seq. hæc Apostolis Christum mandasse legimus: "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Flii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis: „ & ecce ego (superaddidit, ne quid de rei eventu dubitare „ possent) vobiscum sum usque ad consummationem seculi". Apostoli autem, sicuti *Lucæ* cap. 16. v. 20. legitur; "Profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis". Fuisse autem tunc temporis plures in orbe terrarum, qui summum imperium supra populos sibi subjectos obtinerent, nullus sane negaverit.

verit. Igitur Christus in iis quoque locis suam Ecclesiam extendendam instituit, in quibus penes aliquos erat summus Principatus.

§. II. Christus in promulgatione suæ Divinæ legis ubique facienda non solum non exquisivit consensum laicæ potestatis, sed hac etiam ea repugante, præcepit, ut illa fieret.

Postquam ergo Christus monuit Apostolos se illos missurum esse, sicuti oves in medio luporum, hæc ad eosdem habuit (1): " Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos „ in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad „ præsides, & Reges ducemini propter me in testimonium „ illis, & gentibus... Et eritis odio omnibus propter nomen „ meum... Ne ergo timueritis eos: nihil est enim oper„ tum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scie„ tur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & „ quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite ti„ mere eos, qui occidunt corpus, animam autem non pos„ sunt occidere ". Suo Sanctissimo magistro Apostoli paruerunt, & quamvis in carcere reclusi, verberati flagellis, & aliorum sibi facta comminatione malorum, alacres virtute magna usque ad profusionem sanguinis post multa tormenta fortiter superata testimonium reddidere resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. Tantum ergo abest, ut Christus in promulgatione suæ Evangelicæ legis ubique facienda consensum laicæ potestatis exquisierit, ut etiam, hac repugnante, illam fieri præceperit.

§. III. Nihil ejus potestatis, quam Christus in hanc rem Apostolis tradidit, laicis Principibus commisit, quamvis ea supra subditos illorum exercenda esset.

Petro promisit Christus suam Ecclesiam supra illum se ædificaturum esse, eique non solum ligandi, & solvendi potestatem fecit, sed etiam præcepit, ut suos fratres in fide confirmaret, atque tum oves, tum agnos pasceret. Apostolis vero ceteris una cum potestate docendi omnes, simul etiam

(1) *Matt.* cap. 10. v. 17. & seqq.

etiam ligandi, atque solvendi facultatem dedit (1). Nihil autem hujusmodi potestatis Principes laicos a Christo aliquando recepisse legimus, quamvis nullo modo dubitari possit, quin Christus suam Ecclesiam in iis omnibus locis extendendam instituerit, in quibus laica potestas dominaretur (2). Verum est igitur, nihil ejus potestatis, quam Christus in rem istam, de qua agimus, Apostolis tradidit, laicis Principibus commisisse, quamvis ea supra subditos illorum exercenda esset.

§. IV. Propter hæc omnia Christus nihil detraxit de auctoritate regiminis civilis.

Apostolus de obedientia, atque subjectione præstanda Principibus ita absolute pronuntiat *Roman.* cap.13. v.1. & seqq. „ Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non „ est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordi„ nata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi re„ sistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acqui„ runt ". Et S.Petrus in I. epistola cap.2 .v.13. & seqq. " Subje„ cti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive „ Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo „ missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, „ quia sic est voluntas Dei ". Modo vero ita ad rem nostram. Tam S. Petrus, quam S. Paulus dum loquuntur de subjectio- & obedientia præstanda Principibus, nulla adiecta conditione, nullaque etiam eorum facta mentione, quæ, promulgata Evangelica lege, servanda ab omnibus indicta fuerant; item omissa omnino ratione tum ejus potestatis, quæ Petro, uti Supremo Ecclesiæ capiti, tum Apostolis, uti præcipuis Christianæ fidei promulgatoribus, magistris, atque præsulibus collata fuerat; tandem ne indicata quidem ea obligatione, qua Christiani suis Præsulibus in rebus ad Christianam religionem spectantibus omnino morem gerere debebant: his, inquam, omnibus prætermissis, cunctas animas potesta-

(1) Vide quæ hac de re tota lib. 18. disseruimus. (2) Hujus cap. §. 1.

ſtatibus ſublimioribus, & quidem id præcipiente Deo, ſubditam eſſe debere, affirmant, decernunt, atque ſtatuunt, nullamque exceptionem admittunt: igitur civile regimen, promulgata Religione Chriſtiana, in eo ſtatu permanſit, in quo antea erat. Neque enim Sancti Apoſtoli affirmare ſine ulla conditione potuiſſent, Poteſtatibus omnes eſſe ſubiectos oportere, ſi in mundum Chriſtiana religione ſemel inducta, e ſua illæ conditione excidiſſent, amiſiſſentque aliquid poteſtatis, quod eis antea conveniebat. Chriſtus ergo nihil poteſtatis a civili regimine detraxit tum in inſtitutione ſuæ Eccleſiæ, tum in iis omnibus, quæ ad ejuſdem Eccleſiæ regimen ſpectant.

§. V. Chriſti inſtitutione Eccleſiaſticum regimen cum civili ita eſt unitum, ut neque iſtud illius, neque illud iſtius juriſdictioni obſit.

Eccleſiam eſſe ſtatum, ſeu rempublicam, quæ ſane ſine regimine ſibi proprio nulla haberi poteſt, itemque hierarchiam, quæ eſt Sacer Principatus, in Eccleſia contineri, atque vi illius in eadem Chriſtiana republica laicos Clero eſſe ſubjectos, nunc, quemadmodum æquo jure poſſumus (1), uti rem certam aſſumimus. Hoc ergo verum Eccleſiaſticum regimen cum vero civili regimine Chriſtum abſque aliquo utriuſvis detrimento conſociaſſe, unicuique exploratum eſſe debet. Nam Chriſtus ſuam Eccleſiam in iis omnibus locis extendendam inſtituit, in quibus civiles poteſtates dominabantur; in promulgatione ſuæ Divinæ legis ubique facienda non ſolum non exquiſivit conſenſum laicæ poteſtatis, ſed etiam, hac invita, voluit ut illa fieret: Principes laicos ab ea poteſtate excluſit, quam in hanc rem Apoſtolis tradidit, quamvis ſupra ſubditos illorum hujuſmodi poteſtas exercenda foret; & tamen propter hæc omnia Chriſtus de auctoritate civilis regiminis nihil detraxit (2). Conſequi autem ex hiſce omnibus, Chriſtum Eccleſiæ regimen cum civili ita univiſſe, ut neque iſtud illius, neque illud iſtius juriſdictioni obeſſet, nemo non

Bbb 2 videre

(1) De hoc utroque doctrinæ capite fuſe jam egimus hujus lib. cap. 1. & ſeq. (2) Vide hujus cap. §. 1. & ſeqq.

videre poteſt. Nam ſi juriſdictio civilis regiminis juriſdictioni Eccleſiaſtici obeſſet; tunc abſque ſui præjudicio Chriſtiana religio in eas regiones invehi non potuiſſet, quæ civili regimini ſubeſſent: at ſine ſui præjudicio invecta eſt: igitur juriſdictio civilis juriſdictioni Eccleſiaſticæ non obeſt. Simili ratione ſi juriſdictio Eccleſiaſtici regiminis juriſdictioni civilis regiminis opponeretur, ſemel ac ea in illa loca invecta fuiſſet, quæ ad ditionem Principis laici pertinerent, iſtius juriſdictio minui debuiſſet: quod ſane nullo modo factum fuit.

§. VI. Quia ſunt diverſa munera regiminis tum Eccleſiaſtici, tum civilis, ideo regimen, quod Chriſtus in inſtitutione ſuæ Eccleſiæ conſtituit, civili non adverſatur, neque civile Eccleſiaſtico.

Voluit Chriſtus, ut Apoſtoli, etiam repugnantibus ſeculi Principibus, commiſſum ſibi munus obirent, receptaque poteſtate uterentur, quamvis aliunde omnibus præceperit, ut ſeculi poteſtatibus ſubditi eſſent, atque indixerit, eum, qui eiſdem reſtiterit, Dei ordinationi reſiſtere. Si ergo laico Principi obſiſtendum fuit ab Apoſtolis, atque ſimul eiſdem obtemperare cum ceteris aliis etiam Apoſtoli debebant; argumento id eſſe debet munera civilis regiminis, quod eſt penes Principes, & Eccleſiaſtici, quod erat penes Apoſtolos, diverſa eſſe, indeque factum, ut regimen Eccleſiaſticum civili nullo modo adverſaretur. Et re quidem vera Chriſtus Apoſtolis præcepit, ut laicis poteſtatibus contradicerent, ac nihili eas facerent, ſi illæ ſeſe opponerent promulgationi Evangelicæ legis: ceterum quoad alia, quæ neque ad hujuſmodi promulgationem, neque ad cetera omnia, quæ ad illam referuntur, aliquo modo ſpectarent, laicis Principibus tum Apoſtolos, tum alios voluit eſſe ſubjectos. “ Chriſtus (inquit
„ Gelaſius Papa *in Tract. cont. Anaſtaſium*) memor fragilitatis
„ humanæ, quod ſuorum ſaluti congruerat, diſpoſitione ma-
„ gnifica temperans, ſic actionibus propriis, dignitatibuſque
„ diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit; ſuos volens
„ medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus
„ intercipi; ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Ponti-
„ fici-

„ ficibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu „ rerum Imperialibus diſpoſitionibus uterentur: quatenus „ ſpiritualis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo (1) „ *militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret*: ac viciſim non ille rebus Divinis præſidere videretur, qui eſſet „ negotiis ſecularibus implicatus: ut & modeſtia utriuſque „ ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & „ competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur (2)".

§. VII. Fieri non poſſe, ut iiſdem in locis duo ſimul regimina conſiſtant, quorum ſint diverſæ actiones, munera, atque poteſtas, omnino adverſatur experientiæ omnium temporum.

Si ad primam originem aſcendamus, qua homines, inter ſe inita ſocietate, unum ſibi aliquem præfecerunt, qui omnibus dominaretur, rurſuſque ab illa prima origine omnes ætates decurramus, & ad hanc uſque noſtram deſcendamus, illud ſane nobis omnino perſpectum erit, in civitatibus, provinciis, atque regnis plures magiſtratus ſemper fuiſſe, qui rem civilem ita curarent, ut unus uni rei, alter alteri ſecundum diverſas actiones, munera, atque poteſtatem præſideret, atque totius reipublicæ adminiſtrationem ita diſtributam comperiemus; ut quæ unus magiſtratus ordinare, atque conſtituere valeret, alter non poſſet: decernere autem hic alter poſſet, quæ ille unus non valeret. Ex hoc autem factum fuiſſe, ut omnia perturbarentur, atque gentes, & regna in pace, atque tranquillitate non eſſent, nemo unquam dixerit. Nam hac ſane ratione tranquillitati eorum proſpectum fuit, proviſumque neceſſitatibus, quibus ut unus tantum magiſtratus ſubvenire poſſet, non ita facile erat. Tantum ergo abeſt, ut repugnet, duo ſimul regimina, quorum ſint diverſæ actiones, munera, atque poteſtas, in iiſdem ſimul locis conſiſtere, quin potius eſt id ſane ad tranquillitatem populorum, rerumque confuſionem vitandam non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium.

§. VIII.

(1) *II. ad Timot*, cap. 2 v. 4. (2) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 934.

§. VIII. Semel ac agatur de iis, quæ ad diversum omnino regimen spectant; tunc absolute necessarium est, in iisdem locis esse diversa regimina, quæ respondeant diversitati rerum.

Si ea spectemus, quæ sunt regiminis civilis, quamvis inter diversos magistratus divisa esse oporteat, ut tutius, facilius, atque commodius expediantur; tamen habita ratione ejus potestatis, quæ ad hæc omnia requiritur, nihil obstat, quin uni magistratui tota res civilis commissa sit. At vero idem censendum non est, semel ac agatur de iis, quæ ad diversum omnino regimen spectant. Tunc enim non ea quidem ratione duo regimina constitui debent, ut tutius, facilius, atque commodius, recte componi, atque ordinari illa omnia possint, quæ eisdem sunt subjecta regiminibus, sed ut ea, quæ non cadunt sub auctoritate unius regiminis, determinari possint potestate alterius regiminis, sub quo cadunt. Constitui tunc sane debent duo distincta regimina, quorum unum neque attingat, neque attingere possit, quæ sunt alterius regiminis, & hoc quoque alterum regimen, quæ sunt illius, in se neque complectatur, neque complecti possit. Hæc autem duo regimina iisdem in locis constituantur oportet, semel ac in iis occurrant, tam quæ uni, quam quæ alteri regimini esse solummodo subjecta debeant. Tunc enim si hæc duo regimina simul non habeantur, unum ex hisce duobus necessario consequitur; hoc est, vel unum regimen suæ potestati submittet, quæ esse illi submissa nullo modo possunt, atque ita uti infectum habendum erit, quidquid circa illa statuerit, atque determinaverit, vel quæ sunt alterutrius regiminis, omnino neglecta remanebunt. Si ergo de iis agatur, quæ ad diversum omnino regimen spectant, tunc absolute oportet, in iisdem locis diversa regimina esse, quæ respondeant diversitati rerum.

§. IX. Regimen tum Ecclesiasticum, tum civile in iisdem locis esse oportet.

Christus suam Ecclesiam in iis omnibus locis extendendendam instituit, in quibus potestates civiles dominarentur:

tur (1): eam vero, quam tum Principi Apostolorum, tum omnibus Apostolis in institutione suæ Ecclesiæ potestatem contulit, seculi Principibus nullo modo impertitus fuit; immo vero voluit, ut Apostoli ea potestate, quam sibi commissam receperant, etiam invitis, atque repugnantibus iisdem Principibus, uterentur (2). Propter hoc tamen Christus de auctoritate laici regiminis non solum nihil detraxit, sed etiam effecit, ut regimen Ecclesiasticum cum laico, & laicum cum Ecclesiastico consociaretur, & neque istud illius, neque illud istius jurisdictioni obesset (3). Hoc autem inde habetur, quia sunt utriusque regiminis diversæ partes, diversa munera, diversa potestas (4). Aliunde autem necessario requiritur, ut in iisdem locis sint diversa regimina, semel ac in eis habeantur, quæ nonnisi a diversa potestate expediri possunt (5). Si igitur Christus in iis quoque locis Ecclesiam extendendam instituit, in quibus potestas civilis dominaretur: singularem facultatem dedit Apostolis, quam non solum seculi Principibus impertitus non fuit, sed etiam, ipsis invitis, eam exerceri voluit: aliunde vero inde factum non fuit, ut potestas civilis aliquod detrimentum passa sit, sed una potestas cum altera mirabiliter consociata fuit, quia utriusque diversa sunt munera: quum nomine regiminis civilis potestas Principum, nomine Ecclesiastici illa potestas intelligatur, quæ a Christo est in Ecclesia; inde profecto consequitur, tum Ecclesiasticum, tum civile regimen in iisdem locis esse oportere. Eo vel maxime quia id haberi debet, semel ac ipsa diversitas rerum diversa etiam regimina necessario requirat. Omnino autem diversa inter se esse, quæ hæc utraque potestas complectitur, ex ipsa Christi institutione novimus.

§. X. Quia unus tantum tenere debet imperium illud, quod summum dicitur, nullo modo sequitur, rem Sacram civili potestati subjectam esse debere.

Grotius *De Imperio summarum potestatum circa Sacra* cap. 1. §. 1. & 3. argumento accepto ab ipsa summa potestate, evin-

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Ejusdem cap. §. 2. & 3. (3) Ejusdem cap. §. 5. & 6. (4) Ejusdem cap. §. 6. (5) Præced. §.

evincere contendit, rem quoque Sacram ad civile regimen pertinere. " Et fane (inquit ipse §. 3.) eximi quidpiam ab
„ imperio summæ potestatis nulla ratio patitur. Nam id
„ ipsum, quod quis eximi volet, aut nulli imperio humano
„ subjectum faciet, aut alterius, quam summæ potestatis:
„ qui nulli imperio subjectum volet, præterquamquod ex-
„ emptionis probandæ onere adstringentur, quam probare
„ nunquam poterit, manifestam etiam in rebus exemptis
„ statuet confusionem... Si ea, quæ summæ potestati sub-
„ ducit, alterius imperio subiicit; jam in uno populo duas
„ efficit summas potestates, quod ipsius summitatis naturæ
„ minime est consentaneum, immo ei repugnat, quoties
„ vox illa non negativo tantum, sed & affirmativo significatu
„ sumitur „. Hoc autem ea argumentatione confirmat, qua Tertullianus *Cont. Hermogenem* usus fuit, dum refelleret materiæ æternitatem, quam ille propugnabat, Hæc est autem argumentatio Tertulliani: "Deum unum esse oportet: quia quod
„ summum sit, Deus est. Summum autem non erit, nisi
„ quod unicum fuerit. Unicum autem esse non poterit, cui
„ aliquid adæquabitur: adæquabitur autem Deo materia,
„ (secundum Hermogenem) quum æterna censetur".

Fallitur sane Grotius in notione ipsa summi, & adhuc magis magisque fallitur, dum summi suam falsam notionem Tertulliani argumentatione confirmare nititur. Ipse ergo in §. 1. nomine summæ potestatis æque personam, ac cœtum intelligit, ut innuat, quemadmodum ipse sese explicat;
„ Non Reges tantum proprie dictos, quos *absolutos* plerique
„ appellant, hoc nomine venire, sed in Aristocratica repu-
„ blica optimates, sive ille senatus, sive ordines, seu quo-
„ cumque alio vocabulo nominentur". Optimates enim, sive cœtus, sive ordines nomine summæ potestatis intelligi non possunt: nam, quemadmodum nos sane pluribus jam demonstravimus (1), summa potestas penes unum sit oportet, atque semel ac penes unum non sit, summa amplius non erit. Hinc recte Tertullianus: *Summum non erit, nisi quod unicum fuerit:*

(1) Lib. 20. cap. 3.

fuerit: *& unicum esse non poterit*, *cui aliquid adæquabitur*. Hæc autem ratio, quæ sane firmissima est, tota facit contra eam summi notionem, quam Grotius posuit. Unde Grotius in eo quoque fallitur, quod summi suam falsam notionem Tertulliani auctoritate confirmare nititur. At vero quum Grotius sibi in animo proposuisset, non solum regimini Monarchico, sed etiam Aristocratico rem Sacram submittere, consequens inde erat, ut in summi notione, in qua reposuit vim suæ argumentationis, omnino falleretur. Quiddam summum consequens erat, ut etiam in regimine Democratico ipse constitueret: nam sub nomine cujusdam *cœtus* venit quoque populus ad rem publicam curandam simul congregatus: quo sane constat, Grotium sua illa summi ratione formas regiminum inter se omnino diversas pro una, atque eadem habuisse.

Neque minus Grotius erravit in iis omnibus, quæ ex ex summi notione collegit. *Eximi quidquam ab imperio Summæ potestatis ratio nulla patitur*, ipse inquit: verum anne ratio nulla patitur, ut ab imperio summæ potestatis quidquam detrahatur, cujusvis tandem generis illud sit? Licet illud non cadat, aut cadere possit sub imperio summæ potestatis? Profecto semel ac de hominibus loquamur, qui est in uno aliquo genere summus, in aliis omnibus esse summus neque debet, neque vero potest. Summa sit quispiam alicujus scientiæ peritia præditus, anne in omnibus scientiis summe instructum eum esse oportebit? Regulas cujuspiam artis summa perfectione quispiam noverit, anne ad alias artes eodem modo sese habere poterit? Summo, ut ad rem nostram propius accedamus, in rem aliquam dominio sit qui potiatur, anne & cetera quoque, quæ ad illum nullo modo pertinent, sub dominio ejus contineri debebunt? Semel ac contra regulas logicæ ab uno in aliud genus argumentando descendatur, quidvis absurdum, & alienum a recta ratione consequi debet. Hoc sane gravissimo defectu Grotii argumentatio laborat: nam ex illa summa potestate, quam Princeps in suo regimine quoad ea omnia habet, quæ sub civili potestate cadere possunt, infert rem quoque Sacram jurisdictioni ejus

subjectam esse debere. Profecto ut ex notione summi id evinceret, oportebat, ut antea ostenderet, rem Sacram esse talem, quæ ex sui natura sub civili regimine caderet, nulloque modo a jurisdictione ejus subtractam fuisse. Hoc autem neque ipse ostendit, neque ullus unquam ostendere poterit.

Nam, ut nunc commemorare omittamus, quæ supra lib. 17., & seqq. fuse disputavimus, quibus sane ostenditur, Ecclesiæ regimen a civili omnino distinctum, atque diversum esse; hoc eodem in capite jam confecimus, Christum voluisse, ut sua Ecclesia etiam in ea loca extenderetur, in quibus potestates civiles dominarentur: Apostolis præcepisse, ut, renuentibus etiam seculi Principibus, legem Evangelicam ubique promulgarent: nihil ejus potestatis contulisse Principibus, quam Apostolis contulit, quamvis nihil inde detractum fuerit de auctoritate civilis regiminis, sed regimen civile cum Ecclesiastico, & Ecclesiasticum cum civili mirabiliter consociatum manserit. Aliunde autem ex sui natura non solum non repugnare ostendimus, ut in eisdem locis duo simul regimina consistant, quorum sint diversæ actiones, munera, atque potestas, sed etiam id ad tranquillitatem populorum quam maxime conducere; immo semel ac de iis agatur, quæ ad diversum regimen spectare tantum possunt, absolute necessarium esse, ut in iisdem locis diversa regimina sint, quæ rerum diversitati respondeant (1).

Si igitur de eo summo agatur, quod sub sua potestate & omnia complectitur, & non complecti non potest, quale est solummodo Deus; tunc sane valet illa argumentatio, quam Grotius ex notione summi deducit: at si sermo habeatur de eo summo, quod in aliquo tantum genere tale sit, cujusmodi sane est illud, de quo nunc agimus, nihil absurdius Grotii argumentatione fingi potest. Hinc est, ut Tertulliani argumentatio firmissima sit, quia de illo priori summo ipse agit: Tertulliani autem auctoritate Grotius abutitur, dum ab illo summo Tertulliani ad suum summum descendit, illique eadem tribuit, ac Tertulliani summo necessario tribuenda sunt.

§. XL

(1) Hujus cap. §. 1. & seq.

§. XI. Ex imperio unius voluntatis supra omnia membra corporis colligi non potest, Imperio civili cuncta, etiam Sacra subjecta esse debere.

Hoc exemplum Grotius in medium adducit (1), & ex eo colligit, quidvis etiam Sacrum civili potestati subdi oportere. At uti certum ab eo assumitur, quod oportebat, ut ostenderet, hoc est, quemadmodum animæ subjecta sunt omnia membra corporis, & nullum aliud principium ista habent, a quo regantur; ita etiam uni tantum civili regimini subdita esse debere membra societatis, nullumque aliud præter istud superesse, a quo etiam regi debeant. Profecto Christus quam tum Principi Apostolorum singularem, tum omnibus Apostolis communem potestatem contulit, nullo modo Principibus impertitus fuit, eamque voluit, ut Apostoli in iis quoque locis exercerent, in quibus Principes dominabantur: hujusmodi vero potestatis non solum nihil contulit Principibus, sed voluit, ut eisdem etiam contradicentibus, Apostoli commissa sibi facultate uterentur (2). Propter hæc omnia tamen Christus de auctoritate civilis regiminis nihil detraxit, sed Ecclesiasticum cum civili, & civile cum Ecclesiastico mirabiliter consociavit (3). Quapropter ex institutione Christi non eodem modo membra politicæ societatis ad regimen civile referuntur, ac membra physica corporis ad voluntatem: illa enim præter eam subjectionem, quam ad civile regimen quoad ea omnia habent, quæ societatem politicam respiciunt, sunt etiam subdita alteri regimini, sub quo Christus non solum ipsa membra posuit, sed etiam civiles potestates. Quemadmodum ergo, quamvis una voluntas, atque una anima sit, quæ supra totum corpus dominatur; tamen sunt distributa officia membrorum, ipsaque anima quod ab uno exigit, ab altero exigere non potest; ita licet sit unum totius reipublicæ corpus, quia tamen munera ejus non solum sunt inter se distincta, atque diversa, sed etiam sub uno eodemque regente principio cadere non pos-

(1) *De Imperio Sum. Potestatum circa sacra* cap 1. §.3. (2) Hujus cap. §.1. & seqq. (3) Ejusdem cap. §.6. & seqq.

sunt, & quidem ex institutione Jesu Christi; hinc est, ut istud corpus, hujusmodi munerum habita ratione, non uno eodemque gubernari regimine possit. Hinc a Gelasio Papa Imperatorem Anastasium ita recte monitum fuisse legimus (1). „ Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas Sacra Pontificum, „ & Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in Divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus Divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis: inque sumendis cœlestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi æterna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ; quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit: ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui, quum parere debeant, despiciunt, & si cunctis generaliter Sacerdotibus, recte Divina tractantibus Fidelium convenit corda submitti; quanto potius sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & Divinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit“?

§. XII. Duobus imperantibus in republica semel constitutis, quorum unus non subdatur alteri in sua ratione regiminis, pugnantia præscribenda esse populis, nullo modo consequitur. Si plu-

(1) Epist. 4. ad eumdem Tom. 2. Concil. edit. Harduini column. 893.

Si plures in republica fint Summi imperantes , inde futurum , ut *imperata contraria* , *& contrarietatem implicantia* habeantur , Grotius contendit (1): unde ad hoc malum tollendum factum dicit , ut paternum imperium civili fubjiceretur . Neque eft , inquit , cur quifpiam reponat , " Actiones „ effe diverfas , alias puta judiciales , alias militares , alias „ Ecclefiafticas , ac proinde hujus diverfitatis refpectu poffe „ ipfum fummum imperium in plures dividi , fequitur ex ejus „ fententia , ut eodem tempore idem homo ab hoc ire juffus „ ad forum , ab illo ad caftra , ab illo rurfus in templum , his „ omnibus parere teneatur , quod eft impoffibile ". Quamvis ergo , fuperaddit , in imperiis uni alicui fupremo fubordinatis dari poffint hujufmodi diverfæ regendi poteftates , quia Summus imperans ita illas omnes inter fe componit , ut fibi mutuo non adverfentur ; in Summis tamen imperiis una tantum Suprema poteftas admitti debet .

At vero Grotius non folum hìc pervertit veram notionem Summi , fed etiam rerum inter fe pugnantium . Prius jam oftendimus , de altero nunc videamus . Ea profecto inter fe pugnantia effe dicuntur , atque revera funt , quorum unum deftruere alterum nititur , fimulque confiftere non poffunt . Pugnant enim inter fe mutuo , quæ fupra fe invicem prævalere contendunt . Plures ergo imperantes fi in republica fint , quorum agendi poteftas fibi mutuo opponatur , unaque contra alteram agat ; tunc fane futurum eft , ut imperata contraria , & contrarietatem implicantia habeantur : ceterum fi funt duæ poteftates , & quidem unaquæque earum in fuo genere Summa , quæ diftinctam facultatem , diftincta munera , atque diftinctas actiones habeant ; tunc profecto tantum habeft , ut fimul confiftere non poffint , vel ex eis pugnantia fequantur ; quin potius ex hujufmodi difpofitione præclarus quidam ordo confurgit . Ex ipfa enim omnium ætatum experientia compertum habemus , hac femper ratione ordini rerum provifum fuiffe , dum de regendis gubernandifque populis ageretur (2) . Semel ac

(1) *De Imperio Sum. Poteftatum circa Sacra* cap. 1. §. 3. (2) Hujus cap. §. 7.

ac autem de iis agatur, quæ ad diversum omnino regimen spectant, non cujusdam recti ordinis gratia, sed absolute requiritur, in iisdem locis diversa regimina esse, quæ respondeant diversitati negotiorum (1). Neque ex hoc sequitur, sicuti idem Grotius vellet, " Ut eodem tempore idem homo ab „ hoc ire jussus ad forum, ab illo ad castra, ab illo rursus in „ templum, his omnibus parere teneatur, quod est impossibi- „ le": nam quemadmodum civiles magistratus certam imperii provinciam sibi præscriptam habent, eisque administratio diversorum munerum commissa est, ita ut unus, quæ sunt alterius, vel aliorum nullo modo attingere possit, ac propterea subditi quoad hæc, vel illa huic magistratui, quoad alia alteri obtemperare debeant; ita quoque si de iis agatur, quæ sunt Ecclesiastici juris, regimini Ecclesiastico, si de aliis, quæ sunt juris civilis, regimini civili obtemperare debent. Lapsus ergo Grotius in eo fuit, ut tum diversorum, tum inter se pugnantium unam eamdemque rationem habuerit. Profecto quæ inter se pugnant, sunt etiam diversa; non tamen omnia diversa inter se pugnant; alioquin hæc tota diversitas rerum inter se pugnantibus constaret. Quum ergo hæ duæ potestates, Ecclesiastica, atque civilis inter se diversæ sint, & diversa respiciant, ista quæ ad civilem societatem, illa quæ ad Dei cultum spectant; ludit sane Grotius suo illo exemplo, quo in medium adducit hominem, qui eodem tempore duo, quæ simul eodem tempore fieri non possunt, præstare non valet.

Diversæ potestates, inquit Grotius, simul facile componi possunt, semel ac una omnium Suprema sit, cui singulæ subdantur; ceterum potestates duæ summæ fieri non potest, ut simul consistant: concedo id quidem, si de iis potestatibus sermo sit, quas in suo genere habere quamdam infinitatem supponatur: concedo rursus duas Summas potestates, quamvis eæ essent infinitæ virtutis, si circa rem eamdem versarentur, simul consistere non posse; quia tunc neutra earum summa esset, ex eo quod illarum una tantum non complecteretur ea omnia, quæ complecti deberet. Ceterum si hæ duæ potestates auctorita-

(1) Cit. cap. 5. 8.

ritatem suam externam habeant supra ea, quæ sunt diversi generis, quemadmodum in civili, & Ecclesiastica potestate contingit, nihil sane repugnat, ut simul conjungantur. Non repugnat quidem ex parte ipsarum potestatum, quum ipsæ sint in suo imperio finitæ; neque ex parte subjectionis, quam subditi erga illas habere debent, quia sæpissime contingere videmus, quosdam quoad res aliquas uni esse subjectos, quoad alias alteri. Ita, ut sistamus in eo exemplo quod Grotius adducit, filius & suis parentibus, & Principi subjectus esse debet: Principi quidem uti civis, parentibus autem uti filius eorum, indeque est, ut neque jus parentum in filios ei juri contrarium sit, quod Princeps in eosdem habet, neque istud illi opponatur.

Ad rem vero nostram non pertinet, quod Grotius ex Evangelio nobis opponit, hoc est, neminem posse servire duobus Dominis (1): de ea enim servitute Christus loquitur, quæ ad ultimum finem refertur. Finis autem ultimus esse unus tantum potest, quamvis ad eum tendamus diversorum observatione præceptorum.

§. XIII. Quia Principes vicarias Dei partes agunt, eis tribuendum esse etiam id omne potestatis, quod rem Sacram continet, nullo modo colligi potest.

Civilis & Ecclesiastici regiminis nullam consociationem dari posse, Hennigesius *De Sum. Imperat. Roman. potest. circa Sacra* cap. 2. §. 3. hac falsa ratione contendit. Principes loco Dei in civitate primas partes tenent: Deo autem est jus Summum in Sacra: hujusmodi ergo jus saltem ea ratione Principibus collatum fuit, ut curam Sacrorum sibi commissam receperint. Jam vero Deus in Sacris Litteris significavit, quibus modis, & qua ratione a nobis se coli vellet. Putandum ergo est, Principibus, qui Dei partes agunt, eorumque quam maxime est, providere, ut Domino suo ab his, quibus præsunt, honor quam fieri potest, exquisitus deferatur, id juris Deum contulisse, quo subditos in vera Religione confirmarent, ab omni superstitione, hæresi, vel schismate removerent, nihilque prætermitterent, quod ad illorum æternam salutem spectare posse videretur. De

(1) *Matth*. cap. 6. v. 6.

De eo ergo nemo dubitare poteſt, Principes hìc in terris Dei partes agere, quum ex Apoſtolo noverimus, quod ille, *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit* (1). Quia vero qui agit partes alterius, neceſſe non eſt, ut agat in omnibus, quæ ſub poteſtate illius continentur, ſed una in re agere poteſt, quin in altera agat; ideo ut omnis deceptioni locus tollatur, videndum eſt, quibus in rebus quiſpiam voluerit, ut alter ſui partes ageret. Hoc autem ex nullo alio principio melius intelligi poteſt, quam ab eo ipſo, qui ſui vices peragendas commiſerit. Suppoſitione ergo falſa Hennigeſius laborat, dum infert Principibus jus in Sacra a Deo commiſſum fuiſſe, ex eo quod illi hìc in terris Dei vices gerant, ipſeque Deus in Sacra ſummum jus habeat. Si nulla alia res præter Sacra fuiſſet, in qua Deus Principibus ſuas vices committere poſſet, vel una ſimul & aliarum rerum, & Sacrarum ſuas partes peragendas demandare debuiſſet; tunc ſane Hennigeſii argumentatio concluderet: at vero tantum id a veritate abeſt, ut ipſius Dei teſtimonio, non dubio illo quidem, aut obſcuro, ſed omnino evidenti, atque manifeſto perſpectum habeamus, Deum ſuam vicem in rebus Sacris & Principibus nullo modo commiſiſſe, & aliis revera demandaſſe. Illud ergo nunc, ut prætereamus, Chriſtum, quamvis ſuam Eccleſiam in iis omnibus locis extendendam inſtituerit, in quibus poteſtates civiles dominabantur, Apoſtolis præcepiſſe, ut, illis licet repugnantibus, legem Evangelicam promulgarent, eamque auctoritatem, quam Petro ſingularem, ceteris Apoſtolis communem ad ſuæ Eccleſiæ regimen contulit, nullo modo impertitum fuiſſe Principibus, inſtituiſſeque propterea tale regimen, quod civili nullo modo adverſaretur, neque eidem civile opponeretur (2); ut hoc, inquam, totum omittamus, atque etiam taceamus, quæ de Monarchico Eccleſiæ regimine, deque Eccleſiaſtica republica, & Hierarchia in ſuperioribus libris fuſe diſputavimus, quoniam Hennigeſius, quamvis Chriſtianus, & non dubitans de auctoritate Divinarum Scripturarum, nihil ſupradicta omnia facere videtur, & humana ratiocinatione,

(1) *Roman.* cap. 13. v. 2. (2) Vide priores §§. hujus cap.

ne, quæ falsa suppositione laborat, contra nos agit; ab eo nunc quærimus, an fortasse putet, Christum tum in prima institutione suæ Ecclesiæ, tum proxime sequentibus temporibus, nemini commisisse, ut suas vices in Ecclesia ageret, fuisseque propterea tunc temporis Ecclesiam inordinatam quamdam multitudinem hominum, quæ non haberet, a quo in sua fide, dogmatibus, præceptis, cultu, ritu, atque cæremoniis regeretur, ac fortuito inde casu contigisse, ut una persisteret, propagaretur, atque contra se insurgentes potestates prævaleret: id sane in nullius sani hominis mentem venire posse arbitror. Suas ergo vices hoc quoque intervallo temporis quoad hæc omnia, quæ ad suam Ecclesiam spectabant, quibusdam Christus commisit. Principibus sane id muneris non contulit: nisi iis suas vices in Ecclesiæ utilitatem contulisse dicamus, qui ipsam Ecclesiam persequebantur. Aliis ergo contulit. Quapropter ut dici posset, nunc Principes in Ecclesia agere Christi vices in illis, quæ ad ejusdem Ecclesiæ regimen spectant, duo nobis comperta esse deberent: 1. id muneris sustulisse Christum ab iis, quibus & initio Ecclesiæ dedit, & toto illo tempore sartum tectumque servatum voluit, quo Principes nondum Christianæ religioni nomen dederant: 2. illud non in alios, quam in Principes transtulisse. Neutrum horum dici potest. Nam quæ fuit Petro collata potestas, eam a Successoribus illius Christum aliquando sustulisse non legimus, inque illis semper perseverasse novimus: itemque ab Episcopis Successoribus Apostolorum illud regimen, quod super Ecclesiam Apostolis dedit, Christus nunquam abstulit, atque Episcopi usque modo in Ecclesia suam præfecturam habuerunt. Ex quo sane consequitur, Ecclesiæ regimen nunquam datum fuisse Principibus. Quod est enim uni prius datum, postea alteri conferri non potest, nisi a priori auferatur. Principes deinde quando Christianæ religioni nomen dederunt, in ejus sinum sese recepere, subjeceruntque legibus, quas Ecclesia sequebatur, atque suis filiis sequendas proponebat, non vero ipsam Ecclesiam suo dominio adjunxerunt. Hoc enim si fecissent, Eccle-

ſia amplius una non eſſet, ſed in diverſos diſtracta foret Principatus, atque diverſis propterea legibus uteretur.

Qua ratione Principes curare poſſint, immo & debeant, ut a populis ſibi ſubjectis debitus Deo cultus deferatur, recta fides ſervetur, nihilque eorum fiat, quæ veræ religioni adverſari poſſunt, non eſt, cur nunc exponendum agrediamur. Hac enim de re infra acturi ſumus. Illud ſolummodo præterire non poſſumus, Hennigeſium ſuæ ſectæ pravo errore ductum falſo putare, in Sacris litteris contineri omnia, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, nullamque propterea rationem Sacræ Traditionis habendam eſſe. Singulari libro hujuſmodi errorem nos jam refutavimus (1):

CAPUT V.

DE EA RATIONE, QUA ECCLESIÆ REGIMEN, EJUS SINGULARIS POTESTATIS HABITA RATIONE, SESE HABET AD CIVILEM PRINCIPATUM.

§. I. Status, ſeu veræ reipublicæ ratio, quæ Eccleſiæ tribui debet, nullo modo patitur, ut regimen Eccleſiæ, ſingularis ejus poteſtatis habita ratione, civili Principatui ſubiiciatur.

Illorum errorem nunc refutandum aggredimur, qui jus etiam in Sacra laico principi tribuendum contendunt. Hoc ſane eſt, quod præter alios Grotius *De Imperio Summarum poteſtatum circa Sacra*, Gerardus Joanne Voſſius in Diſſertatione epiſtolica *De jure magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis* (2), Hennigeſius *De ſumma Romanor. Imperat. poteſtate*, & Buddeus in *Inſtitut. Theol. Dogmat.* lib. 5. cap. 4. §. 25., ac in *Inſtitut. Theol. Moral.* par. 2. cap. 3. ſect. 7. contendunt. Quoniam vero hi nullum genus argumentorum omiſerunt, quo ſuum errorem tuerentur; ideo ad pleniorem refutationem ſingillatim hac de re tota agendum eſt a nobis. Quia vero nunc de Eccleſia loquimur, quatenus non collegii, ſed ſtatus, & veræ reipublicæ rationem habet, eſtque in ea Hierarchia, ſive Sacer

(1) Lib. 15. (2) Tom. 6. Operum ejus edit. Amſtelodamenſis.

cer Principatus; ideo nunc primo de eo agemus, quod contra nostros Adversarios volumus argumento accepto ab ipsa notione status, seu reipublicæ, quam Ecclesiæ omnino convenire jam ostendimus (1). Status ergo, seu respublica necessario exigit, semel ac ad eam rationem attendatur, juxta quam status, seu respublica esse dicitur, ut alteri Principatui subjecta non sit, atque non solum proprias leges habeat, sed etiam sui auctoritate editas, & quidquid ipsa sanxerit, atque constituerit servandum ab iis, qui sibi subiiciuntur, judicio alterius principatus obnoxium non sit, multoque minus subdatur potestati ejus. Nam ratio discriminis inter collegium, & statum, seu rempublicam in eo posita est, ut collegia, si quid est illis regiminis, potestatis, atque legum, a Principe rei civilis habeant; contra vero status, seu respublica quidquid ejusmodi habet, a se habet (2). Semel ac ergo compertum sit, sicuti revera est, Ecclesiam status, seu reipublicæ veram habere rationem, inde necessario consequitur, ut quæ sunt propria sui regiminis, quatenus est status, seu respublica, alteri regimini subjecta esse nullo modo possint.

§. II. Ratio Hierarchiæ, seu Sacri Principatus, quæ in Ecclesia admitti debet, nullo modo patitur, ut Ecclesiæ regimen, singularis ejus potestatis habita ratione, civili Principatui subiiciatur.

Hierarchia, sive Sacer Principatus in aliqua societate esse non potest, semel ac quæ Hierarchiæ, seu Sacri Principatus propria esse dicuntur, atque revera sunt, alterius potestati subdantur. Semel ac enim id fiat, tota Hierarchiæ, seu Sacri Principatus ratio destruitur, quum nihil amplius remaneat, circa quod ipse Principatus versetur, atque jus suum exerceat. At vero in Ecclesia est Hierarchia, sive Sacer Principatus, & quidem ex Divina institutione: igitur ob hanc quoque rationem, Ecclesia, si ad singularem potestatem ejus attendamus, civili Principatui subjecta esse non potest.

(1) Hujus lib. cap. 1. (2) Cit. cap. §. 1.

§. III. Ecclesiam quoad Sacra civili Principatui subjectam esse cum Sacris Litteris evidentissime pugnat.

Ad hanc rem demonstrandam nihil aliud requiritur, nisi ut jam dicta breviter attingamus. Ut euntes docerent gentes servare omnia, quæcumque ipse præceperat, Christus mandavit Apostolis, monuitque eos, ne cogitarent quomodo loquerentur, dum propter suum nomen, atque promulgationem suæ Divinæ legis in conciliis, & in synagogis vapularent, atque starent ante Reges, & Præsides *in testimonium illis* (1). Quemadmodum enim ipse missus a Patre fuerat, ita se mittere illos ad docendum omnes gentes, Christus superaddidit, ne dubitare de ea potestate possent, qua usuri erant in exercitio sui muneris. Apostoli autem sui Sanctissimi præceptoris mandata servantes, quælævis dura sustinuerunt a Principibus, potiusquam, sicut illi sibi præcipiebant, a promulgatione Evangelicæ legis, & ab inducenda in omnibus Divinorum observatione præceptorum abstinerent; immo ad ultimum profusione quoque sui sanguinis quod contra mandata Principum evulgaverant, fortiter confirmarunt. Hæc omnia ex Sacris Litteris nemini comperta esse non possunt. Modo vero ita. Si spectemus potestates, quæ tempore Apostolorum in mundo dominabantur, quatenus eæ politicum in se regimen continebant, æque a Deo erant, ac illæ sunt, quæ subsequentibus Ecclesiæ temporibus idem politicum, atque civile regimen tenuerunt. Nam Apostolus non esse potestatem *nisi a Deo* affirmat, vultque, ut potestatibus subditi sint omnes non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, atque Principes non sine causa gladium portare tradit, ex eo quod sint ministri Dei (2). Idololatræ autem, atque infideles tunc erant, qui civilis reipublicæ gubernacula tenebant. Si ergo Paulus loquitur de reverentia, subjectione, atque obedientia præstanda etiam Principibus, qui tunc dominabantur, atque hujus rei fundamentum in eo ponit, quod omnis potestas a Deo sit, quod Principes sint mini-

(1) *Matth.* cap. 10. v. 18. & seqq. (2) *Roman.* cap. 13. v. 1. & seqq.

ministri Dei, quod Dei ordinationi resistit, qui potestati resistit; est inde per se perspicuum. potestates, quæ tempore Apostolorum in mundo dominabantur, si eas spectemus, quatenus civile, atque politicum regimen in se continebant, æque a Deo fuisse, ac illæ sint, quæ subsequentibus Ecclesiæ temporibus imperium civile tenuerunt: " Juramus (inquiebat Tertullianus *Apologetici* cap. 32.) sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis... Nos judicium Dei suscipimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis scimus esse, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus ". At vero Apostoli non solum sine consensu illarum potestatum, quæ tunc dominabantur, sed etiam eisdem contradicenticentibus, Christianam religionem in hunc mundum invexerunt, remque omnem Sacram curarunt: ne ergo dicamus, illos Sanctissimos viros egisse, contra ac sibi divinitus traditum acceperant, atque docuerant, & contra Divina præcepta sese potestatibus, uti Dei ministris, subiicere noluisse, immo contra eas rebellasse, aliosque omnes, quos, editis miraculis, ad sibi parendum inducebant, in idem crimen adduxisse; est profecto dicendum, nihil juris circa Sacra inesse in civili potestate.

Unum reponi ad hæc omnia posse videtur, hoc est, Principes semel ac Christianæ religioni nomen dederunt, in Sacra acquisivisse illud jus, quod in Ethnicis Principibus esse nullo modo poterat. Verum enim vero undenam Adversarii nostri id sibi compertum habent? Valet enim semper contra illos ea argumentatio, quam contra Hennigesium supra instituimus (1). Deinde dum Adversarii nostri id juris potestatibus civilibus vindicare contendunt, eadem ipsa loca ex Apostolo in medium proferunt, quæ civile regimen etiam apud Ethnicos Principes fuisse demonstrant, atque omnibus subjectionem erga eos præcipiunt. Id facit Hugo Grotius *De Imper. Summar. Potest. circa Sacra* cap. 1. §. 2., facit Buddeus *in Institut. Theolog. Dogmat.* lib. 5. cap. 4. §. 25., alii quoque cum eisdem hac in re

(1) Cap. preced. §. 13.

in re consentientes faciunt. Si ergo iisdem Sacræ Scripturæ locis evincitur, Principatum a Deo esse, vel penes Principes Christianos, vel penes Ethnicos ille sit; si compertum est, omnes secundum Divinam ordinationem obedire oportere Principibus, sive Ethnicis, sive Christianis; aliundeque nullam aliam potestatem Principibus collatam legimus, dum Christianam religionem amplexi fuerunt; inde sane consequitur, ut etiam Christiani Principes omnem profecto civilem potestatem habeant, sicuti Ethnici habuerunt, nullam autem in Sacra, quemadmodum in ea Ethnici non habuerunt. Quid? Nonne Principes, atque Imperatores dum ethnicam superstitionem abjecerunt, Christianæ militiæ nomen dedere, ei, inquam, Christianæ militiæ, quæ non illorum auctoritate ponebatur, sed Divina jam posita erat, eademque Divina auctoritate, non tantum præcepta fidei, & morum constituta, sed etiam certos Præpositos designatos habebat, a quibus quoad omnia regeretur, atque gubernaretur? Qui autem alicui militiæ nomen dat, ei sane subjicitur, non vero supra negotia illius auctoritatem acquirit. Postremo Christiana religio, antequam Imperatores eam amplecterentur, vel hìc in terris habebat, a quibus regeretur, vel non habebat. Hoc alterum dici non potest, licet ex Sacris Litteris perspectum non haberemus, quibusnam Christus suam Ecclesiam regendam commiserit. Quandoquidem nulla societas, quamvis non multum diffusa sit, diutius consistere non potest, si eos non habeat, a quibus regatur. Unde Christianam Religionem, quamvis ubique ejus præcepta servarentur, sine rectore, atque moderatore perstitisse eo toto tempore, quo Imperatores nondum nomen illi dederant, in nullius sane mentem cadere potest. Habuit ergo tunc quoque Christiana Religio suos Præfectos, qui rem Sacram curarent, atque cum potestate moderarentur. A nullo autem alio principio id habuit, quam ab ipso Christo, quemadmodum auctoritate Divinarum Scripturarum perspectum est. Verum anne Christus potestatem eorum, quibus suam Ecclesiam regendam commisit, tandiu perdurare constituit, quoad usque Imperatores Christianam Religionem amplecterentur? anne

anne illam poteſtati Imperatorum in poſterum ſubjiciendam decrevit? anne ſuæ Eccleſiæ ordinem mutatum voluit, quando Imperatores quoque filii illius evaderent? Nihil horum omnium ſane minus. Igitur cujuſdam ſomnii inſtar habeatur oportet, Imperatores jus in Sacra inde acquiſiviſſe, quia Chriſtianæ Religioni nomen dederunt. Eſt ergo omnino perſpectum, quod volebamus, hoc eſt, Eccleſiam quoad Sacra civili Principatui ſubjectam eſſe, cum Sacris Litteris evidentiſſime pugnare.

§. IV. Jus in Sacra laicæ poteſtati convenire, inde omnino falſo quiſpiam collegerit, quia in Sacris Scripturis traditum habemus, Reges, ſuæ etiam poteſtatis habita ratione, Deum colere debere.

Hoc argumenti genus tum Voſſius in *Diſſertat. epiſtolica De Jure Magiſtratus in rebus Eccleſiaſt.*, tum Grotius *De Imper. Summar. Poteſtat. circa Sacra* cap. 1. §. 6. contra nos urgent. Ille ad *Pſal.* 2. appellat, in quo v. 10. & ſeqq. Reges monentur, ut non ſolum ipſi pietatem colant, ſed etiam a ſuis ſubditis coli eam faciant. Auctoritate *Pſal.* 23. v. 7., & *Pſal.* 74. v. 4. id confirmat, atque eamdem in rem affert elogia tributa Magiſtratibus *Iſaiæ* cap. 49. v. 23., & *Pſal.* 81. v. 6. Grotius autem ex eo quod legatur *Deuteronom.* cap. 17. v. 15. Reges debere *obſervare totam legem Divinam*, *Joſue* cap. 1. v. 8., *ſervire Domino*, *Pſal.* 11. v. 12. *Chriſtum oſculari*, infert, " Ab iis actum illum " exigi, qui proprie eſt Regis, uſum ſcilicet Imperii circa ea, " in quibus Religio conſiſtit ". Id confirmat auctoritate Auguſtini hæc habentis *Contra Creſconium* lib. 3. cap. 51. " In hoc " Reges, ſicut divinitus eis præcipitur, Deo ſerviunt, in " quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala " prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocie" tatem, verum etiam quæ pertinent ad Divinam Religionem ". Superaddit alia loca Auguſtini, & ſingulariter appellat ad epiſt. 98., alias 23. *ad Bonifacium*. Iſidori quoque Epiſcopi Hiſpalenſis *Sentent.* lib. 3. cap. 51., & S. Leonis Magni *ad Leonem Auguſtum* epiſt. 75. auctoritate in rem ſuam utitur. Buddeus *in Inſtitut. Theol. Dogmat.* lib. 5. cap. 4. §. 26. rem eamdem, ac Voſſius, & Grotius, ex Sacris Scripturis conficere inde

de nititur, quia ex iis esse compertum dicit, Ecclesiam non esse rempublicam, sed collegium.

In Buddeo refellendo non est, cur immoremur, satis enim supra ostendimus (1), veram reipublicæ rationem Ecclesiæ tribui oportere. Sacræ Scripturæ loca, quæ Vossius pro se in medium adducit nihil minus præseferunt, quam quod ipse vellet. Nam *Psal.* 2. v. 11. & seqq. præcipitur Regibus, ut quam debent, eruditionem acquirant, quia terram judicare debent: ut Domino serviant in timore: ut illi exultent cum tremore: ut apprehendant disciplinam, ne quando contra eos Dominus irascatur: *Psal.* 23. v. 7. ut attollant suas portas, quia in eas intraturus est Rex gloriæ. Quibus sane verbis futurum significatur, ut Deus in toto mundo colatur: quod quidem ne contingeret, statuta quoque principum Ethnicorum impedimento erant; propterea que præcipitur eis, ut suas portas attollant, hoc est, quæ divinitus tradita erant, fide suscipiant. Est deinde manifestum hìc nomine Principum dæmones, vel malos homines intelligi posse (2), *Psal.* 74. v. 4. illis verbis: "Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus", vel significatur, omnia regna mundi, atque totam terram in manu Dei esse, ita ut si Deus velit, omnia dissolvantur, & colliquefiant, vel quid sit futurum extremi judicii tempore designatur (3). Dum *Isaiæ* cap. 49. v. 25. dicitur: "Et erunt Reges tui nutritii, & Reginæ nutrices tuæ", futurum significatur, ut Ecclesia, ad quam potissimum spectant hujusmodi promissiones, Reges, & Reginæ nutritiorum instar deserviant: quod sane impletum videmus, quemadmodum Calmetius animadvertit (4), quia "Postquam Imperatores, Regesque, ac Principes illius fidem, & Religionem amplexi, summa liberalitate Christiana templa opibus, bonisque locupletaverunt". Ceterum est illud quoque observandum, in hoc *Isaiæ* cap. nihil haberi, quod ad regnum temporale Regum aptari

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 1. & seqq. (2) Vide exposit. S. Thomæ in cit. Psalmum. (3) Vide Calmetium in cit. *Psal.* (4) Comment. in cit. locum.

aptari possit. Multa sane loca ejus Apostolus ad Christum refert. *Psal.* 81. v. 6. Regius Propheta ait: " Ego dixi: Dii „ estis, & filii excelsi omnes ". Hoc autem singulariter Principibus accomodari non posse, ex litterali ipsa loquutione constat. Quomodo enim Dii, & filii excelsi omnes esse possunt, si illud dictum ad Principes singulariter referatur (1)? Nihil igitur minus ex hisce omnibus locis colligi potest, quam quod Vossius collegit.

In Divina autem lege præceptum esse, ut Reges observent totam Divinam legem, ut serviant Domino, ut Christum osculentur, non erat sane, cur Grotius in rem suam animadverteret. Nam ex hisce omnibus consequitur; Reges, etiam quatenus potiuntur imperio super alios, servare debere præcepta Dei: at Divino præcepto curam rei Sacræ aliis ab eis demandatam legimus (2): igitur si etiam quatenus imperio potiuntur super alios, Divinam legem servare debent, ob eam auctoritatem, qua pollent, nullum jus in Sacra sibi vindicare possunt. S. Augustinus lib. 3. Cont. *Cresconium Donatistam* num. 56. illud quidem dicit, Reges suis legibus Christanæ Religioni inservire debere, suaque uti potestate contra eos, qui Christanam Religionem subvertunt. Quandoquidem Donatistæ conquerebantur, immerito, & contra rationem se pati mala a seculari potestate: unde Augustinus num. 54. ita Cresconium refellit: " Aufer itaque de medio „ supervacuas invidias molestiarum, quas regalibus jussis pro „ vestro errore patimini, perparvas, & prope nullas pro magno „ furore vestrorum, imputantes etiam nobis, quæ pro „ ipsis terrenis potestatibus, ut vestrorum impetus a sua salute „ depellant, necessitate fiunt, non voluntate ". Post hæc autem num. 56. ea Augustinus habet, quæ Grotius commemorat. Postremo num. 56. Cresconium dicentem suo libero arbitrio se relinquendum ita refellit: " Frustra dicis: *relinquar libero arbitrio*. Cur enim non in homicidiis, & stupris, „ & in quibuslibet aliis facinoribus, & flagitiis libero te „ arbi-

(1) Videatur S.Gregorius Magnus lib. 3. in *I. Regnum* cap. 2. num. 9.
(2) Præced. §.

„ arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia „ istis legibus comprimi, utilissimum, atque saluberrimum „ est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, sed „ nec malam voluit esse impunitam". Unde S. Augustinus vult contra Donatistas, Reges ea ratione, qua sua auctoritate utuntur contra eos, qui peccant contra commune bonum, uti quoque contra alios debere, qui veræ Religionis sunt desertores, atque illam oppugnant. Per hoc autem Principes in Sacra nullam auctoritatem sibi vindicant, sed cum sui præclarissima laude, maximaque apud Deum copia meritorum evadunt defensores Christianæ Religionis. Quæ autem Grotius ex altero Augustini loco, quem tamen non citat, in medium adducit, id unum præseferunt, Reges quoque sua exteriori politia in id maxime adniti debere, ut verus Dei cultus introducatur in populos, atque Dei blasphemia tollatur. Epistola 98. ad Bonifacium num. 8., alias epist. 23., idem contendit Augustinus: inquit enim: " Nam & temporibus „ Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohi„ buerunt, nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant „ instituta, culpantur; & qui prohibuerunt, & everterunt, „ super aliorum merita laudantur". Laudantur sane, & quidem jure meritoque, etiam nostri Principes, dum quæ contra Dei præcepta instituuntur, prohibent, atque evertunt, neque tamen dum istud faciunt, in rem Sacram immittunt suam manum, sed ipsi quoque propria auctoritate ad propagationem veræ Religionis suam operam virtuose, laudabiliterque navant. S. Isidorus *sententiar.* lib. 3. cap. 51. *sub disciplina religionis subjectas seculi potestates* 1. docet: 2. nonnunquam easdem intra Ecclesiam adeptæ potestatis culmina tenere, " Ut discipli„ nam Ecclesiasticam muniant.... ut quod non prævalet Sa„ cerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impe„ ret per disciplinæ terrorem": postremo Principes ita monet: (& hæc sunt verba, quæ Grotius pro se in medium adducit) " Cognoscant Principes seculi Deo se debere ratio„ nem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuen„ dam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ec-

„ de-

„ clesiæ per fideles Principes, sive solvatur; ille ab eis ratio„ nem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit“. Principes ergo Ecclesiam tuendam, non vero informandam, a Christo suscepisse, Isidorus affirmat: commisisse potestati eorum, ut illam tuerentur, non vero directioni, ut gubernarent, atque moderarentur, quum sub disciplina Religionis ipsi quoque contineantur, atque intra, non vero supra Ecclesiam adeptæ potestatis culmina teneant. S. Leo Magnus epist, 129. cap. 3. (1) ita quidem ad Leonem Imperatorem habet: “ Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem „ tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ „ præsidium esse collatam“. Verum anne ita ad Ecclesiæ præsidium, ut rem ejus Sacram curaret, atque disponeret? Minime gentium: sed ut sua potentia ausus nefarios contra Ecclesiam reprimeret: “ Ut [inquit] ausus nefarios comprimen„ do, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem „ his, quæ turbata sunt, restituas“.

§. V. Quæ de subjectione ad laicas potestates, deque earum ministerio, atque munere *Roman.* cap: 13. legimus, causam nostrorum Adversariorum nullo modo juvant.

Grotius *De Imper. Summar. Potest.* cap. 1. num. 2. ita ex Apostolo in rem suam colligit: “ Patris imperium minus est, „ quam summæ potestatis: de paterno autem imperio dici„ tur (2): *filii obedite parentibus in omnibus*. *In omnibus* autem „ sunt etiam Sacra. Plane similis est huic nostræ illa Patrum „ ratiocinatio, quum ex eo quod Paulus dixit: *omnem ani„ mam summis potestatibus subiici debere* (3), inferunt iisdem „ subiici Sacrorum quoque administros, *etiamsi Apostolus sit*, „ *etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta*, inquit Chrysostomus (4). „ Cujus vestigia sequens Bernardus in epistola ad Archiepi„ scopum: *si omnes, & vestra, quis vos excipit ab universi„ tate*“?

Ex eo quod ergo in Divinis Scripturis præcipiatur filiis, ut parentibus obediant *in omnibus*, etiam quoad Sacra filios

 obtem-

(1) Juxta editionem Cacciarii. (2) *Colossens*. cap. 3. v. 20.
(3) *Roman*. cap. 13. (4) In epist. *ad Roman*. homil.

obtemperare debere parentibus, ipse colligit, quia in omnibus sunt etiam Sacra: igitur imperium circa Sacra non erit penes summas potestates, sicuti ipse contendit in suo opere *De Imper. Summar. Potest. circa Sacra*, sed penes parentes, & quidem potiori jure, quam penes Summas potestates, si ad ipsa verba Divinarum Scripturarum juxta Grotii interpretationem attendamus. Nam, ut *in omnibus*, vel *quoad omnia* sint filii subditi parentibus, præcipitur, at vero ut omnes quidem subditi sint superioribus potestatibus, mandat Apostolus, non vero in omnibus. Quis autem non novit, quempiam alteri quoad nonnulla subjectum esse posse, quin sit quoad alia multa? Quando autem aliquis alteri subjectus dicitur *in omnibus*, vel *quoad omnia*, nihil profecto excluditur a subjectione ejus. At filiis præcipitur, ut *in omnibus*, vel *quoad omnia* subjecti sint parentibus; mandatur autem cunctis, ut subjecti sint superioribus potestatibus, non tamen in omnibus, vel quoad omnia: igitur si ad verba Divinarum Scripturarum juxta Grotii interpretationem attendatur, inferendum esset, potestatem circa Sacra esse potius penes parentes, quam penes summas potestates. Hoc autem totum Grotii systema omnino destruit.

Omnem ergo animam potestatibus superioribus subjectam esse oportere, Apostolus quidem dixit, quoad omnia tamen non dixit, immo vero id distincte negavit. Nam in epistola *ad Hebræos* cap.13. v.17. omnibus, nemine excepto, præcipit, ut suis Præpositis obediant, eisque subjaceant: *obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*. De iis vero Præpositis ipse agit, qui loquuti fuerant illis verbum Dei. Vult ergo Apostolus, omnem animam superioribus potestatibus subjectam esse: vult quoque ut omnes obediant suis Præpositis, hoc est eis, qui præfecturam in Ecclesiam habent. Ne igitur dicamus, Apostolum quoad omnia duabus simul potestatibus cunctos voluisse subjectos; est profecto dicendum, ita hanc subjectionem divisisse, ut secularibus potestatibus subjacerent in iis, quæ rem politicam, Ecclesiasticis obedirent in aliis, quæ rem Sacram spectarent. Unde *Actorum* cap.20. v.28. præcipit Episco-

ſcopis, ut invigilent gregi ſibi commiſſo, & regant eam Eccleſiam, quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit: " Attendite
" vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus San-
" ctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam ſuo ſanguine
" acquiſivit ". His enim verbis decernit, illud ſane eſſe Eccleſiæ regimen, quod ad Epiſcopos pertinet. Ex quo conſequitur, ut regimen politicum pertineat ad poteſtates ſeculares, & ſub illo omnem animam contineri *Roman.* cap. 13. Apoſtolus conſtituerit.

Hoc vero eſt, quod vult S. Joannes Chryſoſtomus in eodem quoque loco, quem Grotius opponit, hoc eſt, *Homil.* 23. in epiſt. *ad Romanos* num. 1. Omnibus enim indicit, Pauli auctoritatem ſequutus, cujuſcumque tandem conditionis ii ſint, & quamvis in Eccleſia dignitatem habeant, ut ſecularibus poteſtatibus ſubjecti ſint, quia hæc ſubjectio pietatem non ſubvertit, & ipſa quoque ratio Apoſtolatus non eſt talis, ut laicam poteſtatem ſubvertat. Hinc ibidem S. Joannes Chryſoſtomus animadvertit, Apoſtolum præcepiſſe, ut omnis anima ſeculari poteſtati ſubjiceretur, tum ad amovendum eum falſum rumorem, qui invaluerat, Apoſtolos eſſe ſeditioſos, atque ſtudere rebus novis, tum etiam ad facilius alliciendos Principes infideles, ut Chriſtianæ religioni nomen darent: inquit enim: " Ita
" enim ille (Apoſtolus) Principes infideles ad piam religionem
" magis alliciebat, & fideles ad obedientiam. Etenim rumor
" undique circumferebatur, quo Apoſtoli ut ſeditioſi, & no-
" varum rerum auctores incuſabantur, qui ad legum commu-
" nium everſionem omnia facerent, & dicerent. Quum enim
" oſtendes communem Dominum noſtrum hoc ſuis omnibus
" præcipere, eorum, qui Apoſtolos ut novatores traducebant,
" ora obſtrues, & cum majori fiducia pro veritatis dogmati-
" bus loqueris ". Chryſoſtomus ergo illud quidem voluit, ut omnes laicis poteſtatibus quoad ea ſubjecti eſſent, quæ illarum ſunt propria; ceterum non ſolum verum Eccleſiæ regimen tribuit, ſed etiam illud civili longe præcellentius eſſe affirmavit: " At vero (inquit *Homil.* 15. in 2. epiſt. *ad Corinthios*
" num. 4.) hic aliud quoque imperii genus eſt, ac civili qui-
" dem

„ dem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod „ in Ecclesia viget, cujus etiam ipsius mentionem Paulus fa„ cit, quum ait (1): *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* „ *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris red*„ *dituri*. Hoc enim imperium tanto civili est excelsius, quan„ to cælum terra, immo etiam multo præstantius".

S. Bernardus in citato loco humilitatem, & modestiam, commendat Episcopo, non ita tamen, ut ille secularibus potestatibus quoad omnia subesse debeat: inquit enim num. 31. antequam auctoritatem Apostoli in medium adducat: " Ut autem „ secure præesse possitis; subesse & vos, si cui debetis, non „ dedignemini ". Post ea autem verba, quæ nobis opponuntur, hæc statim superaddit: " Nolite illorum acquiescere con„ siliis, qui quum sint Christiani, Christi tamen vel sequi fa„ cta, vel obsequi dictis opprobrio ducunt. Christus aliter & „ jussit, & gessit: *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, &* „ *quæ sunt Dei, Deo*. Quod ore loquutus est, mox opere im„ plere curavit. Conditor Cæsaris Cæsari non cunctatus est „ reddere censum: exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita „ faciatis ". Qua ergo ratione Christus secularibus potestatibus se subjecit, vult S. Bernardus, ut etiam Episcopi subdantur. Christus autem nullam quoad ea, quæ sunt Christianæ Religionis subjectionem præsetulit: igitur quoad ista neque etiam Episcopi, si in argumentatione S. Bernardi sistamus, præferre debent.

§. VI. Sanctorum Patrum auctoritate omnino perspectum habemus, nullam in Sacra potestatem competere secularibus Principibus.

Ne rem jam actam a nobis agamus, ad ea loca Patrum nunc appellamus, quæ hujus libri cap. 2. §. 3., & 6. in medium protulimus. Nonnulla ergo summatim de iis primo Patribus dicemus, quos §. 3., deinde de aliis, quos §. 6. testes adhibuimus. S. Clemens Romanus Pontifex munera, quæ sunt propria Summi Sacerdotis, Sacerdotum, atque Levitarum, distinguit a muneribus laicorum, atque istis tantum *laica præcepta*

(1) *Hebræor.* cap. 13. v. 17.

pta tribuit. S. Ignatius in epistola ad Magnesianos, Trallianos, Philadelphenos, & Smyrnæos rem totam Sacram commissam affirmat Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, atque vult, ut eis populus omnis obtemperet, & Episcopis quidem, sicut loco Dei, Presbyteris, ut Apostolorum loco præsidentibus, Diaconis, uti Jesu Christi ministerium obeuntibus. S. Clemens Alexandrinus loquens de gradibus Ecclesiæ, tres eorum ordines assignat, quos institutos dicit ad imitationem Angelicæ gloriæ, hoc est, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. S. Optatus Milevitanus nulla dignitate laicos in Ecclesia sua ætate suffultos fuisse commemorat, & primas Episcopis, secundas Presbyteris, tertias vero in Ecclesia partes Diaconis tribuit. S. Cyprianus fovere oves, & Divino magisterio instruere eas, Presbyterorum, & Diaconorum esse munus dicit. Origenes ab Episcopis, Presbyteris, atque Diaconibus non solum instructiones repetit, sed & correptiones verbis etiam austerioribus factas agnoscit. Concilium Antiochenum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos universæ Ecclesiæ Catholicæ comministros esse testatur. S. Hieronymus loquens de dignitatibus Ecclesiæ, inter eas recenset Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, idemque etiam S. Augustinus facit. Tam est ergo manifestum, quam quod maxime, pro certo habuisse Patres, nullam in Sacra potestatem Principi laico convenire posse. Nunc alia loca Patrum, quæ §. *6.* in medium adduximus, breviter expendamus.

S. Justinus Martyr præesse Sacris Synaxibus, Sanctus autem Irenæus Principatum in Ecclesia Presbyteris tribuit. Sanctus Clemens Alexandrinus Presbyterorum esse affirmat & pastoralem curam gerere, & nosse artem legum ferendarum, & præesse Ecclesiis ad imaginem boni pastoris. Tertullianus Præsidentium Ecclesiæ mentionem sæpius facit, atque inter illos nunquam laicos recenset. Origenes Principem Ecclesiæ a Principe gentium distinguit. S. Cyprianus Presbyteros vocat Ecclesiæ Præpositos, Episcopos Præsidentes, & Diaconos ministros. S. Hilarius affirmat Episcopos esse perfectos Ecclesiæ Principes. S. Gregorius Nazianzenus suo imperio etiam seculi Prin-

li Principes subjectos facit. S. Joannes Chrysostomus Episcopis Principatum tribuit. S. Hieronymus primos Ecclesiæ gradus in Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos partitur. Sanctus Augustinus Præfecturam super Ecclesiam, quam sibi, aliisque Episcopis tribuit, a communi conditione Christianorum distinguit. Tandem S. Gregorius Magnus ad instar Apostolorum Episcopos gradum regiminis in Ecclesia esse consequutos affirmat.

§. VII. Auctoritate Patrum suum errorem confirmare Vossius frustra nititur.

In commemorata a nobis *Dissertatione Epistolica* hæc primo pro se opponit ex *Apologia* 2. S. Justini, in qua idem Justinus se paratum dicit, denuo de Christiana Religione coram Imperatore, loqui: κοινονίας τῶν λόγων βασιλικόν ἐῖναι ἔργον (1). Hæc alia deinde ex aliis Patribus in medium adducit. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 31. in fine ita habet: " Hæc & „ laicis præscribo, hæc & Presbyteris mando, hæc & iis, qui„ bus imperium creditum est. Omnes rectæ doctrinæ opem „ ferte, qui Dei beneficio opem ferre potestis. Non tantas „ vires sermo meus habiturus est, pro Sancta Trinitate bel„ lum gerens, quantas edictum tuum "? Longa deinde loca ex S. Augustini Operibus Vossius exscribit, hoc est, ex libro *Contra Litteras Petiliani* cap. 92., ex lib. 3. *Contra Cresconium Grammaticum* cap. 51. *De Correctione Donatistarum ad Bonifacium* cap. 6., & cap. 13. Quibus omnibus in locis id contendit Augustinus, Reges tunc revera, prout sunt Reges, suam operam Deo navare, eique servire, " Si in suo regno bona jubeant, „ mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam „ societatem, verum etiam quæ ad Divinam Religionem ". Hæc ex Leonis Magni epist. 11. ad Theodosium Augustum in medium profert: *pro integritate fidei convenit Christianissimum Principem esse sollicitum*. Ad epist. 25. S. Leonis ad eumdem etiam appellat, atque ex epist. 75. ad Leonem Augustum hæc alia refert: " Quum enim Clementiam suam Dominus tanta „ sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter „ ad-

(1) Citat pag. 37. edit. Com.

„ advertere, Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi re-
„ gimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam ". Obſervat quoque a S. Gregorio Magno Mauritium celebratum fuiſſe, " Quod conſervandæ Sacerdotali charitati, & cuſtodiæ
„ fidei, rectitudine ſtudii ſpiritualis, præcipua ſollicitudine " invigilavit. Ut conſulatur epiſt. 76., & 163. lib. 4. S. Gregorii ad eumdem Mauritium lectores monet. Quæ Grotius ex S. Iſidoro (1), ipſe etiam pro ſe opponit. His autem ſuperaddit auctoritatem S. Bernardi *Sermone 46. ſuper Cantica* ajentis:
„ Quomodo namque ſtabunt ordines Clericorum, & admini-
„ ſtrationes eorum, ſi non Principum, tamquam tignorum
„ beneficio, & munificentia ſuſtententur, & potentia protegan-
„ tur"? Ex Arnulphi Epiſcopi Lexovienſis ſermone in Synodo habito hæc dicta in medium adducit. " Juſtitia Regiæ majeſta-
„ tis per diſcretionem ſcientiæ dirigit, & informat. Informat
„ ad virtutem, dirigit ad ſalutem ". Poſt hæc vero omnia ita Voſſius habet: " Et quid multis opus eſt, quum Chriſtiani
„ Epiſcopi etiam ad Gentilem Cæſarem provocarint? Nam uti
„ Euſebius ſcribit lib. 7. cap. 24., & Nicephorus lib. 6. cap. 17.
„ quum Paulus Samoſatenſis a Synodo Antiochena damnatus
„ Epiſcopi ædes relinquere ſucceſſori nollet, non dubitarunt
„ Chriſtiani Epiſcopi provocare ad Imperatorem Aurelianum,
„ qui decrevit, ut illis Eccleſiæ domus tribueretur, quibus
„ eam Urbis, & ceteri Italiæ Epiſcopi adjudicaſſent ".

At non erat ſane, cur Voſſius in hiſce Patrum locis congerendis irrito conatu tantopere laboraret. Nam id tantum ex eis recte colligi poteſt, voluiſſe Patres, ut Principes ſua poteſtate uterentur non ſolum in communem utilitatem vitæ præſentis, ſed etiam in obſequium Dei, a quo Principatum recipiunt, ita ut & Eccleſiæ commodis proſpicerent, & qua ratione poſſent, ab illa mala omnia averterent, perſequutores ejus reprimerent, atque oppugnantes frangerent. Hac enim ratione futurum affirmabant, ut Reges veræ communi utilitati proſpicerent, & quatenus tanta auctoritate inſigniti erant, ſuam Deo operam locarent. Verum nonnulla de illis ſingulis Patribus,

(1) Vide præced. §.

bus, quos Voſſius in ſui patrocinium adducit, qua fieri poterit majori brevitate, videamus.

Hæc quidem Juſtinus in 2. *Apologia* (1) num. 3. habet: „ Atque ut verum a me dici pateat, paratus ſum, ſi diſputa„ tiones illæ ad vos perlatæ non ſunt, coram vobis interroga„ tiones iterum proponere. Regium ſane hoc etiam opus fue„ rit βασιλικὸν δ' ἂν ἔργον εἴη“. Eas ergo calumnias, quibus Chriſtiani traducebantur, ſicuti infenſi humanæ ſocietati apud Imperatorem depellere Juſtinus ſibi propoſuerat. Videre autem hac de re regium ſane opus eſſe dicit, & recte quidem dicit: neque tamen inde conſequitur, ut dum hoc illi faciunt, rem Sacram ſibi ſubjiciant.

Diſtinctionem Divinarum Perſonarum, non vero Divinitatis faciendam eſſe poſtquam S. Gregorius affirmavit, verbis a Voſſio citatis indicit tum laicis, tum Presbyteris, tum etiam eis, qui imperii regimen tenent, ut hujuſmodi fidem ſequantur, omneſque inducit ad rectæ doctrinæ opem ferendam ea ratione, qua poſſunt. Inde autem affirmat, ut ipſe ſuo ſermone pugnans pro Sancta Trinitate, non ita valeret, ſicuti edictum Imperatoris, quia hujus erat non ſolum magis extenſa poteſtas, ſed etiam valde efficax ad timorem incutiendum. Profecto inter Sacra locum potiſſimum habet ipſa fides: hanc tamen S. Gregorius eadem ratione, qua laicis, & Presbyteris, etiam Imperatori præſcribit.

S. Auguſtinus lib. 2. *Contra Litteras Petiliani* num. 210. poſtquam dixit, quod “ Omnes homines ſervire Deo debent, „ aliter communi conditione, qua homines ſunt, aliter diver„ ſis donis, quod ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud,“ ſuperaddit habere “ Reges, excepta generis humana ſocieta„ te, eo ipſo quo Reges ſunt, unde ſic Domino ſerviant, „ quomodo non poſſunt, qui Reges non ſunt“. Quis autem dubitaverit a Regibus Deo ſerviendum eſſe ſingulariter, etiam quatenus ſunt Reges, & poteſtatem, quam habent, in Dei famulatum adhibendam? At inde ne fortaſſe conſequitur, rem quo-

(1) Juxta edit. Pariſienſ. an. 1742.

quoque Sacram a Regibus attingendam esse ? Vossius sane viderit.

Libro 3. *Contra Cresconium Grammaticum* num. 56. affirmat Augustinus, Reges ferre leges contra veritatem, dum in errore versantur, contra errorem vero, dum pro veritate decertant. Hanc in rem affert exemplum Nabuchodonosoris, qui, ut simulachrum adoraretur, præcepit, quando in errore detinebatur, ab eo autem correctus jussit, ne verus Deus blasphemaretur. Inde autem Augustinus colligit, Deo servire Reges, " In quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad Divinam Religionem ". Promovendæ autem Divinæ Religioni Reges operam dare oportere, nec quidquam decernere contra eam posse, apud omnes in confesso est. Religionem autem non promoverent, sed perverterent, si eam, quam in Sacra non habent, auctoritatem sibi usurparent (1).

Epistola 185. ad Bonifacium, alias 50. Donatistas conquerentes contra se appellatum esse ad Imperatorem, refellit, indeque illos convincit, quia hoc idem etiam ipsi contra Catholicos non multo ante fecerant: superaddit autem bonum semper utile esse, atque suscipiendum, sive a laica, sive ab Ecclesiastica potestate illud proficiscatur. Post hæc num. 5. ait, Principem, si virtutem consectetur, justa decernere; si autem ab illa deficiat, injusta, vel non recta statuere. Hæc vero sunt ea, quibus Vossius nititur. Ob illa tamen nihil tale in cujusvis mentem cadere posse arbitror, quale in Vossii mentem venit.

S. Leo epist. 24. (2) ad Theodosium Augustum eumdem monet, decere eum præcipue, uti Principem Christianissimum, esse de integritate fidei quam maxime sollicitum. Epist. 27. (3) Theodosium commendat, quod *Catholicam veritatem religiosissime* (4) diligeret, effecissetque, ut ad condemnationem Eutyche-

(1) Vide quæ supra §. 4. in explicatione ejusdem loci S. Augustini disseruimus. (2) Juxta edit. Cacciarii. (3) Juxta eamdem edit. (4) Juxta eamdem edit.

tychetis Ephesi Synodus Episcoporum cogeretur. Epist. 129. ad Leonem Augustum cap. 3. illum hortatur, ut constanter despiciat, atque repellat eos, qui se Christiano nomine privarunt, nec patiatur, " Impios parricidas sacrilega simulatione „ de fide agere, quos constat fidem velle vacuare ". Ad hanc ergo rem ut accendat animum Imperatoris, ita ad illum habet: „ Quum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti „ sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, „ Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed „ maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & „ veram pacem his, quæ turbata sunt, restituas. " Hisce autem omnibus nihil profecto auctoritatis in Sacra Imperatori tribuitur, sed illud tantum in mentem illius revocatur, uti ipsum debere ea potestate, quam a Domino acceperat, non solum in mundi regimen, sed etiam ad defensionem Ecclesiæ, atque ad reprimendos impios eorum ausus, qui pacem Ecclesiæ turbare conarentur. Si quid ergo minus habebatur, quod Vossius in medium pro se afferre posset, S. Leonis auctoritas sane erat.

S. Gregorius lib. 5. indict. 13. epist. 20., alias 32. ad Mauritium Imperatorem ita auspicatur: " Piissimus, atque a „ Deo constitutus Dominus noster, inter ceteras Augustorum „ ponderum curas, conservandæ quoque Sacerdotali charitati rectitudine studii spiritalis invigilat: videlicet pie veraciterque considerans, neminem posse recte terrena regere, „ nisi noverit Divina tractare, pacemque reipublicæ ex universalis Ecclesiæ pace pendere ". Aliud profecto est invigilare, ut charitas Sacerdotalis conservetur, aliud autem suscipere curam Sacrorum: illud S. Gregorius Mauritio Imperatori cum laude tribuit, non vero istud, atque scientiam terrena regendi, & Divina tractandi simul conjungit, non quidem habita ratione regiminis Sacrorum, sed ejus connexionis, quæ inter pacem reipublicæ, & Ecclesiæ universalis intercedit. Alias etiam epistolas ad Mauritium S. Gregorius dedit; verum in nulla earum quidpiam occurrit, quod pro Vossio faciat. Nam

Nam lib. 5. indict. 13. epist. 30. Mauritio gratias agit ob triginta auri libras, quas miserat ad sublevandos pauperes. Ejusdem lib., & indict. epist. 40., alias 31., Imperatorem multis hortatur, ut Sacerdotibus debitam reverentiam impendat. Lib. *6.* indict. 14. epist. 16. eum rogat, ut Joannis Presbyteri innocentiam tueatur. Eodem lib. eademque indict. epist. *65.*, alias *63.* Mauritii animum adversus contemptores suarum legum accendit. Eodem lib. indict. 17. epist. *6.* Mauritium Ecclesiasticæ pacis custodem vocat, atque de electione Cyriaci in Episcopum Constantinopolitanum cum eo gratulatur. Lib. 7. indict. 15. epist. 33., alias 25. Mauritium monet, rem inanem non esse illam, de qua sibi cum Cyriaco Episcopo Constantinopolitano controversia erat: " Quia (inquit) quisquis „ se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in„ electione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se „ ceteris præponit". Lib. 3. indict. 11. epist. *65.*, alias *62.*, plurimum quidem Mauritii auctoritati defert, illumque rogat, ut vel omnino tollat, vel mutet eam legem, qua prohibuerat, ne tum ii, qui publicis rationibus implicati essent, tum milites in Monasteriis reciperentur. Se tamen cum eo loqui dicit, *neque ut Episcopum*, *neque ut servum jure reipublicæ*, *sed jure privato*, indeque adhortatione utitur, atque in animum Imperatoris illud inducere contendit, valde displicere Deo, quod ipse hac de re decreverat: anne ex hoc quidpiam juris in Sacra Imperatori tribuitur? Nihil tale ergo ex omnibus epistolis (omnes enim recensuimus) quas S. Gregorius ad Mauritium Imperatorem dedit, ullo modo colligi potest, quale Vossius vellet.

S. Bernardus *Sermone* 46. in *Cantica* num. 2. explicans illa verba (1): *tigna domorum nostrarum cedrina*, ita habet: „ Porro *domus* populares conventus intellige Christianorum: „ quos qui in sublimitate positi sunt, Christiani utique utrius„ que ordinis Principes, quasi *tigna* parietes, justis impositis „ legibus, stringunt, ne sua quique lege, vel voluntate vi„ ventes, tamquam parietes inclinati, & materiæ depulsæ dis„ sideant

(1) *Cantic.* cap. 1. v. 16.

„ ſideant a ſemetipſis, & ſic omnis ſtructura corruens diſſipe-
„ tur. *Laquearia* vero, quæ a tignis firmiter pendent, & do-
„ mos inſigniter ornant, puto bene inſtituti Cleri manſuetos,
„ & diſciplinatos mores, riteque adminiſtrata officia deſigna-
„ re. Quomodo namque ſtabunt ordines Clericorum, & ad-
„ miniſtrationes eorum, ſi non Principum, tamquam tigno-
„ rum beneficio, & munificentia ſuſtententur, & protegan-
„ tur potentia"? Principum tamen *utriuſque ordinis*, ita ut a Principibus unius ordinis in Sacris, a Principibus autem alterius ordinis in politicis dirigantur.

Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis ſermone habito in Synodo inter cetera illud probare contendit, Chriſtum & Regem eſſe, & filium Regis. Hanc in rem affert illud *Pſalmi* 71. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis* (1): " Non
„ habet (inquit) regnum fortuitum, ſed hæreditarium, quia
„ de Patre. *Deus*, inquit, *judicium tuum Regi da, & juſtitiam*
„ *tuam filio Regis*. Ad Patrem loquitur: Deus, inquit, Pater
„ da Regi, id eſt, Chriſto filio tui Regis, ſcilicet qui Rex es,
„ judicium, & juſtitiam, potentiam ſcilicet, & ſcientiam ju-
„ dicandi .... In his ſiquidem duobus conſiſtit tota regiæ ma-
„ jeſtatis auctoritas, quia judicium per ſeveritatem potentiæ
„ vindicat, quæ male commiſſa ſunt, coercet, ne iterum com-
„ mittantur. Punit ſiquidem exceſſus, & refrænat audaciam.
„ Juſtitia vero per diſcretionem ſcientiæ dirigit, & informat.
„ Informat ad virtutem, dirigit ad ſalutem. Pater itaque Rex
„ eſt, & Filius Rex eſt". Suntne omnia iſta talia, quæ ad rem Voſſii ſaltem aliquo modo apparenter facere poſſe videantur?

Fuit quidem ab Epiſcopis ad Cæſarem Aurelianum contra Paulum Samoſatenſem provocatum; verum non ea ratione, ut controverſiæ judicem eum conſtituerent, ſed illius ſententiæ, quam in Paulum Samoſatenſem ſua auctoritate tulerant, vindicem adhiberent.

§. VIII. Nonnulla alia loca Patrum expenduntur, quæ præ ceteris quibuſque aliis majori cum confidentia Adverſarii noſtri nobis opponunt.

Hæc

(1) Tom. 22. Biblioth. Patrum pag. 1327. edit. Lugdunenſ.

Hæc ergo ſunt. Tertullianus *ad Scapulam* cap. 2. " Colimus ergo Imperatorem (ait) ſic, quomodo & nobis licet, „ & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid „ eſt a Deo conſequutum, & ſolo Deo minorem ". S. Optatus lib. 3. *Contra Parmenianum* : " Non enim reſpublica eſt in „ Eccleſia, ſed Eccleſia in republica eſt, id eſt in Imperio Ro„ mano ". Et paulo poſt : " Quum ſuper Imperatorem non „ ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem ". S. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 2. ad Populum Antiochenum* num. 2. " Læ„ ſus enim eſt, qui non habet parem ullum ſuper terram. „ Imperator enim eſt faſtigium, & caput omnium ſuper ter„ ram ": Hinc a Socrate lib. 5. *Hiſtor. in Præfat.* traditum habemus, res Eccleſiæ ab Imperatoribus curatas ex eo tempore fuiſſe, quo illi Chriſtianæ Religioni nomen dederunt.

At vero quemadmodum in *Apologetico*, ita etiam in hoc libro *ad Scapulam*, qui erat Africæ Præſes, & in Chriſtianos deſæviebat, propulſare calumnias ſparſas contra Chriſtianos Tertullianus conatus fuit. Inter ceteras autem illa ſane poſtremum locum non habebat, qua Chriſtiani uti læſæ majeſtatis rei inde traducebantur, quia honores Divinos Imperatori deferre recuſabant. Hanc ergo potiſſimum calumniam Tertullianus ut depellat, Chriſtianos non eſſe ſequutos demonſtrat Albinum, Nigrum, & Caſſium, qui contra Imperatores rebellarunt: " Sic (inquit) & circa majeſtatem Imperatoris „ infamamur; tamen nunquam nec Albiniani, nec Nigriani, „ vel Caſſiani inveniri poterunt Chriſtiani ". Deinde vero Scapulam monet, eos, qui Divinos honores Imperatori detulerant, eorumdem hoſtes ſæpe repertos fuiſſe, contra vero Chriſtianos nullius ſane hoſtes eſſe, & multo minus Imperatoris, quem quum a Deo conſtitutum ſciant, ipſum diligunt, & reverentur, atque ſalvum volunt. Poſtremo ad eum cultum deſcendit, quem Chriſtiani Imperatori deferunt. Dicit ergo a Chriſtianis coli Imperatorem, *ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt a Deo conſequutum, & ſolo Deo minorem*. Solo Deo, inquam minorem, habita tamen ratione reipublicæ, rerumque civilium, quemadmodum ipſius Tertulliani ſcopus poſtulabat.

labat. Quandoquidem, ut diximus, Tertullianus a Christianis eam calumniam amovere sibi proposuit, qua uti rei læsæ Imperatoriæ majestatis insimulabantur, quia Imperatori Divinos honores deferre recusarent. Unde civile solummodo regimen ab ipso spectandum erat, & respectu istius dixit a Christianis coli Imperatorem *uti hominem a Deo secundum*, & *solo Deo minorem*.

Quoniam vero Adversarii nostri, S.Optatum sibi adjumento esse cum magna confidentia contendunt, ejusdem S.Optati locum nunc diligenter expendamus. Ipsum itaque non rempublicam in Ecclesia, sed Ecclesiam in republica esse, dixisse eo sensu, ut de debito honore, atque reverentia exhibenda Imperatoribus Donatistas arguendo moneret, dubitari a nemine potest. Donatistæ enim Ecclesiæ, & etiam Constantini Ecclesiæ sententiam exequentis judicio damnati sese ab unitate Catholicæ Ecclesiæ separaverant, eoque audaciæ devenerant, ut apud se tantum veram Ecclesiam in Africæ angulo persistere delirarent. Catholicos ergo omnes aversabantur, uti a veritate rectæ fidei alienos, tantaque Donati impudentia fuit, ut quas Constantinus eleemosynas ad sublevandam inopiam Ecclesiarum, & pauperum in Africam miserat, accipere recusaverit, atque in hæc verba plena temeritatis proruperit. *Quid est Imperatori cum Ecclesia*? De hoc ergo tam audaci, atque superbo despectu Donatistas Optatus arguit, & ex illo jam tempore contra præceptum Apostoli Pauli ab eis constitutum dicit, ut quam deberent, Principibus, atque potestatibus reverentiam non deferrent: " Jam tunc meditabatur (in„ quit) contra præcepta Apostoli Pauli Potestatibus, & Re„ gibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, „ quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B.Apostolus Pau„ lus: *rogate pro Regibus*, & *Potestatibus*, *ut quietam*, & *tran„ quillam vitam cum ipsis agamus* ". Post hæc vero ista alia superaddit, quæ nobis opponuntur: " Non enim respublica est „ in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, hoc est in Roma„ no Imperio ". Unde eo sensu non rempublicam in Ecclesia, sed

ſed Eccleſiam in republica eſſe Optatus dixit, quatenus Regibus, & Poteſtatibus ſit honor ab iis quoque deferendus, qui prima in Eccleſia loca tenent. Hinc ita Donatiſtas urgere pergit: “ Merito Paulus docet orandum eſſe pro Regibus, & „ Poteſtatibus, etiam ſi talis eſſet Jmperator, qui gentiliter „ viveret: quanto quod Chriſtianus? quanto quod Deum „ timens? quanto quod religioſus? quanto quod miſericors, „ ut ipſa res probat? Miſerat enim ornamenta domibus Dei, „ miſerat pauperibus eleemoſynam, nihil Donato. Cur ergo „ inſanivit? cur iratus eſt? cur, quod miſſum fuerat, re„ pudiavit? Et quum illi, qui miſſi fuerant, dicerent, ſe ire „ per Provincias ſingulas, & volentibus accipere ſe daturos: „ ille dixit ubique ſe litteras præmiſiſſe, ne id, quod allatum „ fuerat, pauperibus alicubi diſpenſaretur“. Eſt ergo tota Optati ratio ad id comparata, ut Imperatoribus honorem ab omnibus eſſe deferendum evincat, & Donatiſtas de contempta majeſtate Imperatoris graviter redarguat. Quapropter non ſimpliciter Optatus dixit: *Eccleſiam in republica eſſe*, ſed ſuperaddidit: *id eſt in imperio Romano*: nam de reverentia Romano Imperatori deferenda loquebatur. Ex his autem conſtat, quam longe adverſarii noſtri a veritate aberrent, dum eo ſenſu ab Optato, Eccleſiam in republica eſſe, dictum fuiſſe contendunt, ut Eccleſiaſtica poteſtas civili ſubdita ſit. Quod nos volumus confirmatur ex ipſa loquendi ratione, qua Optatus uſus fuit. Nam Eccleſiæ nomine tota quanta eſt Eccleſia ipſa intelligitur: at vero Eccleſia tota quanta Optati tempore erat, in Romano Imperio non continebatur, ſed Chriſtiana Religio etiam apud Getas, Perſas, ceteraſque gentes barbaras colebatur, ſicuti nemini perſpectum non eſt: qua ergo affirmare Optatus ratione potuiſſet, Eccleſiam in Romano imperio contineri, ſi de ſubjectione ejus ad politicam poteſtatem loquutus fuiſſet?

At ſuper Imperatorem ſolum Deum eſſe, qui fecit Imperatorem, Optatus affirmavit: ita ſane; verum civilis Principatus habita ratione, ſolum Deum eſſe ſupra Imperatorem affirmavit. Pergit ergo Optatus temeritatem Donati renuen-

tis accipere eleemosynas missas ab Imperatore in hunc modum redarguere: "Quid si jam Deus dicat Donato: *Episcope,*
„ *quid vis fuisse Constantem* (1)? *Si innocentem*: *quare ab inno-*
„ *cente accipere noluisti*? *si peccatorem*: *quare non permisisti da-*
„ *re*, *propter quem feci pauperem*? Sub hac interrogatione
„ qualis futurus est? Quid de levitate, & furore laboravit
„ tantis pauperibus impedire? Carthaginis Principatum se
„ tenuisse crediderat, quum super Imperatorem non sit nisi
„ solus Deus, qui fecit Imperatorem, dum se Donatus su-
„ per Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat
„ metas, ut se, ut Deum, non hominem æstimaret, non
„ verendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur".
De usurpato ergo laico Principatu Donatum Optatus accusat, ejusdemque Principatus habita ratione, solum Deum super Imperatorem esse affirmat. Quis vero negat, Imperatores, quam laicam potestatem habent, & a Deo habere, & in illa, si secundum se ea spectetur, solum Deum illis esse superiorem? Ex Optati ergo verbis nihil minus colligi potest, quam quod Adversarii nostri vellent. Quid? Nonne Optatus in priori libro *adversus Parmenianum* vocat Episcopos *Apices*, *& Principes omnium*? Qua ergo ratione *Apices*, *& Principes omnium* eos vocat, non sunt ii profecto Imperatori subjecti, neque Imperator secundum eam rationem, qua illi sunt *Apices*, *& Principes omnium* solum Deum sibi superiorem habent. Verum non est cur de re tam manifesta diutius differamus. Hæc ergo tantum superaddenda censemus, quæ habet S. Ambrosius Epist. Classi 1. epist. 21. num. 36. "Quod cum honorificentia
„ Imperatoris dictum nemo potest negare. Quid enim hono-
„ rificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur?
„ Quod quum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia di-
„ tur. Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Eccle-
„ siam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ,
„ non

(1) Non fuit Constans Constantini filius, sed Constantinus pater, qui eleemosinas misit in Affricam Ecclesiis, atque pauperibus distribuendas. Vide Albaspinæi adnotationem ad priora optati verba, in quibus de hac eleemosyna mentionem facit.

„ non refutat. Hæc ut humiliter dicimus, ita constanter „ exponimus“. Optato conformis est Ambrosius, & Ambrosio Optatus, dum tamen hunc eo sensu dixisse ponamus, Ecclesiam in republica esse, quo nos supra exposuimus, & revera secundum scopum illius exponi debet.

Citatam Homiliam ea occasione S. Joannes Chrysostomus ad Populum Antiochenum habuit, quo tota civitas ob eversas statuas Theodosii Imperatoris in maxima trepidatione versabatur. Luget ergo ipse periculum, quod ob tantum perpetratum malum civitati imminebat, quoniam summa in majestatem illius injuria illata fuerat, qui nullum hic in sua potestate æqualem habebat: “Civitas tam magna (inquit) & Orien„ talium caput e medio tolli terrarum orbe periclitatur: nunc „ quæ multos habet filios, repente sine filiis facta est, qui au„ xilietur, nemo. Læsus enim est, qui non habet parem ul„ lum supra terram: Imperator enim est, fastigium, & caput „ omnium super terram hominum. Propterea ad supernum „ Regem confugiamus, illum in auxilium invocemus“. Quapropter illud tantum vult S. Joannes Chrysostomus, ab Antiochenis, habita ratione ejus conditionis, in qua versabantur, Divinam tantum opem implorandam esse, quoniam qui læsus fuerat, ad misericordiam induci nullius hominis auctoritate poterat, quoniam Imperator erat, & suo temporali dominio cunctos subjectos habebat. De laica ergo potestate, qua Imperator illatam sibi injuriam severius vindicare poterat, Chrysostomus loquitur, & respectu illius affirmat, Imperatorem nullum sibi parem habere super terram. Hoc tamen neque contra nos facit, neque Adversarios nostros juvat, quum controversia, quam cum illis habemus, in eo versetur, utrum Ecclesia in iis, quæ sibi propria sunt, & ad rem Sacram spectant, laicæ potestati subjecta sit.

Est illud quidem a Socrate memoriæ proditum, res Ecclesiæ ab Imperatoribus ab eo tempore pendere cœpisse, quo Christianæ Religioni nomen illi dederunt; verum id non affirmat, quasi senserit, Imperatores fuisse moderatores Christianæ Religionis, sed quia statum inter imperii, & Ecclesiæ ma-

xima connexio fuit, & imperii calamitates in Ecclesiam, ficuti Ecclesiæ calamitates in imperium redundarunt. Nam dum Socrates monet lectores, ne vitio sibi vertant, si etiam bella gesta variis temporibus historiæ Ecclesiasticæ innectat, hanc inter alias rationem affert: "Nam si quis animum attenderit, reipu-
" blicæ mala, & Ecclesiarum calamitates simul viguisse depre-
" hendet. Aut enim uno eodemque tempore utraque orta
" esse reperiet, aut brevi temporis spatio se invicem subse-
" quuta: & interdum quidem Ecclesiarum calamitates præire,
" deinde subsequi motus reipublicæ: interdum vero vice-
" versa ".

§. IX. Christianorum Imperatorum decretis suum errorem confirmare Adversarii nostri frustra nituntur.

In hoc sane locarunt suam operam Hennigesius *De Sum. Roman. Imperat. potest. circa Sacra* cap. 2. §. 9., Grotius *De Imperio Summarum Potestatum circa Sacra*, & alii, maxime vero omnium Vossius in *Dissertat. Epistolica De Jure Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, qui sequentia pro se in medium protulit. Esse Principum publice Religionem instituere, institutam conservare, atque defendere, ex Constantino constat, qui apud Eusebium lib. 3. *De Vita ejus* cap. 17. ad Episcopos hæc habet:
" In hoc præcipue mihi elaborandum esse existimavi, ut a
" sanctissimis Ecclesiæ Catholicæ populis una fides, sincera
" charitas, & consona erga Omnipotentem Deum Religio
" servaretur ". Idem Imperator legem tulit, ut a Donatistis restituerentur Catholicis eæ Basilicæ, quas illi occupaverant, sicuti Auctor est Augustinus epist. 168. ad Januarium, & *contra Petilianum* lib. 2. cap. 92. Edictum quoque contra Arium tulit, sicuti apud Socratem legitur *Ecclesiast. Hist.* lib. 1. cap. 6. Lex illius contra omnes hæreses extat apud Eusebium *De Vita Constantini* lib. 3. cap. 62. & 63.

Constantius Constantini filius, antequam Arianus fieret, protestatus fuit in epistola ad Episcopos Tyrii, " Omni ope se
" adnisurum, ut ea, quæ sunt legis Dei, quam maxime in-
" offensa, & illabefactata servarentur " sicuti apud Athanasium *Apologia* 2. legitur. Idem contra Donatistas Macarium

Præ-

Præfectum ſuum miſit, uti habetur ex Optato lib. 3. *adverſus Parmenianum*.

His omnibus primo reſpondeamus, cetera deinde perſequemur, quæ Voſſius pro ſe affert. Conſtantinus ergo ſtatim poſt citata verba ita apud Euſebium habet: "Sed quoniam fieri „ non poterat, ut ea res firmiter, ac ſtabiliter conſtitueretur, „ niſi omnibus Epiſcopis, vel certe pluribus eorum in unum „ congregatis, ſingula, quæ ad ſacratiſſimam Religionem pertinent, diſceptata prius fuiſſent; hanc ob cauſam, coactis „ quamplurimis fieri potuit Sacerdotibus, me quoque tamquam uno ex vobis præſente ..... cuncta competenti examine eo uſque diſcuſſa ſunt, donec inſpectori omnium Deo „ accepta ſententia ad unitatis concentum proferretur in lucem". Ita ne ſentire poterat, ita ne ſe gerere ille debebat, qui in Sacra ſibi omne jus demandatum putabat?

Illud quidem ab Auguſtino epiſt.88., alias 68., num.205., non vero in epiſtolis, quas ad Januarium dedit, ſicuti etiam lib.2. *Contra Litteras Petiliani*, traditum habemus, juſſiſſe Conſtantinum, ut a Donatiſtis reſtituerentur Catholicis eæ Baſilicæ, quas illi occupaverant: verum hoc nihil ſane ad propoſitum Adverſariorum noſtrorum facit. Id enim præcipiendo Conſtantinus probavit ſententiam latam ab Epiſcopis contra Donatiſtas, ſuaque poteſtate exequutus fuit, quod ipſi Epiſcopi per ſe præſtare non poterant. Rem ergo Sacram Conſtantinus per ſe non attigit, ſed tantum ſua auctoriate effecit, ut ſententia lata ab Epiſcopis (1) contra Donatiſtas ſuum effectum haberet.

Apud Socratem lib. 1. cap. 9. legimus, Conſtantinum edictum tuliſſe contra Arium, præcipiſſeque, ut libri ejus comburerentur: verum qua ratione Conſtantinus ad hoc faciendum inductus fuit? non alia ſane, niſi quia, uti apud eumdem Socratem legitur, "Quod trecentis placuit Epiſco- „ pis, nihil aliud exiſtimandum eſt, quam Dei ſententia; præ- „ ſertim quum in tantorum virorum mentibus inſidens Spiri- „ tus Sanctus, Divinam voluntatem aperuerit".

Tulit

(1) Vide Euſebium lib. 10. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 5., & Noriſium *Hiſtor. Donatiſt.* cap. 9.

Tulit quidem idem Constantinus legem contra hæreticos, eisque prohibuit, ne tum in publicis locis, tum etiam in privatis ædibus simul in unum convenirent, quemadmodum Eusebius lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 64. & 65. tradit: at hujusmodi prohibitio eò tendebat, ut hæretici in suo errore magis magisque non firmarentur, sed accederent ad Ecclesiam Catholicam, ut ejus sanctitatis participes fierent: „ Itaque (inquit cap. 65.) quod longe honestius est, ac præ„ stantius, quicumque vestrum veræ, & sinceræ Religionis „ studiosi sunt, ad Catholicam Ecclesiam accedant, ejusque „ sanctitati communicent, cujus ope ad veritatem poterunt „ pervenire ". Catholicæ ergo Ecclesiæ judicia ut suum effectum habeant, Constantinus insistit, atque hac de causa damnat hæreticos ab Ecclesia Catholica jam proscriptos, eisque omnem occasionem in errore persistendi amputare contendit. Hoc vero non est Sacra invadere, sed Catholicæ Ecclesiæ negotia procurare, atque promovere.

Quæ autem apud Athanasium *Apologia* 2. num. 85. epistola legitur, data ad Episcopos, qui Tyrii convenerant, non est Constantis filii Constantini Magni, sed ipsius Constantini, qui Athanasii precibus inductus Episcopos Tyrii congregatos ad dicendam coram se causam eorum, quæ decreverant contra Athanasium, vocavit, idque ob eam rationem fecit, quemadmodum in eadem epistola ipse habet, " Ut illa potissimum „ in lege Dei firma, & immota serventur, quibus nec vitu„ perium, nec infamia quæpiam possit inhærere: dissipatis „ scilicet, penitus oppressis, ac funditus deletis legis inimicis, „ qui specie sancti nominis multiplices, ac diversas proferunt „ blasphemias ". Quoniam ergo tunc temporis alia ratione securius depellere calumnias contra se confictas Athanasius non poterat, quam si de causa ejus vel in Synodo legitime congregata, vel coram Imperatore, adstantibus suis Adversariis, ageretur, de alterutro Imperatorem rogavit (1). Imperator vero in id consensit, ut coram se ad penitus opprimendos, ac funditus delendos legis inimicos, qui specie sancti nominis mul-

(1) Vide Apologiam 1. S. Athanasii num. 9.

multiplices, & diversas blasphemias proferebant, ab iuimicis Athanasii causa diceretur.

Non est tamen dissimulandum quandoque Constantinum tum in causa Arianorum, tum in causa Donatistarum progressum eo usque fuisse, quo non debebat: verum id semper fecit, non ut rem Sacram attingeret, quatenus sui juris eam esse putaret, sed ut Ecclesiæ utilitati prospiceret, atque hæreticos ad resipiscendum adduceret. Deinde, sicuti Thomassinus monet *Differt. 3. in Synodum Nicænam* num. 5. " Quod Con„ stantino tanta audenti cederent, annuerentque Episcopi; „ vel vis illa erat, vel voluntas: si vis, ut in multis circa „ Arium, & Athanasium; nihil inde ei juris accrescebat: si „ voluntas, ut in longe pluribus aliis; nec sic quidem jus Im„ peratorium condebatur, quum ex œconomia tunc necessa„ ria id totum de jure Episcopali remitteretur. Conducebat „ enim vehementer multa condonari Imperatori, qui primus „ omnium Christo nomen dedisset, Ecclesiam tot persequutio„ nibus tandiu jactatam liberasset, ejus toto orbe propagandæ, „ muniendæque, idololatriæ autem extinguendæ certam spem „ faceret. Tali Imperatori non sua tantum jura, justaque tri„ buenda erant, sed aliena quoque indulgenda. Sed jure suo „ non exuuntur Episcopi, quum ex necessaria dispensatione „ aliquam ejus partem remittunt ".

Paulum, & Macarium ab Imperatore in Africam missos fuisse, Optatus lib. 3. commemorat, ut illi *pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos hortarentur*. Qua sane in re nihil inesse video, quo suum errorem Adversarii nostri tueri possint. Exemplo deinde Moysis, Phinees, & Eliæ Macarium fuisse ultorem injuriæ illatæ Deo ostendit, atque contra Donatistas ita concludit: " Ergo videtis a Moyse, Phinee, & „ Macario, similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei præ„ cepta sunt vindicata ". Hoc quoque ad rem Adversariorum nostrorum nihil facit.

Verum in hisce omnibus, quæ refutavimus, Vossius non sistit, sed ista alia superaddit: de Joviniano hæc legimus apud S. Gregorium Nazianzenum *Orat.* 21., quæ est in laudem Atha-

Athanasii: "Qui (Jovinianus) ut pulcherrimum imperii sui fun-
" damentum jaceret, rectamque legum sanctionem, unde con-
" veniebat, auspicaretur, quum omnes, alios Episcopos, tum eum
" ante omnes, qui omnibus virtute præstabat, ac citra dubitatio-
" nem ullam pietatis causa oppugnatus fuerat, ab exilio revo-
" cat. Quin etiam fidei nostræ veritatem a multis laceratam, &
" perturbatam, atque in sexcentas opiniones partesque distra-
" ctam, sibi tradi postulavit". Valentinianum tulisse legem contra Donatistas, auctor est S. Augustinus epist. 166. Gratianum, Valentinianum Juniorem, & Theodosium Seniorem lege lata sanxisse, ut populi sibi subjecti eam Religionem sequerentur, quam S. Petrus Romanis tradiderat, apud Theodoritum *Ecclesiast. Hist.* lib. 5. cap. 2., & Sozomenum lib. 7. cap. 4. legimus. Contra Donatistas quædam etiam a Gratiano constituta fuisse, tradit Augustinus epist. 166. Eumdem Gratianum lata lege jussisse, ut hæretici non solum urbibus, sed etiam pagis excederent ex Severo Sulpitio *Hist. Sac.* lib. 2. num. 69. noviuus. Theodosius Magnus sanxit, quemadmodum ex Theodosiano Codice constat, ne Sectarii aut conventus agerent, aut fidei doctrinam evulgarent, aut Episcopos ordinarent. Neque est omittendum, quod de eo Socrates lib. 5. *Ecclesiast. Histor.* cap. 10. in hæc verba tradit: " Determinata die cujusque Religionis Epi-
" scopi ad aulam vocati conveniunt. Aderant igitur Nestorius,
" & Hagelius Homousianæ fidei Antistites: Arianæ vero De-
" mophilus: Eunomianæ ipse Eunomius: Macedonianæ Eleu-
" sius Cyzicenus. Ubi convenissent, excepit eos Imperator,
" & accepto cujusque dogmatis scripto, seorsim Deum im-
" pense orat, ut se ad eligendam veritatem adjuvet. Deinde
" lecto cujusque dogmatis scripto, reliqua omnia tamquam
" separationem S. Triadis inducentia reprehendit, ac carpit:
" solum vero quod Homousianam fidem continebat, laudat,
" & complectitur ". Ex hac autem agendi ratione fidei controversiam ab Imperatore definitam fuisse certo constat.

Hæc ergo nunc expendamus, videamusque, nihil minus iisdem comprobari, quam Vossius vellet. Jovinianus ergo rem præclaram, imperioque dignam gessit, dum in Athanasii, atque

que Catholicæ fidei defensionem sua potestate usus fuit. Veritatem ergo fidei a multis laceratam, & perturbatam, atque in sexcentas opiniones partesque distractam, sibi tradi postulavit; verum non ob eam causam, ut de illa judicium ferret, definiret, vel quidpiam statueret, sed quemadmodum Nazianzenus tradidit, " Ut maxime quidem universus orbis, si fieri „ posset, in fidei negotio consentiret, spiritusque auxilio in „ unum coiret: sin minus; ipse certe optimæ parti se addice„ ret, simulque & ei robur afferret, & ab ea vicissim accipe„ ret, excelse simul, & magnifice de rebus maximis cogitans". Hæc autem verba quum Vossius adverterit, atque etiam exscripserit, mirandum sane est, non vidisse, ea contra se facere. Nam optimæ parti jam definitæ sese addicere, Jovinianum constituisse, iisdem dicitur. Hoc autem non est sane ejus, qui de re ipsa judicat, sed illius, qui aliorum judicia sequitur.

S. Augustinus epist. 105., alias 166., num. 9. illud quidem exprobat Donatistis, non solum a Constantino, sed etiam postea a Valentiniano, & deinde a Gratiano, atque Theodosio, Theodosiique filiis legem contra illos latam fuisse: verum quid inde? anne fortasse negamus, non esse Principum tueri Religionem? quæ sunt definita a Summis Pontificibus, atque Conciliis efficere, ut exequutioni mandentur? pro sua potestate curare, ut rebelles ad Ecclesiæ Catholicæ obedientiam reducantur? sibi sane, suo imperio, populorumque subjectorum saluti quam maxime consulunt, dum sua in hanc rem auctoritate utuntur. Quapropter aerem sane Adversarii nostri verberant, dum ista, aliaque iisdem similia nobis opponunt. Quin immo ex eo quod Imperatores exequutioni mandari curaverint, quæ a Summis Pontificibus, atque Conciliis decreta fuerant, argumento id esse debet, Imperatores putasse, judicium illorum ad se non pertinere. Nemo enim fit exequutor alieni judicii, quando ipse idem judicium ferendi potestatem habet. Hinc vero est, ut Imperatores sibi subditas nationes ad eam fidem amplectendam compulerint, quam S. Petrus Romanis tradidit, quam Summus Pontifex Damasus, & Alexandrinus Episcopus teneret, non vero illam, cujus ipsi moderatores essent. " Cun-

„ ctos populos (inquiunt Gratianus, Valentinianus, & Theo-
„ dosius Codicis lib. 1. *De Summa Trinitate* tit. 4. lege 1.) quos
„ Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religio-
„ ne versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis,
„ religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque
„ Pontificem Damasum sequi claret". Lege 2. ejusdem tituli:
„ Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregatio-
„ nibus turbæ: unius, & summi Dei nomen ubique celebre-
„ tur. Nicænæ fidei dudum a Majoribus traditæ, & Divinæ
„ Religionis testimonio, atque assertione firmatæ, observan-
„ tia semper mansura teneat". Eodem lib. *De Summa Trinitate* tit. 4. lege 6. hæc Justinianum ad Summum Pontificem Joannem scripsisse novimus: " Nos reddentes honorem Apo-
„ stolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in vo-
„ to & fuit, & est, & ut decet patrem, honorantes vestram
„ Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent,
„ festinavimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis, quoniam
„ semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestræ Apo-
„ stolicæ Sedis, & Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire.....
„ In præsenti ergo quæ commota (quamvis manifesta, & in-
„ dubitata sint, & secundum Apostolicæ vestræ Sedis doctri-
„ nam ab omnibus semper Sacerdotibus firmiter custodita, &
„ prædicata) necessarium duximus, ut ad notitiam vestræ San-
„ ctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad
„ Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indu-
„ bitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat
„ Sanctitati, quæ caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum".
Ex his vero omnibus, omissis brevitatis ergo pluribus aliis, illud constat, Imperatores, dum in frangenda pertinacia hæreticorum sua potestate usi fuerunt, extitisse exequutores eorum, quæ in eosdem hæreticos a Summis Pontificibus, vel Synodis sancita fuerant. Tantum ergo abest, ut Adversarii nostri ex iis, quæ Imperatores sanxerunt contra hæreticos, suam causam recte tueri possint, quin potius de suo errore convincuntur.

Theodosius, sicuti apud Socratem lib. 5. cap. 10. legimus,

mus, quum ea ratione, quam Nectarius Episcopus sibi suggesserat, ad unitatem fidei hæreticos revocare non potuisset, id consilii cœpit, ut tam Catholicis, quam Arianis, Eunomianis, atque Macedonianis, suæ fidei formulam conscribere, sibique eam offerri juberet. Quod & fecit. Ea ergo accepta, rogavit Deum, ut ad dignoscendam veritatem sibi auxilio esset, ne forte subtilitate hæreticorum, & ambigua loquendi ratione falleretur. Res ei pro voto, Divina gratia auxiliante, contigit: nam fidem de consubstantialitate Filii cum Patre, non quidem declaravit, sed declaratam commendavit, atque professus fuit, hæreticorum vero rejecit. Profecto est quidem Theodosius aliqua reprehensione in eo dignus, quod judicium de iis fidei formulis sibi tribuerit, ut decerneret, quænam earum cum consubstantialitate conveniret, vel non conveniret, quia nimis facile erat, ut quoad hoc doctrinæ caput hæreticorum fallacias non detegeret: ceterum quod Filii cum Patre consubstantialitatem, a Nicænis Patribus jam definitam, contra hæreticos defenderit, atque propugnarit, est illi maximæ sane laudi tribuendum, & propter hoc sibi jus quoddam in Sacra adjudicasse, nemo unquam dixerit.

Verum quidem est, sicuti Vossius commemorat, S. Ambrosium in *Orat. De Obitu Theodosii* num. 35. de eodem Theodosio dixisse, " Quum jam corpore solveretur, magis de statu „ Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur": at hoc quidem probat, Theodosium maxima pietate præditum fuisse, non vero sibi in Sacra jus aliquod usurpasse. Theodosii pietatem commendat Ambrosius in citata Oratione num. 12. ininquiens: " Quid præstantius fide Imperatoris, quem non „ extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinat"? Pietate ergo maxima quum Theodosius præfulgeret, non est sane mirandum, si magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis etiam morti proximus angebatur. Quid? anne in Sacra jus quoddam illum sibi vindicasse dici potest, qui publicam pœnitentiam de cæde Thessalonicensium a se imperata, Ambrosio commonente, egit, atque, sicuti idem Ambrosius habet in *Oratione De Obitu illius*, " Stravit omne, quo uteba-

 „ tur

„ tur, insigne regium, deflevit in Ecclesia publice peccatum „ suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu, & la- „ crymis oravit veniam". Verum nunc cetera expendamus, quæ Vossius ultimo loco in sui defensionem adducit. Ita ergo ipse.

Theodosii zelum filii ejus Arcadius, & Honorius imitati hac in parte fuerunt. Nam Honorius, uti lib. 4. *Summæ* par. 1. cap. 9. Turrecremata refert, judicium de causa duorum Episcoporum sibi sumpsit, atque alterum eorum e dignitatis gradu dejecit. Sicuti vero Theodosium Arcadius, & Honorius; ita etiam Arcadium imitatus fuit filius ejus Theodosius Junior, atque hunc Marcianus, quorum de Religione leges & plures sunt, quam hic congeri possint, atque ita obviæ, ut eas referri necesse non sit. Leo quoque Marciani successor Cæsarum pro orthodoxa fide Constitutiones confirmavit quemadmodum ex Episcopis Ægyptiis epist. lib. 1. ad Leonem Imperatorem novimus. Idem fecit Justinus Senior, sicut est auctor Nicephorus lib. 17. cap. 2. Justinianus Archiepiscopo Epiphanio scribens: " Nos (inquit) maximam habemus sollicitu- „ dinem circa vera Dei dogmata & Sacerdotum honestatem". Et *Novella* 42. *De Episcopis*, *&* *Clericis*: " Sed nos omni pro- „ videntia curam Ecclesiarum gerimus: per quas & imperium „ nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, & „ gratiam muniri credimus". Extat etiam, ut cetera mittam, Justiniani edictum *De Summa Trinitate*, *&* *Fide Catholica*, quo, sicuti in argumento ejus Antonius Contius scribit, "Vix quis- „ quam Patrum, aut Episcoporum pleniorem, ac luculentio- „ rem fidei expositionem emisit". Justiniani Junioris, Constantini Pogonatæ, aliorumque hac de re Constitutiones ex *Novellis*, & Nicephoro habemus perspectas. Subsequentibus temporibus Theodoricus Rex Italiæ suo judicio schisma sustulit, sicut Turrecremata loco citato testatur, & Carolus, Ludovicus, Lotharius eadem, ac Imperatores, potestate in re ista usi fuerunt, uti constat ex legibus Ecclesiasticis ab Ansegiso collectis.

At vero Turrecremata in citato loco de iis schismatibus non

non agit; quæ aut *per introductionem perversi dogmatis*, aut *per separationem, & divisionem, per pertinacem inobedientiam ab Apostolica Sede*, sed de aliis, quæ contigerunt *per usurpationem Apostolicæ Sedis*. Inter hæc quartum locum ei schismati tribuit, qui inter Bonifacium I., & Eulalium Presbyterum urbis exarsit, quorum prior in Basilica S. Petri, alter in Constantiniana in Romanum Episcopum ordinatus fuit. Hujusmodi ergo schisma Turrecremata affirmat sublatum fuisse auctoritate Honorii Imperatoris, qui, inquisitione instituta de veritate electionis, comperiit, Bonifacium a majori saniorique parte electum fuisse, & hac de causa illum in Cathedra Petri reponendum curavit. At ut suam hac in re Imperator auctoritatem interponeret, Romani Presbyteri illum rogarunt, " Prudenter „ quidem, (uti Baronius habet an. Christi 419. num. 9.) „ quod viderent Symmachum Præfectum studere Eulalio, „ ipsumque Bonifacium ab eo pulsum ex urbe ..... quod ali- „ ter non liceret in libertatem vindicare Bonifacium oppres- „ sum favore potentium ". At vero anne fortasse Honorius hoc toto in negotio licet ab Ecclesiæ Romanæ Presbyteris interpellatus, usus sua auctoritate, atque potestate fuit? Nihil sane minus. Primo per Præfectum urbis curavit, ut Bonifacius, & Eulalius una cum suis Ravennam sese conferrent, eoque etiam Episcopos diversarum provinciarum vocavit ad rem tantam communi consensione omnium componendam. Ea tamen in hujusmodi Synodo, Episcopis inter se dissentientibus, terminari non potuit. Alteram ergo Synodum Spoleti habendam censuit Imperator: ad eam autem Sanctissimos Episcopos vocavit, atque inter ceteros etiam S. Paulinum Nolanum Episcopum. Dedit quoque epistolas ad Episcopos Africanos, quibus ad eamdem Synodum idibus Julii Spoleti habendam eos vocavit; immo & Gallos Episcopos huic Synodo adesse, curare non misit. Habita tamen non fuit hæc Synodus, quia Eulalius adeo temere egit, ut contra mandatum Patrum, atque etiam ipsius Imperatoris hoc intervallo temporis urbem ingredi ausus fuerit, & maximam in populo perturbationem commoverit. Quo sane audito, tunc censuit Imperator,

tor, Eulalium ab urbe ejiciendum esse, Bonifacium autem ponendum in Romana Sede: " Ceterum (inquit Baronius cit. „ loco num. 34.) licet ista jusserit Honorius Imperator; ta- „ men ex Synodo ducentorum quinquaginta Episcoporum „ Eulalium esse depositum, habet liber de Romanis Pontifi- „ cibus ". Nihil ergo in toto hujusmodi facto occurrit, propter quod Honorium jus in Sacra sibi vindicasse, dici possit. Nunc pauca de Theodosio Juniore, & Marciano.

Negari illud quidem a nemine potest, Theodosium seductum a fautoribus Eutychianæ hæresis S. Flaviani dejectionem approbasse, atque hac in re egisse, contra ac Sedes Apostolica censuerat (1). Verum enim vero juxta Divina instituta ad convellendos errores contra fidem Apostolicæ Sedis "Re- „ ligiosa Clementissimi Principis fides sciens ad suam gloriam „ maxime pertinere, si intra Ecclesiam Catholicam nullius „ erroris germen exurgeret, hanc reverentiam Divinis de- „ tulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum aucori- „ tatem Apostolicæ Sedis adhiberet: tamquam ab ipso Bea- „ tissimo Petro cuperet declarari, quid in ejus confessione „ laudatum sit ". Ita S. Leo epist. 30. cap. 1. (2).

Marcianus lata quidem lege edixit, ut decreta Synodi Chalcedonensis servarentur, atque ut de religione disputationes nullæ amplius haberentur (3), " Quoniam unus, & alter „ tanta secreta invenire non posset: maxime cum summo la- „ bore, & magnis orationibus tot venerabiles Sacerdotes, „ nisi Deo, ut credendum est, auctore, ad indaginem ve- „ ritatis non potuerint pervenire "; at in eorum, quæ fidei erant, definitione nunquam sese interposuit, voluitque, ut ea ab Episcopis in concilio congregatis sancirentur (4): " Qua „ de re (inquit ipse in Adloquutione ad Patres) sanctam „ Synodum hoc videlicet proposito fieri studuimus, & vobis „ laborem indixisse videmur; quatenus omni errore, at- „ que

(1) Vide epist. Gallæ Placidiæ Augustæ ad Theodosium, Theodosii ad eamdem, item Liciniæ Eudoxiæ Augustæ ad Theodosium, & Theodosii ad eamdem, quæ in edit. Cacciarii sequuntur epist. 48. S. Leonis.

(2) Juxta editionem Cacciarii. (3) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 662. (4) Cit. tom. colum. 466.

„ atque caligine detersa, prout se Divinitas hominibus manifestare voluerit, & doctrina Patrum ostendit, religio nostra, quæ pura atque sancta est, universorum mentibus insinuata, suæ virtutis luce fulgescat... Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religiosi Principis Constantini Synodo interesse voluimus". Hinc, sicuti habet S. Leo in epist. ad Synodum Chalcedonensem Nicææ primum congregatam (1), Patres " Ad reformandam Ecclesiasticam pacem maluit convenire, Beatissimi Petri Apostoli sedis jure, atque honore servato".

Episcopi Ægyptii implorarunt opem Leonis Imperatoris contra Timotheum, qui, cumulata impietate suorum scelerum, Ecclesiam Alexandrinam invaserat, egeratque *contra regulas Patrum*, *contra sanctiones Episcoporum*, *contra ipsam rempublicam*, *contra omne cingulum*, *& potestatem*, *& contra pietatis imperium* (2). Tantæ sane perturbationis cohibendæ, in qua positi erant, remedium, habita ratione temporum, a nemine alio facilius, quam ab Imperatore, tunc Episcopi Ægyptii expectare poterant. Quid ergo mirum si opem illius imploraverint.

A Nicephoro *Ecclesiast. Hist.* lib. 17. cap. 2. illud tantum de Justino traditum habemus, sui imperii anno primo præcepisse, ut Severo lingua radicitus extorqueretur, atque ita *penderet petulantis verborum lubricitatis pœnas*. Hic enim Severus, uti ibidem habet Nicephorus, " Flaviani successor thronum per tyramnidem tenebat, plurimum in Chalcedonensem synodum invehens. Is quum ita animatus esset propemodum quotidie anathemati Synodum eam subjecit, potissimum vero in eis, quæ Eutrhonisticæ, sive Synodales, dicuntur, Epistolis, quas ad loci cujuslibet Patriarchas mittebat". Justinus ergo eum a se puniendum esse putavit, quem etiam Ecclesiastico judicio gravissima pœna plectendum vide-

(1) Epist. 73. cap. 1. justæ edit. Cacciarii. (2) Vide epist. apud Cacciarium, quæ sequitur epist. 128. S Leonis.

videbat, atque ita famæ Patrum Chalcedonensium prospexit. Quapropter in quem non poterat, neque debebat, nisi Ecclesiastica potestate sibi dante, si manus ipse suas intulit; id tamen ad jus Ecclesiæ vindicandum fecit.

Justinianum uti hominem imperitum traduci non posse una cum Cl. Norisio *Dissert. hist. de Synodo V.* cap. 2. ego quoque arbitror: ultra tamen quam poterat, atque debebat, Ecclesiasticorum negotiorum habita ratione, progressus fuit. Quandoque tamen nihil magis curæ habuit, quam Apostolicæ Sedi suum omne de fide judicium subiicere, atque cum ea unitum permanere. Nam suam professionem fidei ad Joannem II. Summum Pontificem misit, ut ipse datis ad se litteris, & ad Patriarcham Constantinopolitanum illam probaret (1). Eamdem professionem fidei a Joanne II. probatam (2), etiam ab Agapeto Justinianus confirmari petiit, atque votis ejus Agapetus annuit, simulque illum monuit, se, non quia admitteret in laicis auctoritatem prædicationis, sed quia studium fidei illius conforme erat regulis Patrum, ab eo sibi transmissam professionem fidei confirmare (3): "Cupis „ enim, (inquit) Venerabilis Imperator, ut tuæ pietatis epi„ stolam de fidei vestræ expositione nuper ad beatæ memoriæ „ prædecessorem nostrum Joannem Romanæ Sedis Antistitem, „ per Hypatium & Demetrium Episcopos destinatam, & a præ„ fato Præsule roboratam, nostra quoque auctoritate firme„ mus: laudamus, atque amplectimur, non quia in laicis „ auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium „ fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens, confir„ mamus, atque roboramus". Illud quoque Justinianus professus fuit, in cathedra Petri sine errore Religionem Catholicam semper servatam fuisse, uti constat ex libello precum, quem Agapeto obtulit (4): "Prima salus (inquit) rectæ fidei „ re-

(1) Vide epist. Justiniani tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 1150.
(2) Cit. loco colum. 1148. (3) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 937. (4) Cit. tomo colum. 938. De hoc libello, qui a nonnullis Apocrypus habetur, vide Norisium *Dissert. de Uno in Trinitate passo*, & Pagium ad an. 535. num. 6.

„ regulam custodire, & a constitutis Patrum nullatenus de-„ viare: & quia non potest Domini nostri Jesu Christi præ-„ termitti sententia dicentis: *Tu es Petrus*, *& super hanc pe-„ tram ædificabo Ecclesiam meam*. Et hæc, quæ dicta sunt, „ rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica extra „ maculam semper est Catholica servata Religio". Ecclesiæ quoquæ leges quandoque summa veneratione prosequutus fuit. *Novella* 42. in præfatione ita habet: "Rem non insoli-„ tam imperio & nos facientes ad præsentem venimus legem. „ Quoties enim Sacerdotum sententia quosdam indignos Sa-„ cerdotio sacris sedibus deposuit... toties Imperium ejus-„ dem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum auctorita-„ te fuit. Sicque Divina, & humana pariter concurrentia unam „ consonantiam rectis sententiis fecere". Et *Novella* 83. cap. 1. "Si vero Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatio-„ ne Ecclesiastica, & mulcta; Deo amabilis Episcopus hoc „ discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ „ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire „ civiles judices: quum oporteat talia ecclesiastice examinari, „ & emendari animas delinquentium per ecclesiasticam mul-„ ctam secundum Sacras, & Divinas regulas, quas etiam no-„ stræ sequi non dedignantur leges". Ita Justinianus. Verum hac in re non una semper eademque ratione se gessit, sed inani ambitione ductus alios ea docendi, quæ a Sacerdotibus ipsum discere oportebat, illarum omnium dissensionum, atque malorum causa fuit, quæ Ecclesiam occasione Trium Capitulorum afflixerunt: immo eo devenit, ut hæresim de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem defenderit, atque propugnarit (1). Ea etiam quandoque subjecit suis legibus, quæ nullo modo poterat, atque debebat (2). Hoc tamen dum fecit, eorum se habere rationem quandoque dixit, quæ *Sacris Canonibus definita fuerant* (3). "Si quas vero novas

(1) Consulatur Baronius ad an. 563. num. 1., & seq., & Natalis ab Alexandro *Hist. Ecclesiast.* secul. 6. cap. 7. art. 2. (2) Vide inter alias *Novellam* 137. (3) Vide cap. 2. *Novellæ* 137.

„ leges (ſicut inquit Natalis ab Alexandro *Hiſt. Eccleſiaſt.* „ ſec. 6. cap. 7. art. 2.) tulit de Eccleſiaſtica diſciplina Juſti- „ nianus, vim illæ non habuerunt ullam, niſi quia ſunt ab „ Eccleſia receptæ, & approbatæ, ſicut enim, ſi quæ leges „ de rebus mere civilibus, quæ conſcientiam non attin- „ gerent, in conciliis promulgarunt, nullius ſunt roboris, „ niſi quia ratæ habentur a Principibus laicis; ita nec le- „ ges de rebus Eccleſiaſticis a ſecularibus Principibus con- „ ditæ ullius ſunt momenti, niſi ab Eccleſia ratæ habean- „ tur ".

Eſt ergo animadvertendum, varia de Juſtiniano quoad rem iſtam noſtram judicia fuiſſe: quidam tradidere, Juſtinianum ea quoque expendere, atque determinare ſibi conſtituiſſe, quæ non ſuæ curæ, ſed Sacerdotum ſubjecta erant, indeque eveniſſe, ut in hæreſim prolaberetur: alii affirmarunt, Juſtinianum ſuo jure uſum fuiſſe, non quidem in eo, quod novos canones condiderit, ſed jam conſtitutos magis magiſque confirmaverit, atque etiam extenderit: quidam Juſtiniani leges diſtinxere tum in eas, quæ nihil aliud præcipiunt, quam quæ ſunt Sacris conſtituta Canonibus, eorumque obſervationem urgent; tum in alias, quæ introducunt novitates a Sacris Canonibus alienas, & novam diſciplinæ formam introducunt; tum demum in quaſdam, quæ ſunt contrariæ antiquis Eccleſiæ ritibus in Miſſæ Sacrificio ſervatis. Commendant iſti Juſtinianum quoad leges primi generis; quoad alias tertii generis merito reprehendunt, atque accuſant; ceteras vero ſecundi generis, in ſe nullam vim habere affirmant, niſi ab Eccleſia receptæ, atque confirmatæ fuerint. Ita ſane plerique Theologi, atque Canoniſtæ ſentiunt. Proteſtantes autem legum Juſtiniani auctoritate ducti quoad ea potiſſimum, quæ diſciplinæ ſunt, liberam poteſtatem Principibus tribuunt (1). Falſo tamen: nam habeat ſane Juſtinianus, ſicuti revera habet in ſuis legibus, nonnulla, quæ ſententiam

(1) Vide Bianchum *Dell' eſterior polizia della Chieſa* lib. 3. cap. 6. §. 1. num. 14. & 15.

tiam illorum juvare possunt; tamen alia quoque habet, quæ eamdem destruunt. Nam uti superius monuimus rem imperio non insolitam se peragere declaravit, dum imperium ejusdem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate faceret, ipseque propterea lege lata juberet, ut quæ Ecclesiastico judicio in Anthimum, Petrum, & Zoaram, sententia dicta fuerat, servaretur (1). Delictorum quoque ecclesiasticorum judicium non sibi, sed Episcopis tribuit, atque ut alia omnia nunc mittamus, in suum Codicem eam Valentiniani, & Marciani legem retulit, qua decernebatur, ut eæ pragmaticæ sanctiones, quæ Sacris Canonibus adversarentur, nullam auctoritatem haberent: "Omnes pragmaticæ sanctiones, (ita „ Codicis lib. 1. tit. 5. leg. 12.) quæ contra Canones Eccle- „ siasticos interventu gratiæ, vel ambitionis elicitæ sunt, ro- „ bore suo, & firmitate vacuatas cessare præcipimus". Quare licet nos rationem illorum non sequamur, qui Justinianum excusant ab omni usurpatione Ecclesiasticæ jurisdictionis; tamen æquo jure contendimus, Adversarios nostros Justiniani auctoritate gloriari non posse, quum eum in suis legibus etiam contra se pugnantem habeant.

Est illud ergo nunc tantum animadvertendum a nobis, Justiniani leges ab Ecclesia receptas fuisse; absolute dici non posse, sed de iis tantum hoc affirmari debet, quibus ea statuuntur, quæ Sacris Canonibus jam decreta erant. Atque hoc de genere legum loquitur S. Gregorius Magnus epist. lib. 13. indict. 6. epist. 43. alias 2. "Non quod Imperatorum „ leges (inquit Nicolaus epist. 33.) quibus sæpe Ecclesia circa „ hæreticos utitur, sæpe circa tyramnos, atque circa pravos „ quosdam defenditur, dicamus penitus renuendas; sed quod „ eas Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis decretis, „ quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium „ asseramus" (2).

Pleniorem autem, atque etiam luculentiorem expositionem fidei Justinianus facere potuit, quia tunc temporis

Iii 2 de

(1) Vide 1. 2. & 3. cap. cit. *Novella* 47. (2) Tom. 9. Concil. edit. Venet. colum. 1433.

de recta fidei regula a Patribus multa jam definita fuerant.

Non est autem, cur nunc in Justini Junioris, Constantini Pogonatæ, atque aliorum, quoniam de iis Vossius nihil singulare refert, gesta inquiramus. A Theodorico schisma sublatum fuisse, Turrecremata loco citato tradit; verum non auctoritate illius, sed 115. Episcoporum, qui, eodem curante Theodorico, se simul in urbe congregaverant. Nunc distincte de legibus ab Ansegiso collectis.

§. X. Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pii nullo adiumento esse possunt Adversariis nostris, contra ac ipsi putant.

Baluzius in sua Præfatione ad Capitularia Regum Francorum num. 10. Gretserum contendentem (1) "Francorum „ Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restau„ randam disciplinam Ecclesiasticam condidere, non sua præ„ cise auctoritate id fecisse, sed nutu, & permissu Episco„ porum, approbantibus Episcopis, & conciliis, immo ple„ raque eorumdem Capitularium auctoritate Romanorum „ Pontificum condita fuisse" refutat, atque Goldasti partes tuetur. Num. 12. Baronium carpit, atque in eo illum deceptum fuisse autumat, quod putaverit, a Benedicto Levita traditum esse, omnia Capitula Regum Francorum Apostolica auctoritate confirmata fuisse: nam ipse putat, hujusmodi auctoritate confirmata fuisse "Ea tantum, quæ constituta sunt „ in synodis celebratis in præsentia Legatorum Sedis Aposto„ licæ; *quia his cudendis*, inquit Benedictus, *maxime Aposto„ licæ interfuit legatio*". Nunc ergo videamus, utrum ex prædictis Capitularibus, quæ Ansegisus Abbas, & Benedictus Levita collegerunt, ille quidem quatuor primos libros hujusmodi Capitularium, iste autem tres alios, quidpiam tale colligi possit, quale Adversarii nostri putant. Quatuor primis libris Capitularium, quæ Ansegisus Abbas collegit, Præfationem Caroli Magni præmissam legimus. In ea autem Carolus hæc inter alia habet (2): " Quapropter placuit „ nobis

(1) In *Apologia pro Baronio* cap. 3. (2) Tom. 1. Baluzanæ editionis.

„ nobis vestram rogare solertiam, o Pastores Ecclesiarum Christi, & auctores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria, ut vigili cura, & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis ..... ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret „. Ecclesiæ ergo Pastores Carolus Magnus rogat, non vero eisdem præcipit, quemadmodum ille facit, qui legem aliquam servandam constituit. Observationem autem *canonicarum sanctionum*, *& paternarum traditionum universalium Conciliorum*, sibi cordi esse declarat, atque Pastores accendit ad eam inducendam in omnibus: " In quo operis studio (superaddit) sciat certissime Sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam ". Unde, inquit, " Aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quæ vobis magis necessaria videbantur, subjunximus"; statimque postea Ecclesiæ Pastores ita deprecatur: " Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studeamus, sed magis benevolo charitatis animo suscipiat ". Tandem inquit: " Aliqua capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcumque vobis alia necessaria esse scitis, ut & ista, & illa æquali intentione prædiceris ". Ex hisce profecto omnibus illud 1. constat, Caroli mentem nunquam fuisse, statuere legem Ecclesiæ Pastoribus: 2. legum Canonicarum observationem inducere in omnibus maxime adlaborasse: 3. quæ Ecclesiæ Pastoribus proposuit, deprompsisse ex Canonicis institutionibus: 4. hoc non fecisse ductum præsumptione quadam errata corrigendi, superflua abscindendi, recta coarctandi, aut ut ipse sua legislativa potestate uteretur, sed benevolo animo charitatis: 5. aliqua capitula Pastoribus Ecclesiarum obtulisse, ut ad ea animum adverterent, sicut ad alia, quæ ipsi necessaria esse cognoscerent, atque cuncta simul prædicarent. Non solum in his omnibus nullum legislativæ potestatis vestigium occurrit, sed etiam nihil non inest, quod ei adversetur.

Cap.I.

Cap. I. lib. 5. *Capitularium*, qui eſt primus eorum, quos collegit Benedictus Levita ita legitur: *Incipit Synodus cum actibus ſuis juſſione Apoſtolica a S. Bonifacio, & Francorum Epiſcopis ſub Karlomanno Duce habita an.* DCCXLII.

II. " In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Karlomannus Dux, & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Domini DCCXLII., videlicet Kalendas Majas cum conſilio Servorum Dei, & Optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt cum Presbyteris ad Concilium, & Synodum pro timore Chriſti congregavi, id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum, & Burchardum, & Regemfridum, & Vuiztanum, & Vuitbaldum, & Dadanum, & Eddanum, & reliquos Epiſcopos cum Presbyteris eorum, ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica religio recuperetur ". Hìc duo habemus, quæ contra Adverſarios noſtros æque faciunt: 1. Synodum cum actibus ſuis juſſione Apoſtolica a S. Bonifacio, & Francorum Epiſcopis ſub Carolo Magno Duce habitam: 2. Carolum Magnum in unum ſimul ſui regni Epiſcopos congregaſſe, ut ſibi rationem oſtenderent, qua lex Dei, & Eccleſiaſtica religio recuperari poſſet.

Quod vero ſpectat ad collectionem 5. 6. & 7. libri Capitularium a Benedicto Levita factam, ex eodem Benedicto manifeſtum eſſe dicimus, quod nos contra Adverſarios noſtros modo volumus. Ipſe enim in ſua Præfatione dicit (1), *in fronte primi libelli* ſeſe appoſuiſſe epiſtolam Zachariæ Papæ miſſam ad Epiſcopos Galliarum, & reliquos omnes Eccleſiaſtici ordinis, cunctoſque Duces, & Comites, atque conventus Synodales, quos Bonifacius Legatus Apoſtolicæ Sedis cum Carolo Magno *canonice* tenuit, ut, ſicut ipſe inquit, *agnoſcant omnes hæc prædictorum Principum capitula maxime Apoſtolica auctoritate confirmata*. Sunt quoque hæc animadvertenda, quæ habet idem Benedictus in fine lib. 7. Capitularium (2): " Maxime trium ultimorum capitula iſtorum librorum Apoſtolica ſunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maxime " Apo-

(1) Tom. 1. edit. Balutianæ pag. 803. (2) Cit. tom. pag. 1131.

„ Apostolica interfuit legatio. Nam eorum nomina præter „ trium, id est, Leonis, Sergii, & Georgii (1), hìc non in„ seruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenisse„ mus, vitantes legentium, atque scribentium fastidia. Si „ quis autem plenius ea nosse voluerit, istorum legat authen„ tica, quibus illa inserta reperiet". Non solum ergo hujusmodi Capitularia ex lege non minus Divina, quam Canonica (2), hoc est, ex iis, quæ in Sacris Canonibus statuta habebantur, desumpta, sed etiam maxime Apostolica auctoritate confirmata fuisse dicendum est, & non solum Leonis, Sergii, & Gregorii consensione roborata, sed etiam aliorum Pontificum, quorum nomina singulis conventibus inserta Benedictus Levita adinvenit. In conventibus enim statuta fuere, quæ in Capitularibus continentur: si igitur Benedictus Levita præter horum trium Summorum Pontificum Leonis, Sergii, & Gregorii, aliorum quoque nomina Summorum Pontificum *per singulos conventus inserta* adinvenit; est inde sane concludendum contra Baluzium omnia hujusmodi Capitularia auctoritate Apostolica confirmata fuisse, quemadmodum Baronius voluit. Quapropter ut ad rem nostram nunc veniamus, omnibus perspicuum esse debere contendimus, quam præter omnem rationem Adversarii nostri Capitularium auctoritate glorientur: nam Caroli Magni mentem in iis condendis omnino alienam ab eorum sententia fuisse, jam ostendimus: quæ Canonicis legibus jam constituta erant, in Capitularibus inculcantur: concludendum igitur est, Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pii nullo adjumento esse posse Adversariis nostris.

Quod Petrus de Marca lib. 2. *De Concordia Sacerdotii*, & *Imperii* cap. 7. num. 8. animadvertit, postquam multis ostendit, *exemptos Clericos*, *qua tales*, *a legibus Principum*, nunc omittendum non est a nobis: ità ergo ille: " Unde est, quod de „ ritibus, cœremoniis, Sacramentis, Cleri censura, func„ tione, conditionibus, & disciplina, canones a Conciliis, „ & decreta a Romanis Pontificibus, tamquam de materia si„ bi

(1) Hoc est Gregorii. (2) Vide Præfationem Benedicti Levitæ cit. pag. 803.

„ bi subjecta, frequentissime edantur, & vix ulla proferri „ possit Constitutio Principum, quæ hac de re lata fuerit ex „ mero secularis potestatis imperio. Sequutas quidem hac in „ parte leges publicas videmus, sed non ante cessisse". Hæc autem habet, postquam numero præcedenti animadverterat, „ Marcianum exemplo suo docuisse, quid sequi debeant in „ posterum Principes, quum Clericorum, & Monachorum „ disciplina constituenda est. Etenim quum Monachorum „ erga Episcopos cultum, & obedientiam, Monasteriorum „ cum consensu Episcopi ædificationem, Clericorum a secu- „ laribus negotiis secessionem, & in sibi assignatis Ecclesiis „ assiduam, & sedulam administrationem, Marcianus consti- „ tui vellet, quia plane hæc capita Ecclesiasticos ordines at- „ tingunt, a quibus publicam auctoritatem Valentinianus Se- „ nior summoverat, de his noluit legem ferre, sed satius esse „ putavit, ut Synodi decreto statuerentur (1)".

At vero nunc paucis, quamvis multis possemus, illud quoque ad pleniorem confutationem nostrorum Adversariorum est conficiendum a nobis, in iisdem Capitularibus nihil urgeri magis, quam observationem legum Canonicarum, rerumque omnium, quæ veniunt sub nomine Sacrarum, reverentiam secundum Canonicas institutiones. Quæ mens fuerit Pipini Regis, dum in Vernensi Concilio Patres an. 755. congregari fecit, per hæc verba ipsi Patres exponunt (2): " Et „ quia facultas modo non suppetit ad integrum, tamen aliqua „ ex parte vult esse correctum, quod Ecclesiæ Dei valde co- „ gnoscitur esse contrarium. Et si tempora serena, spatiaque „ tranquilla divinitus fuerint ei collata, cupit ad plenum se- „ cundum Sanctorum Canones plenius & opitulante Divina „ gratia, melius, perfectius, integreque inantea conservare. „ Ut quum ita factum fuerit, cessent, quæ, necessitate co- „ gente, ex Sacris Canonibus remissius sunt excerpta, ma- „ neantque jura Canonica firma, integra, atque intemerata". In Appendice 1. ad lib. 4. *Capitularium* cap. 10. hæc leguntur:

(1) Vide Actionem VI. Concil. Chalcedonen. (2) Editionis Baluzianæ *Capitularium Regum Francorum* tom. 1. colum. 167.

tur (1): " De Ecclesiis, seu sanctis noviter inventis sine aucto-
" ritate, nisi Episcopo probante, minime venerentur, salva
" etiam de hoc, & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate".
Lib. 5. *Capitularium* cap. 388. (2) " Nemo audeat Clericum,
" aut Monachum, vel Sanctimonialem fœminam ad civile jus
" accusare, sed ad Episcopum: & ipse ex lege, vel Canoni-
" bus consentaneam, & justam sententiam proferat ". Lib. 7.
Capitularium cap. 141. (3) " Novimus ergo multa regna, & Re-
" ges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt,
" resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel
" diripuerunt, Episcopisque, & Sacerdotibus, atque, quod
" majus est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus de-
" derunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles
" fuerunt, nec victores extiterunt ..... Quæ omnia vitantes,
" nec alia facere, nec consentire, nec infantibus, aut suc-
" cessoribus nostris exemplum dare volumus; sed quantum va-
" lemus, & possumus, adjuncto Leonis Papæ, & omnium
" Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu no-
" stro spiritui eorum, per Deum, & omnium Sanctorum me-
" rita prohibemus, contestamurque, ne talia faciant, vel fa-
" cere volentibus consentiant, sed adjutores, defensores, at-
" que sublimotores Ecclesiarum, & cunctorum Servorum Dei
" pro viribus existant ..... Et ut hæc devotius per futura
" tempora conserventur, præcipientes jubemus, ut nullus
" tam nostris, quam futuris temporibus, a nobis, vel succes-
" soribus nostris nullo unquam tempore absque consensu, &
" voluntate Episcoporum, in quorum parochiis esse noscun-
" tur, res Ecclesiarum petere, aut invadere, vel vastare, aut
" quocumque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fece-
" rit tam nostris, quam & successorum nostrorum temporibus
" pœnis sacrilegii subjaceat ". Hoc deinde constare traditur
non minus Divinarum Scripturarum, quam Sacrorum Cano-
num auctoritate. Citato lib. 7. cap. 244. (4) " Jubemus, ut
" ita omnes Divinis, & Apostolicis Constitutionibus serviatis,

(1) Cit. tomo colum. 792. (2) Cit. tomo colum. 904. (3) Cit. tomo colum. 1054. (4) Cit. tomo colum. 1076.

„ ut in nullo patiamini pia Canonum decreta violari. Præci-
„ pimus etiam, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel Di-
„ vinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temera-
„ re“. Eodem libro cap. 145. (1) “ Monemus, ut jura Ec-
„ clesiarum, sicut a Patribus divinitus inspiratis sunt ordina-
„ ta, inviolata permaneant. Nihil alienum improbus ambi-
„ tus concupiscat, nec per alterius imitationem suum aliquis
„ quærat augmentum“. Tandem Additione 4. ad 7. lib. cap. 60. ita statuitur (2): “ Ut laici contemptores Canonum
„ excommunicentur, Clerici honore priventur“. Quamvis multa alia in rem eamdem adducere in medium possemus, id nunc omittimus, quoniam ex hisce omnibus, quæ commemoravimus, constare arbitramur, quod contra Adversarios nostros modo volumus.

§. XI. Quæ sunt Ecclesiasticæ jurisdictionis subjecta esse Principibus, inde nullo modo colligi potest, quia etiam a Synodis appellationem Sacerdotis, Pontificis, & Doctoris fidei Principibus tributam fuisse legimus.

Hoc argumenti genere in rem suam utuntur Henricus Hennigesius *De Sum. Imperat. Roman. potest. circa Sacra* cap. 2. §. 9., & Grotius *De Imper. Summar. Potest. circa Sacra* cap. 2. §. 7. Illud ergo apud omnes certum quidem esse debet, nomen tum Sacerdotis, tum Pontificis, tum Doctoris fidei etiam a Conciliis aliquando Imperatoribus tributum fuisse. Nam *Actione VI.* Concilii Chalcedonensis Patres Marciano Imperatori in hunc modum acclamasse legimus (3): “ Sacerdoti Imperatori mul-
„ tos annos. Ecclesias tu erexisti, victor bellorum, doctor
„ fidei“. *Actione I.* ejusdem Synodi lecta fuit *Actio VII.* Synodi Constantinopolitanæ, in qua Patres Theodosium ita celebrasse leguntur (4), *Pio, & Orthodoxo*: *Pio Imperatori*: *Pontifici Imperatori*. Par. 3. ejusdem Synodi legitur epistola Agapiti Episcopi Rhodi ad Leonem Imperatorem, in qua hæc habentur (5): *Vere namque Sacerdos, & natura Imperator existis*. Leo II.

(1) Cit. tomo colum. 1124. (2) Cit. tomo colum. 1206.
(3) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 490. (4) Cit. tomo colum. 159. (5) Cit. tomo colum. 736.

II. Summus Pontifex Constantino Pogonato Imperatori, dum confirmat, quæ in VI. Synodo Œcumenica decreta fuerant, gratulatur (1), quod " Regali fastigio deposito, unum se de„ collegio pro zelo Dei adnumerari concupisceret ". Verum enimvero quo sensu Imperatores dicti fuerint Sacerdotes, Pontifices, atque fidei Doctores Gregorius II. explicavit in epist. 2. ad Leonem Isaurum, qui Imperatorem, & Sacerdotem simul sese vocaverat (2). Sunt ergo Imperatores Sacerdotes, sunt etiam Pontifices, atque fidei Doctores, quatenus cum Pontificibus gerunt curam Ecclesiarum, easque sua potestate defendunt, atque tuentur, non vero quia Christi sensum habeant, & tum secularium, tum Ecclesiasticarum constitutionum una, atque eadem institutio esse possit, multoque minus quia Imperatoribus datum sit introspicere in Ecclesias, electiones in Clero peragere, consecrare, administrare symbola Sacramentorum, aut de iis participare sine opera Sacerdotum, quemadmodum ipse Gregorius Isaurum monuit. Hinc vero est, ut iidem ipsi Patres Chalcedonenses, qui Marcianum Imperatorem, & Sacerdotem, & Doctorem fidei appellarunt, aperte definierint, *contra regulas Patrum nihil pragmaticum valere posse*, atque in causa Eustathii in hunc modum sanxerint: *universa pragmatica cessabunt: regulæ teneant* (3). Simili ratione Constantinopolitani Patres, qui Theodosium vocarunt Pontificem (4), can. VI. statuerunt, ne quispiam, contemptis iis, quæ a se definita fuerant, ad Imperatorem recurreret, aut Principum secularium judicia expeteret, vel Synodum universalem perturbaret, sed judicium earum quæstionum, quæ oriri possent, Episcopis Diœcesis deferret. " Penes Impera„ tores (inquiebat S. Joannes Damascenus *Orat.* 2. *De Imagi*„ *nibus* num. 12.) potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. „ Attende, quid dicat Apostolus: *& quosdam quidem posuit* „ *Deus in Ecclesia*, *primum Apostolos*, *secundo Prophetas*, *tertio* „ *Pa-*

(1) Tom. 3. Concil. ejusdem edit. colum. 10. (2) Vide locum ejus cap. 3. hujus lib. §. 3. (3) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 438. & seq. (4) Vide lib. 21. cap. 2. §. 9., in quo disseruimus de nominibus Sacerdotis, & Pontificis Imperatori tributis.

„ *Pastores*, *& Doctores ad perfectionem Ecclesiæ*. Non adjecit „ Imperatores. Et rursum: *obedite Præpositis vestris*, *& subjacete eis*. *Ipsi enim pervigilant*, *quasi rationem pro animabus* „ *vestris reddituri*: Idemque rursus: *mementote Præpositorum* „ *vestrorum*, *qui vobis loquuti sunt verbum Dei*, *quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem*. Verbum loquuti „ non sunt nobis Reges, sed Apostoli, & Prophetæ, Pastoresque, & Doctores..... Ad Imperatores spectat recta fidei administratio: Ecclesiæ regimen ad Pastores, & Doctores..... Tibi parebimus, Imperator, in his, quæ ad hujus seculi negotia pertinent, in tributis solvendis, ac vectigalibus, muneraque tua accipiendo, & in quibus rerum nostrarum administratio tibi credita est. Verum ad res „ Ecclesiæ statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum „ loquuntur, atque Ecclesiastica instituta tradiderunt. Non „ transferemus terminos antiquos, quos posuerunt Patres „ nostri: quin potius traditiones, quemadmodum eas accepimus, retinemus, & tuemur".

§. XII. Quod nos modo contra Adversarios nostros tuemur, ex Imperatorum gestis, & recte quidem, confirmatur; quod autem ipsi contra nos defendunt, Imperatorum gestis confirmari non potest.

Res facti est, quod Imperatores jus Ecclesiæ sartum tectumque servaverint: facti quoque res est, quod aliquando illud invaserint. Confirmari autem posse exemplo illorum, quod nos modo contra Adversarios nostros contendimus, non posse vero confirmari exemplo istorum, quod Adversarii nostri contra nos tuentur; hoc sane est, quod nunc primo volumus. Factum in se non habet, ut jus inducat ad illud, quod semel factum fuerit, sed æque, vel inique factum dici debet, prout secundum, vel contra jura factum fuerit. Unde semel ac factum habeatur, de jure autem non solum non constet, sed etiam nullum adesse perspectum sit; non potest factum illud in medium adduci ad jus comprobandum: contra vero si constet de jure, & facta etiam habeantur, quæ hujusmodi juri conformia sint, ipsum jus magis magisque confirmatur, quia inde

inde constat, jus suam vim revera habuisse. Nunc ad rem nostram.

Jus in Sacra tribui non posse laicis Principibus hujus capitis §. 1. & seqq. jam omnino evicimus, simulque etiam ostendimus, & Divinarum Scripturarum, & Sanctorum auctoritate Patrum nihil minus Adversarios nostros evincere, quam quod ipsi vellent. Eo ergo jam devenimus, ut de jure, quod Ecclesia in Sacra habet, omnino constet, simulque etiam compertum sit, illud penes Principes omnino esse non posse. Ex hoc autem consequitur, ut ex iis, quæ civilem potestatem fecisse in favorem illius juris, quod Ecclesia in Sacra habet, idem jus magis magisque confirmetur, nullo autem modo destruatur ex aliis, quæ civilem potestatem contra illud egisse legatur: & hoc quidem tunc maxime, si Ecclesia invasores sui juris haud æquo animo tulerit, sed ea ratione represserit, quam magis utilem esse putavit. His semel constitutis, illud primo videamus, utrum ex gestis Imperatorum confirmatum habeamus, quod nos modo tuemur.

Habemus sane: Theodosius Magnus in epistola ad Ephesinam Synodum, Patres monet se misisse Candidianum ad Synodum non quidem ut quæstionibus fidei sese immisceret, sed ut omnem perturbationem amoveret (1): " Nefas est „ enim (inquit) qui Sanctissimorum Episcoporum cathalogo „ adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consul„ tationibus sese immiscere ". Hoc idem Theodosius confirmat in ea epistola, quam ad Cyrillum Alexandriæ Episcopum dedit (2). Quum Episcopi Hellesponti, atque Bithyniæ, & reliqui omnes, qui Filium Patri consubstantialem propugnabant, Valentinianum Seniorem rogassent, *ut ad corrigendam fidei doctrinam convenire permitterentur*, Valentinianum in hunc modum respondisse Sozomenus *Histor. Ecclesiast.* lib. 6. cap. 7. refert: " Mihi quidem in laicorum ordine constituto, „ fas non est hujusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdo„ tes vero, quibus id curæ est, seorsim ubique voluerint, „ con-

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 1346. (2) Cit. tomo colum. 1342.

„ conveniant “ . Nec voce tantum Valentinianus pronuntiavit, sed etiam lege sanxit, in causis fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis laicos esse judices non posse, quemadmodum S. Ambrosius epist. classi 1. epist. 21. ad Valentinianum Juniorem num. 2. hisce verbis testatur: “ Nec quisquam contumacem judicare me debet, quum hoc asseram, quod augustæ „ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed „ etiam legibus suis sanxit: in causa fidei, vel Ecclesiastici „ alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere „ impar sit, nec jure dissimilis: hæc enim verba rescripti sunt, „ hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin „ etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa; etiam hæc voluit ad Episcopale judicium pertinere “.

Photius Episcopus Tyrii quum apud Marcianum conquestus fuisset, injuste a sua jurisdictione Phœniciam, mandante Theodosio, abstractam fuisse, hujus rei judicium Synodo Chalcedonensi Marcianus mandavit, ejusque propterea nomine Judices in hunc modum Patres alloquuti fuere (1): „ Sacratissimo Domino orbis terræ placuit, non juxta Sacras „ Litteras, aut pragmaticos typos res Sanctissimorum Episcoporum procedere, sed juxta regulas a Sanctis Patribus latas. Omni igitur cessante e sacris pragmaticis definitione, „ canones de hoc capitulo editi legantur “. Volunt ergo judices, ut in hac causa non sanctionum pragmaticarum, sed canonum ratio habeatur. Idem quoque Concilii Patres censuere, constitueruntque contra pragmaticas quidem sanctiones Phœniciam secundum sacros Canones Photio restituendam esse. Hoc semel constituto, Cecropius Episcopus Sebastopolis, cui assensi fuerunt omnes Patres, ita ad Judices: „ Ne potestas vestra accusationem, & querimonias a quacumque persona accipiat, & fatigetur, neve nos conteramur; „ petimus, ut sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ „ in detrimentum canonum a quibusdam facta sunt in omni „ provincia: canones autem per omnia teneant “. Ad quæ Judi-

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 438.

Judices: "Ex sententia sanctæ Synodi in omnibus quoque aliis „ provinciis canones teneant".

Basilius Imperator hæc coram Synodi VIII. Patribus habuit (1): "De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus, „ quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non „ habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis „ causis sermonem movere, neque penitus resistere integri„ tati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hoc enim in„ vestigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sa„ cerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt; qui san„ ctificandi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent: qui „ Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claves; non nostrum, „ qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a liga„ mento solvi egemus. Quantæcumque enim religionis, & „ sapientiæ laicus existat, vel etiamsi universa virtute inte„ rius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinat: „ rursusque quantacumque Episcopus sit irreverentia, & ir„ religiositate plenus, & nudus omni virtute, donec Anti„ stes est, & veritatis verbum recte prædicaverit, pastoris „ mentionis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo „ nobis ratio est in ordine ovium constitutis pastores verbo„ rum subtilitate discutiendi, & ea, quæ super nos sunt, „ quærendi, & ambiendi"?

Tandem nonnulla eorum in rem istam superaddemus, quæ habet Leo sapiens in *Novellis constitutionibus*, seu in *Correctoriis legum repurgationibus*. Suam ergo secundam Constitutionem ita auspicatur: "Quum Sacrosancti Divini Canones, „ & quicumque alii de Sacerdotio, & Episcoporum creatione „ statuere in optimum, numerisque omnibus plenum editi „ sint modum (& quidem quomodo illi non exacte, perfecteque „ editi sint, quum Divina inspiratio in auctoribus efficaciter „ operata sit?) mirari subit, quomodo non veriti nonnulli „ sint (2), Sacras divinasque leges, tamquam illæ absolutæ „ non essent, promulgatis aliis legibus, abrogare". Constitu-

(1) Tom. 5. Concil. edit. Harduini colum. 920. (2) *Novellam 6.*, 123. & 137. Justiniani hic potissimum carpit.

ſtitutione 16. "Vetus Verbum, quod de rebus ſuis dicenti; „ aures eſſe aperiendas monet, quum in omnibus aliis per- „ belle ſeſe habeat, tum hìc longe eſſe pulchrius apparet". Facta deinde commemoratione ejus oppoſitionis, quæ erat inter leges civiles, & canonicas circa ætatem Hypodiaconi, hæc ſuperaddit: " Dignum itaque ſecundum Sacram legem „ de rebus ſuis præcipientem audire Imperatoria noſtra maje- „ ſtas rata, in eamdem cum illa ſententiam deſcendit „. Tandem Conſtitutione 75. " Si Sacrorum decretorum ſanctio „ ad res civiles tranſiens, in illis ſæpe plus auctoritatis, quam „ civiles de iiſdem rebus tractantes leges habcant; quanto „ magis Sacra Decreta in ſuis rebus civilibus legibus præva- „ lebunt"? Unde recte Iſidorus, ut alios nunc omittamus, „ lib. 3. *De Summo Bono* cap. 51. " Sub religionis diſciplina „ (inquit) ſeculi poteſtates ſubjectæ ſunt... Principes ſeculi „ nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina te- „ nent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam „ muniant. Ceterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ „ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere „ per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſcipli- „ næ terrorem". Hic autem Iſidori locus exſcriptus legitur in VI. Concilio Pariſienſi lib.2. cap.21. (1), atque in lib.7. *Capitularium* cap.24. additione 2.

Invaſores autem ſui juris nunquam æquo animo Eccleſia tulit, ſed ea ratione repreſſit, quam magis utilem eſſe putavit. Id non multis conficiemus, & iis quidem petitis a prioribus Eccleſiæ ſeculis. Conſtantinus in Gallias Athanaſium relegaverat (2); attamen de innocentia Athanaſii poſtremo judicium latum fuit in Synodo Sardicenſi, reſciſſumqum illud, quod Conſtantinus tulerat (3). Ipſe Athanaſius Synodi Tyriæ impia decreta inde quoque refellere aggreſſus fuit quia (4) " Ad hoc negotii Comes aderat, militeſque Epiſco- „ porum ſatellites, & Imperatoriæ litteræ, quæ, quos ipſi „ poſtu-

(1) Tomo 2. Sirmondianæ collectionis. (2) Vide Athanaſii *Apologiam* 2. num. 87. (3) Cit. *Apologia* num. 1. (4) Cit. *Apologia* num. 10.

„ postularunt, illuc venire compellerent.... Si enim (inquiebat Athanasius) sibi dumtaxat, utpote Episcopis, judicium permisissent, quid opus Comite, & militibus? aut cur Imperatoriis diplomatibus in unum coacti sunt“? Hinc etiam Hosius ad Constantium Imperatorem (1): “Ne te (inquit) rebus misceas Ecclesiasticis: neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit“. Et ad eumdem Constantium S. Hilarius lib. 1. num. 1. “Provideat, & decernat Clementia tua, ut omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura, & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant: neque posthac præsumant, atque usurpent, & putent se causas cognoscere Clericorum“. Gelasius Papa Imperatorem Anastasium monuit, Præsulibus rerum Divinarum eum subdi oportere, atque ab iis expectare causam suæ salutis, licet humano generi dignitate præsideret (2). Symmachus quoque eumdem Anastasium certiorem fecit, dignitatem illius cum sua comparari nullo modo posse, rerumque humanarum ad illum, Divinarum autem curam ad se pertinere (3). Sub eodem Symmacho in Synodo IV. Romana rescissum fuit, quod Rex Odoacres de prædiis Ecclesiasticis, vasisque Sacris servandum constituerat (4). Gregorius II. quemadmodum se non habere potestatem introspicendi in palatium; ita neque penes illum introspicendi in Ecclesias facultatem esse, Leoni Isauro Imperatori aperte denunciavit (5). Tandem Nicolaus Papa Michaeli Imperatori significavit, Christi dispositione factum fuisse, ut sacra potestas a politica secerneretur, atque officia utriusque potestatis distinguerentur, ita ut Christiani Imperatores Pontificibus quoad ea indigerent, quæ spe-

(1) Apud S. Athanasium in *Histor. Arianorum* num. 45. (2) Vide epist. ejus 4. ad Anastasium tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 892.
(3) Vide Baronium ad an. 503. num. 18. (4) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 474. (5) Vide epistolam ejus 2. tom. 4. Concil. edit. Harduini colum. 15.

ſpectant ad vitam æternam (1). His autem omnibus ſatis de eo compertum eſſe arbitramur, quod oſtendendum propoſuimus.

§. XIII. Non una eademque eorum omnium ratio fuit, qui Eccleſiaſtica negotia ad laicos Principes detulere; ſicut etiam in iiſdem ſuſcipiendis non una eademque ratione laici Principes ducti fuerunt.

Propter multa, quæ ex hiſtoria Eccleſiaſtica hac de re in medium afferri poſſent, pluribus hæc quæſtio difficultatibus involuta eſſe, & non paucis expediri poſſe videtur: attamen nos diutius in ea immorandum non eſſe arbitramur. Quandoquidem ex his, quæ uſque modo diſputavimus, ſatis perſpectum eſſe arbitramur, quæ ſunt Eccleſiaſtici juris laicæ poteſtati ſubdi nullo modo poſſe: unde ſi quoad rem iſtam ad ipſum jus attendamus, nihil ultra diſputandum ſupereſt. De facto nunc igitur ſolummodo quærimus, atque dicimus, non unam eamdem rationem habendam illorum omnium eſſe, qui ad laicos Principes Eccleſiaſtica negotia detulerunt, ſicut etiam Principum, qui eadem diſcutienda ſuſcipere; ita ut aliquando tum illi, tum iſti merito excuſari, illi tamen ſemper magis, quam iſti, aliquando autem nullo modo poſſint. Nonnulla tantum exempla hac de re attingemus primorum Eccleſiæ ſeculorum: nimis enim multa in medium proferri poſſent. Donatiſtæ ſuam cauſam, quam contra Cæcilianum habebant, uti inquit S. Auguſtinus (2), *inter Afros dirimendam*, ad Conſtantinum detulere: qui ſane Romæ de ea judicium, intervenientibus quibuſdam Gallis Epiſcopis, a Melchiade Summo Pontifice ferendum eſſe ſtatuit. Damnati Donatiſtæ in hujuſmodi Concilio non acquieverunt, ſed rurſum Conſtantinum adiere, conqueſti de multis, quæ contra ſe in Romano Concilio acta fuerant, petieruntque, ut ſui cauſa iterum diſcuteretur, ſicuti, conſentiente Conſtantino, revera factum fuit in Concilio Arelate congregato. Quamvis eamdem ac in priori Con-

(1) Vide epiſt. 8. illius tom. 5. Concil ejuſdem edit. colum. 171.
(2) Epiſt. 53. num. 5. alias epiſt. 165.

Concilio, in isto quoque sententiam Donatistæ subiissent, tertio tamen Constantinum Imperatorem interpellarunt, a quo tandem, & de innocentia Cæciliani, & de perfidia Donatistarum judicium latum fuit (1): " Ubi postremo (inquit Au„ gustinus) causam inter partes ipse cognovit: (Constanti„ nus) ubi eos vehementissime detestatur innocentia Cæci„ liani fuisse superatos ". Donatistas majori adhuc cum nequitia, impietate, atque perfidia Ariani imitati fuere. Hi enim ab Alexandro Episcopo Alexandrino ab Ecclesia ejecti (2), a singulis civitatibus expulsi, & a magna Nicæna Synodo damnati, opem Constantii Imperatoris implorarunt, eumque rogarunt, ut sui defensionem susciperet, atque contra se sentientes persequeretur. Ille vero tunc, sicuti inquit Athanasius (3) " Quasi igne inflammatus sententiam commu„ tavit, juramentorumque immemor, suorum quoque Scri„ ptorum oblitus est, debiti etiam fratri suo officii ingratus „ ille recordatus non est. Nam in suis ad eum litteris, & „ quum Athanasium conspexit, juramento affirmavit, se ni„ hil acturum, quam quod populo, & Episcopo in optatis „ esset. Sed studium erga impietatem omnium oblivionem „ adduxit ". Quæ inde mala consequuta fuerint, nemo non novit, eaque non oportet, ut nos hic vel tantisper attingamus.

Athanasius quoque vir Sanctissimus, ut in Synodo Tyria (4) " Vim sibi illatam effugeret, religiosissimum Impera„ torem (Constantinum) adiit, una Comitem, & illorum „ conspirationem deprecans, rogansque, ut legitima Epi„ scoporum Synodus cogeretur, aut ipse Imperator de obie„ ctis criminibus se purgantem audiret ". Multa similia exempla Orthodoxorum virorum in Synodo Chalcedonensi occurrunt. *Actione* I. Eusebius Dorylæi Episcopus de iis, quæ a Dioscoro passus fuerat, conqueritur, & Imperatoris opem implorat: inquit enim (5): " Propositum est Clementiæ ve-

 „ stræ

(1) Cit. loco. (2) Vide S. Athanasii *Apologiam* 2. num. 23.
(3) *In Historia Arianorum* num. 30. (4) Athanasius *Apologia* 2. num. 9.
(5) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 70.

„ ſtræ univerſis quidem ſibi ſubditis providere, & manum por-
„ rigere omnibus injuſte oppreſſis, præcipue tamen fungen-
„ tibus Sacerdotio... Ergo quoniam multa, & dira, & con-
„ tra omnem conſequentiam, fides, quæ in Chriſtum eſt,
„ & nos perpeſſi ſumus a reverendiſſimo Dioſcoro Epiſcopo
„ Alexandrinæ magnæ civitatis, adimus veſtram pietatem,
„ ſupplicantes juſtitiam promereri". *Actione* X. Ibas Epiſco-
pus Imperatorem adiit, ut de iis conquereretur, quæ per
ſummam injuriam ab Eutychete paſſus fuerat (1): "Eutyches
„ adverſum me (inquiebat) pro fide quædam falſa confinxit,
„ nec me in Synodum introire permiſit: per quadraginta
„ manſiones, per diverſos ab invicem ſuccedentes ordines
„ direxit me: viginti amplius carceres mutavi.... Ob hoc
„ enim, ſicut jam docui, adii ſacrum, & immortalem ver-
„ ticem; & juſſit veſtram magnificentiam, & Sanctam Sy-
„ nodum audire, quæ adverſum me geſta ſunt". *Actione* XI.
Baſſianus Epiſcopus Epheſiorum ad judicium Marciani appel-
lavit (2): "Violentiam paſſus (inquit) adii piiſſimum noſtrum
„ Imperatorem, eique ſupplicavi, & direxit divinas litteras
„ ad ſanctum, & magnum, & univerſale concilium, ut me
„ audiat".

Et illud quoque ſecundo loco nunc advertendum a no-
bis, non ſolum eos Imperatores, qui Religionem Catholi-
cam oppugnarunt, atque perſequuti fuere, ſed etiam alios,
qui eamdem defenderunt, ejuſque utilitati præclare conſu-
luere, earum quoque cauſarum judicium quandoque ſuſce-
piſſe, quæ & Eccleſiaſticæ erant, & Eccleſiaſtica ſententia
jam definita fuerant. Nam non minus Conſtantius Catholicæ
fidei oppugnator, quam Conſtantinus, ejuſdem præclarus
defenſor, id ſibi muneris aliquando tribuerunt.

Non una tamen eademque ratio fuit, tum eorum, qui
a judicio Eccleſiaſtico ad tribunalia laica confugerunt, tum
Imperatorum, qui hujuſmodi judiciorum cognitionem rece-
pere. Nam, quemadmodum Thomaſſinus *Diſſert.* 12. *in Con-
cil. Chalcedonen.* num. 56. præclare animadvertit, " Non alia
„ ma-

(1) Cit. tomo column. 507. (2) Cit. tomo colum. 546.

„ magis de causa a Clericis aditum esse Principem, si quando a piis, & religiosis adiri illum contigit, quam ut quæ vel præcessores ejus, vel Judices præsidesque Imperatoria potestate abutentes, machinati nefarie fuerant, ab ipso revocarentur. Ita Constantinus ab Athanasio compellatus magis, quam appellatus, ut Synodi Tyriæ, & Dionysii Comitis flagitium, Regia auctoritate armatum, ipsemet rescinderet. Ita Bassianus Ephesi Episcopus, ut Imperatoris tuitionem imploraret, compulsus est militari incursione in se facta". Ita, superaddere nos possumus, Eusebius Dorylæi Episcopus Dioscori violentia perculsus, qui *multitudinem seditiosorum populorum congregaverat, & potentiam sibi pecuniis acquisiverat* (1), ad Marcianum confugit. Ita, tandem ejusdem Imperatoris auxilium Ibas imploravit, ab Eutychete ope laicorum magistratuum per summam crudelitatem impie exagitatus. Alia ergo ratione quum rescindere non possent, quod contra injuste, & sæpe etiam laica interveniente potestate, decretum fuerat, ad judicium Imperatoris viri orthodoxi confugere. At vero Donatistæ Romæ in Concilio sub Melchiade damnati ad Constantinum appellant, iterum illorum errore in Concilio Arelatensi proscripto, idem faciunt, quousque tandem ipse Constantinus de eorum perfidia omnino convictus, *illos calumniosos* esse pronuntiavit (2). Ariani ab Alexandro Episcopo ejecti ex Ecclesia, a singulis civitatibus pulsi, & in Nicæna Synodo damnati (3), atque iterum etiam in Sardicensi (4), postquam nihil non impie, non crudeliter, atque nefarie egissent contra defensores orthodoxæ fidei, tandem quo totum virus in eosdem evomere possent, Constantium in suas partes turpissima criminatione innocentum sanctorumque virorum trahere conati fuerunt.

Sicuti vero eorum, qui & in Ecclesiasticis causis, & a judicio Ecclesiasticorum ad laica tribunalia confugerunt, non una, atque eadem ratio fuit; ita etiam de Imperatoribus, qui vel

(1) Vide locum supra citatum. (2) Vide epist. S. Augustini 105. num. 8., alias epist. 166. (3) Vide S. Athanasii *Apologiam* 2. num. 25.
(4) In eadem *Apologia* num. 2.

vel Judices constituerunt causarum Ecclesiasticarum ad se delatarum, (quod sane sæpius contigit) vel ipsi per se de iisdem judicium tulere, non una eademque ratio habeatur oportet. Nam Constantinus de causa Donatistarum judicium quidem tulit; verum id & invitus fecit, & ut Ecclesiæ paci consuleret, quia Donatistas judicio Ecclesiasticorum acquiescere nolle perspexerat. Nam illos ad sui judicium confugientes ita primo redarguit, sicuti apud Optatum Milevitanum lib. 1. *Contra Parmenianum* legimus: *petitis a me in seculo judicium, quum ego ipse judicium Christi expectem*. Deinde vero concessit, ut causa eorum Romæ *præsidente Melchiade Episcopo Ecclesiæ illius cum multis aliis collegis suis* uti habet Augustinus epist. 105. n. 8., alias epist. 166., unaque etiam cum aliis Episcopis, quos Imperator miserat, quemadmodum tradit idem Augustinus epist. 43. n. 14., alias epist. 162., discuteretur, atque definiretur, ipseque tunc, sicuti in superiori citata epistola S. Augustinus prosequitur, *non est ausus de causa Episcopi judicare: eam discutiendam, & finiendam Episcopis delegavit*. Post judicium contra Donatistas Romæ, præsidente Melchiade, factum, " Dedit " ille (inquit Augustinus epist. 43. num. 20., alias 162.) " aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum; " non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus ce- " dens, & omnimode cupiens tantam impudentiam cohibe- " re. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum " tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, ut de judicio " Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret ". Tandem Donatistis huic quoque alteri judicio sese subjicere renuentibus Constantinus cessit, atque *de illa causa post Episcopos judicavit, a Sanctis Antistitibus postea veniam petiturus* (1). Est tamen advertendum, Constantinum, sicut ex Optato lib. 1. *Contra Parmenianum* novimus, in hunc modum clamasse, dum ad se etiam post Arelatense Concilium appellatum esse vidit: *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*. Quod ergo juris hac in causa Constantinus sibi tribuit, & pene invitus, uti dicebamus, sibi

(1) Idem S. Augustinus loco mox citato.

bi tribuit, & ut Ecclesiæ paci consuleret. Quæ igitur Constantinus in hoc toto negotio gessit, quæ aliquando nonnulli alii Principes in similibus causis gesserunt, dicendum est, sicut animadvertit Thomassinus *Dissert.* 12. *in Synodum Chalcedonensem* num. 59. " Non juris vigore, sed pietatis instinctu „ usurpata fuisse; ideoque non exempla aucupanda legitimæ „ potestatis, sed charitatis ".

Qui autem a judicio Ecclesiastico ad Marciani opem confugerunt, violentiam passi fuerant, quæ sane a nemine alio repelli facilius, quam ab Imperatore poterat. Imperator tamen qua erat maxima pietate præditus, atque reverentia erga Sacerdotes, singulos ad se confugientes ad Synodum remisit.

Nunc de Constantio paucis. Nihil ille sane in causa orthodoxorum per summam violentiam non egit, suaque potestate abusus magnum numerum Episcoporum ab Athanasii partibus metu, atque etiam vi abduxit (1). Unde non suum ipse judicium in causis Ecclesiasticis, & de sententiis ab Ecclesiasticis viris jam prolatis, interposuit, sed suam potestatem ad Catholicam veritatem oppugnandam adhibuit. Ex hisce autem illud compertum esse arbitramur, non unam eamdemque eorum omnium rationem fuisse, qui Ecclesiastica negotia ad laicos Principes detulere, sicut etiam in iisdem suscipiendis non una eademque ratione laicos Principes ductos fuisse.

CAPUT VI.

DE EA RATIONE, QUA LAICUS PRINCIPATUS, SI AD EJUS SINGULAREM POTESTATEM ATTENDATUR, AD ECCLESIAM SESE HABET.

§. I. CUM Christiana religione recte, & quam maxime componitur, ut sint in ea, qui aliis laica potestate præsint.

De illo quoque Ethnici Christianam religionem criminati fuerunt, quod ea cum ratione reipublicæ recte administrandæ

(1) Vide Athanasium in *Hist. Arianorum* num. 34. & seqq.

dæ componi non posset (1); verum sicut cetera omnia genera calumniarum, ita istud quoque falso, & contra apertam rationem Christianæ religioni affinxerunt, & quidem decepti falsa intelligentia eorum, quæ in Divinis Scripturis nobis præcipiuntur, uti videbimus. Profecto quæ a Deo proficiscuntur, non solum contraria esse non possunt Christianæ religioni, sed etiam eidem quam maxime conformia sint oportet: at vero potestas Principatus a Deo est, uti auctore naturæ (2): fieri ergo non potest, ut non solum laica potestas Christianæ religioni contraria sit, sed etiam ut cum ea maximam conformitatem non habeat. Quid? Anne aliquis uspiam dixerit, id adversari religioni Christianæ, quod a Jesu Christo in Evangelio traditum habemus? Apostolorum autem tum Pauli, tum Petri auctoritate constare quam evidenter (3), Principatus potestatem a Deo esse, nemo unquam negaverit. Est illud quoque perspectum, Christianam religionem in quadam societate consistere, quæ præ omnibus aliis, & vinculis arctioribus colligata sit, & mutui amoris magis constricta ligamine. Quare si cui unquam societati convenit, habere veram perfectamque rationem societatis, Christianæ sane convenit. Perfectæ autem societati quam maxime necessarium est, ut ab aliqua potestate regatur atque gubernetur (4), & quidem non solum in iis, quæ spectant ad Christianam religionem, sed etiam in aliis omnibus, quæ societatem civilem, seu politicam respiciunt. Cum Christiana ergo religione recte, & quam maxime componitur, ut in ea sint, qui laica potestate præsint aliis (5).

§. II. Christianis præ omnibus aliis quam maxime convenit laica potestate potiri in Christiana republica.

Quibusdam Anabaptistis inter alios hic quoque error inmen-

(1) Vide epistolam Marcellini quæ nunc est inter Augustinianas 136., olim 4. (2) Lib. 27. cap. 1. §. 3. & seqq. (3) *Roman.* cap. 13. v. 1. & seqq., *Petrus* in I. epist. cap. 2. v. 13. (4) Lib. 26. cap. 2. §. 2.

(5) Vide quæ hujus lib. cap. 4. disseruimus. in quo ostendimus, Christum absque ullo præjudicio laicarum Potestatum Christianam Religionem in iis locis propagatam voluisse, in quibus illæ dominarentur.

mentem venit, quemadmodum refert Joannes Franciſcus Buddeus *Diſſert. de Concordia Religionis Chriſtianæ ſtatuſque civilis* cap. 4., ut putaverint, civitatem quidem ex ſolis Chriſtianis componi poſſe, tamen in ea Chriſtianum quempiam civilem præfecturam gerere non debere (1). Hi ſane ſequuti fuere inſaniam quorumdam Ethnicorum, qui primis Chriſtianis hoc quoque exprobrarunt, doctrinam eorum cum ratione reipublicæ recte adminiſtrandæ ſimul componi non poſſe, ſicuti præcedenti §. monuimus.

Ut ergo illud nunc non urgeamus, quod a Deo eſt, non ſolum Chriſtianæ religioni in ſe ſpectatæ opponi non poſſe, ſed neque etiam viro Chriſtiano ſingulariter; eo vel maxime quia Principatus eſt penes viros ſingulares; quiſnam unquam eorum qui ſuper alios præfecturam habent, non ſuo, ſed communi bono magis proſpicere, cum timore, & tremore præeſſe aliis, uti ſuos fratres reſpicere eos omnes, qui ſibi ſubjecti fuerint, cum illis ad inſtar patris ſeſe gerere, contra juſtitiam nihil committere, ſua tribuere omnibus, omniaque perſequi, quæ ſunt boni Principis, maxime vero rationem de ſuo munere a ſe Deo reddendam attentius recogitare præ illo poterit, qui præceptis Chriſtianæ religionis eſt inſtitutus, eaque in ſuo regimine ſervanda ſibi propoſuit? Non eſt ſane, cur nunc de conditione, & qualitate præceptorum Chriſtianæ religionis diſtincte diſſeramus. Hoc enim jam fecimus (2), taliaque ea eſſe jam oſtendimus, ut ſi Princeps quoque illa in ſuo animo inſculpta habeat, atque ſequatur, nihil ad veram perfectamque rationem regiminis deſiderandum ſuperſit.

Deinde illud a nemine negari poteſt, facilius futurum, ut tum Principis erga ſubditos, tum ſubditorum erga Principem maxima benevolentia ſit, ſi tum ille, tum iſti eamdem religionem profiteantur, eademque dogmata teneant, quam ſi unam Princeps, ſubditi vero aliam religionem ſequantur. Re-

(1) Non defuerunt alii, qui in eodem errore verſarentur. Vide Mamachium *Origin., & Antiquit. Chriſtian.* lib. 4. cap. 2. §. 1. Adnot. 2.
(2) Lib. 13.

ligio profecto quidpiam est, quod interiorem animi sensum afficit, ac propterea si qua unquam re, religionis unitate quam maxime inter se homines potissimum colligantur, arctissimeque devinciuntur. Hoc autem vinculum, quo Princeps, & subditi uniti detinentur, sublatum a civitate illi volunt, qui hominem Christianum in ea Principatum gerere non debere affirmant. Laica ergo potestate in Christiana republica potiri Christianis præ omnibus aliis quam maxime convenit.

§. III. Falso confingitur, nonnulla eorum, quæ Christus præcepit, impedimento esse debere, ne Christianus laica potestate in Christiana republica potiatur.

Quæ ergo quoad rem istam ab Ethnicis sibi objicerentur, in hunc modum Marcellinus S. Augustino narrat (1): " Dicebat, quod ejus (Christi) prædicatio, atque doctrina reipublicæ moribus nulla ex parte conveniat, utpote sicuti a multis dicitur, cujus hoc constet præceptum, ut nulli malum pro malo reddere debeamus, & percutienti alteram præbere maxillam, & pallium dare persistenti tunicam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere spatio itineris duplicato: quæ omnia reipublicæ moribus asserit (Volusianus) esse contraria ". Quare quum a Christo præceptum Ethnici didicissent, ne quis malo resisteret (2), ne injuriam ulcisceretur, ne daret locum iræ, aut par pari referret (3), sed inimicos diligeret (4), remitteret debitori (5), & si ab aliquo percussus foret, maxillam alteram obverteret, ut rursum percuteretur (6), & si quispiam a nobis tunicam tollere vellet, & pallium ei dimitteremus (7), inde illud sibi esse colligendum putarunt, nonnulla eorum, quæ Christus præcepit, impedimento esse debere, ne Christianus laica potestate in Christiana republica potiatur.

Quid ergo Augustinus Marcellino responderit a se quærenti explicationem hujusmodi difficultatum, nunc videamus (8): " Quid opus est, (inquit) ut diutius laboremus, ac

" non

(1) Inter Augustinianas epist. 136., alias 4. (2) *Matth.* cap. 5. v. 38.
(3) *Ad Roman.* cap. 5. v. 19. 21. (4) *Matth.* cap. 5. v. 43. (5) *Matth.* cap. 6. v. 14. (6) *Matth.* cap. 5. v. 38. (7) *Matth.* cit. cap. v. 40.
(8) Epist. 138. num. 9., alias epist. 5.

„ non ipsos potius percontemur , quomodo poterant guber- „ nare , atque augere rempublicam, quam ex parva , & inopi „ magnam opulentamque fecerunt , qui , accepta injuria, „ ignoscere, quam persequi malebant? Quomodo Cæsari ad- „ ministratori utique reipublicæ mores ejus extollens Cicero „ dicebat , quod nihil oblivisci soleret , nisi injurias ? Dice- „ bat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adula- „ tor : sed si laudator; talem Cæsarem noverat : si autem adu- „ lator ; talem esse debere ostendebat Principem civitatis, „ qualem illum fallaciter prædicabat . Quid est autem non „ reddere malum pro malo , nisi abhorrere ab ulciscendi libi- „ dine? Quod est, accepta injuria , ignoscere malle, quam „ persequi , & nihil nisi injurias oblivisci . (Num. 10.) Hæc „ quum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur, & plau- „ ditur : describi , atque prædicari mores videntur , quibus „ dignum esset exurgere civitatem , quæ tot gentibus impe- „ raret, quod, accepta injuria, ignoscere, quam persequi, „ malebant " . His præmissis , *præcepta concordiæ non humanis disputationibus exquisita , sed Divina auctoritate conscripta in Christi Ecclesiis* num. seq. legi tradit, atque finem illorum ita explicat: " Hoc quippe fit, ut vincatur bono malus, „ immo in homine malo vincatur bono malum , & homo libe- „ retur a malo, non exteriore , & alieno, sed intimo , ac suo, „ quo gravius , & perniciosius , quam cujusvis hostis extrin- „ secus immanitate vastatur . Qui ergo vincit bono malum, „ patienter amittit temporalia commoda , ut doceat , quam „ pro fide, & justitia contemnenda sint , quæ ille minus „ amando fit malus; ac si injuriosus ab eo ipso ; cui fecit in- „ juriam , discat qualia sint, propter quæ fecit injuriam, „ atque in concordiam, qua nihil utilius est civitati , pœ- „ nitens acquiratur , victus non sævientis viribus , sed be- „ nevolentia patientis " . Semel exposito fine hujusmodi præceptorum num. 13. descendit ad eam rationem explicandam , qua illa servari semper debent : " Denique ista „ præcepta (inquit) magis ad præparationem cordis, quæ

 „ in-

„ intus est, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit;
„ ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia,
„ in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse,
„ quibus bene velle debemus; hinc liquido ostenditur, quod
„ Dominus Jesus exemplum singulare patientiæ, quum per-
„ cuteretur in faciem respondit (1): *si male dixi, exprobra de*
„ *malo: si autem bene, quid me cædis?* Nequaquam igitur præ-
„ ceptum suum, si verba intueamur, implevit. Neque enim
„ præbuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit,
„ ne qui fecerat injuriam, augeret: & tamen paratus vene-
„ rat, non solum in faciem percuti, verum etiam pro his
„ quoque, a quibus patiebatur, occidi". Tandem post
nonnulla alia num. 15. ita obstruit ora omnium: "Proinde
„ qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicæ, dent
„ exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit,
„ dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, ta-
„ les parentes, tales filios, tales Dominos, tales servos, ta-
„ les Reges, tales Judices, tales denique debitorum ipsius fi-
„ sci redditores, & exactores, quales esse præcipit doctrina
„ Christiana, & audeant eam dicere adversam esse reipubli-
„ cæ, immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si ob-
„ temperetur, salutem esse reipublicæ".

§. IV. Non docuit Tertullianus, Christianum laica pote-
state potiri non debere in republica Christiana.

Barbeyracius in Præfatione ad opus Pufendorfii *De Jure Nat., & Gent.* §. 9. inter alia, quæ Patribus falso affingit, illud quoque contendit, Tertullianum tum in *Apologetico* cap. 21., tum *De Idololatria* cap. 17., tum *De Corona Militis* cap. 11. docuisse, Principatum cum homine Christiano simul consistere non posse. *Apologetici* cap. 21. hæc habet Tertullianus:
„ Sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares
„ non essent seculo necessarii, aut si & Christiani potuissent
„ esse Cæsares". *Idololatriæ* 17. cap. "Tu si diaboli pompam
„ ejerasti, quidquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriam;
„ vel hoc te commonefaciat, omnes hujus seculi potestates,
„ & di-

(1) *Joann.* cap. 18. v. 23.

„ & dignitates, non solum alienas, verum inimicas Dei esse“ *De Corona Militis* cap. 11. de militia Christiani hominis Tertullianus agit : quod sane ad nostram quæstionem modo non pertinet (1) . Illa ergo duo priora Tertulliani loca nunc expendamus. Tertullianus ergo *Apologetici* cap. 21. postquam de iis egit , quæ, Christo mortuo, contigerunt, ita habet : „ Ea omnia super Christo Pilatus , & ipse jam pro sua conscientia Christianus Cæsari tunc Tiberio nunciavit. Sed & „ Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent seculo necessarii , aut si & Christiani potuissent esse „ Cæsares“. Super quæ verba Pamelius ita recte animadvertit : “ Credidissent alii Cæsares Apostolorum monitis, si Christianus, & seculum inter se convenissent : ita enim tunc se „ humanæ res habebant, ut Cæsarum dominationis egerent : „ & seculo, & Christiano male consultum videbatur , si Cæsar idem, & Christianus fuisset. Princeps vero Christianorum, sectaque simul omnis quam crudeliter accepta fuerit „ sub Nerone , Tacitus Tranquillusque Testes“. Loquitur ergo Tertullianus non absolute , sed habita ratione illorum temporum: unde affirmat futurum fuisse, ut Cæsares Christo crederent , *si aut Cæsares non essent seculo necessarii*, *aut si & Christiani potuissent esse Cæsares*. Tunc enim persequutio seculi contra Christianam religionem sæviebat , atque ob hanc rationem Cæsares non Christiani seculo necessarii erant, indeque etiam fieri non poterat, ut Cæsares facti Christiani non desinerent esse Cæsares.

Qua vero de causa Tertullianus *De Idololatria* cap. 18. dicit , *omnes hujus seculi potestates* , *& dignitates non solum alienas*, *verum etiam inimicas Dei esse* ? Profecto non alia , nisi quia , ut ipse inquit , *per illas adversus Dei servos supplicia consulta sunt*, *per illas & pœnæ ad impios paratæ ignorantur*. Potestates ergo sui seculi inimicas Dei esse Tertullianus inde dixit , quia per illas adversus Dei servos supplicia consulta essent . Non ergo potestates in se spectatas Dei inimicas Tertullia-

(1) Quod rem istam quid senserit Tertullianus vide Mamachium *De Orig.*, *& Antiquit. Christian.* lib.4. cap.2. §.1. num.1.

tullianus facit, sed quatenus illæ contra ipsum Deum pugnabant. Ceterum potestatem, etiamsi in Ethnicis ea esset, & debito honore prosequendam Tertullianus dixit, & uti rem habuit, quæ ab ipso Deo derivaretur: " Christianus (inquit ille lib.
" ad *Scapulam* cap. 1.) nullius est hostis, nedum Imperatoris,
" quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut ipsum di-
" ligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto
" Romano imperio, quousque seculum stabit. Colimus &
" Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit,
" ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo con-
" sequutum ". Anne Tertullianus putare unquam potuit, in virum Christianum cadere non debere Principatum, quem a Deo esse tuebatur?

§. V. Christianus semel ac Principatu potiatur, pœna capitis delinquentes contra publicum bonum punire recte potest.

Id potestatis in Christiano Principe non esse, ut ad mortem eos damnare possit, qui contra commune bonum societatis graviter deliquerunt, nonnulli Anabaptistæ tenuere (1), quos hac nostra quoque ætate nuperus quidam Auctor sequutus fuit (2). Quod est tamen tum auctoritati Divinarum Scripturarum, tum etiam ipsi rationi contrarium, isti tuentur. Nam Apostolus loquens de potestate Principatus *Roman.* cap. 13. v. 4. hæc habet: " Dei enim minister est tibi in bo-
" num. Si autem malum feceris, time: non enim sine cau-
" sa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram
" ei, qui malum agit ". Ita autem Principem portare gladium, ut etiam ad internecionem illorum, qui contra rempublicam peccaverunt, eo uti possit, idem S. Apostolus affirmat. Nam committi aliquid ab homine posse, quod ipsa morte plectendum sit, his verbis tradit *Actorum* cap. 25. v. 11. " Si
" enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso
" mori ". Paulus autem hæc dixit Festo, qui contra se judicium

(1) Vide Mamachium *De Origin.*, *& Antiquit. Christian.* lib. 4. cap. 2. §. 1. (2) Auctor libri *dei delitti, e della pace* pag. 5. 7. 9. edit. an. 1764.

cium exercebat. Non est ergo dubitandum, quin Apostolus docuerit, Christianum virum gerentem Principatum pœna capitis in maleficos animadvertere recte posse. Hinc Augustinus lib. 1. *De Civit. Dei* cap. 21. animadvertit Divina auctoritate quasdam exceptiones illi præcepto : *Non occides* , datas fuisse: „ Quasdam vero exceptiones (inquit) eadem ipsa Divina fecit auctoritas , ut non liceat hominem occidi . Sed his exceptis , quos Deus occidi jubet , sive lata lege , sive ad personam pro tempore expressa jussione . Non autem ipse occidit , qui ministerium debet jubenti , sicut adminiculum gladius utenti . Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt , quo dictum est : *Non occides* , qui Deo auctore bella gesserunt , aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges , hoc est , justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt “. Quod ergo habet S. Thomas 2. 2. qu. *64*. art. 2., animadverti debet : “ Omnis autem pars ordinatur ad totum , ut imperfectum ad perfectum : & ideo omnis pars naturaliter est propter totum . Et propter hoc videmus , quod si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri , puta quum est putridum , aut corruptivum aliorum membrorum , laudabiliter , & salubriter abscinditur . Qualibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem , sicut pars ad totum . Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati , & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum , laudabiliter , & salubriter occiditur , ut bonum commune servetur : *Modicum* enim *fermentum totam massam corrumpit* , ut dicitur *I. ad Corinthios* v. *6*. “ Ita vero S. Thomas in sequenti articulo prosequitur : “ Occidere malefactorem licitum est , in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis : & ideo ad illum solum pertinet , cui committitur cura communitatis conservandæ : sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum , quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis . Cura autem communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem : & ideo eis solum licet malefactores occidere , non autem privatis personis “.

Pote-

Potestatem Principatus a Deo esse, supra ostendimus (1), non ita tamen, ut ipse Deus per se Principes immediate instituerit, sed ut homines ad societatem naturaliter natos condiderit, iique propterea simul secum invicem de aliquo sibi præficiendo convenerint, eique singulariter tradiderint præfecturam quoad illa omnia supra se exercendam, quæ ad commune bonum societatis conducere possent. Unde nunc illud quærendum superest, quomodo fiat, ut Princeps pœna mortis eos plectere possit, qui contra commune bonum graviter peccant, quamvis singuli eorum, qui in societatem simul uniti sibi illum præfecerunt, nihil ejusmodi auctoritatis haberent. Si audiatur Hobbesius, jus vitæ, & necis non proficiscitur a consensione simul unitæ multitudinis, quæ aliquem sibi præficit, sed juri illi alteri innititur, quod unusquisque habet in statu naturæ, ea omnia faciendi, quod ad sui conservationem conducere posse arbitratur. Unde id juris non collatum, sed relictum Principibus dicit, qui ob potestatem, quam in sua manu habent, eo se prævalere possunt, prout conservationi omnium civilium expedire crediderint (2). Verum hunc hominem effutientem statum naturalem humanæ naturæ esse belli jam refutavimus (3), indeque ejus alterius absurdissimi erroris fundamentum sublatum remanet. Pufendorfius lib. 8. *De Jure Nat.*, *&* *Gent.* cap. 3. §. 1. animadvertit eodem modo, quo juxta naturalem ordinem in corpore naturali composito partibus plures qualitates occurrunt, quæ non sunt in partibus illius a se invicem separatis; ita etiam in corpore morali ob unionem plurimorum simul unitorum id inesse potestatis, quod non est in singulis hominibus a se invicem divisis. Id sane non improbamus, dum tamen juxta principia a nobis semel posita illud quoque dicatur, potestatem regiminis, atque omnia, quæ sub ea continentur, a consociata multitudine in eum, qui sibi præfecerit ita transferri, ut eadem consociata multitudo non sit primum principium hujusmodi regiminis, atque illius juris, quod sub eo continetur, sed Deus; qui

(1) Vide lib. 27. cap. 1. §. 6. & seq. (2) Vide *Levatianis* cap. 28.
(3) Lib. 26. cap. 1. §. 1.

qui uti naturæ auctor est principium politici regiminis, a consociata tamen multitudine transferendi in hunc, vel illum, sub hac, aut illa ratione (1).

Semel ac vero in Principe sit jus, quemadmodum jam ostendimus, etiam pœna capitis animadvertendi in illos, qui contra bonum commune graviter delinquerunt; inde sane consequitur, esse in istis obligationem subeundi hujusmodi pænam, quæ in se pro merito facinorum inflicta fuerit. Quemadmodum enim animadvertit S. Thomas 2. 2. qu. 69: art.4. " Dicit Apostolus *Roman.* 13. 2. *qui potestati resistit*, *Dei* " *ordinationi resistit*, *& ipse sibi damnationem acquirit*: sed " condemnatus se defendendo potestati resistit quantum ad " hoc, in quo est divinitus instituta *ad vindictam malefacto-* " *rum*, *laudem vero bonorum*: ergo peccat se defendendo " Non licere autem ei, qui est ad mortem juste condemnatus, se defendere, ita ostendit: " Licitum enim est judici eum re- " sistentem impugnare: unde relinquitur, quod ex parte " ejus sit bellum injustum: unde indubitanter peccat ". Et re quidem vera jus semel ac legitimum sit, quoad ea, quæ illi subiiciuntur, supponit obligationem in aliis: igitur si Princeps jus habet animadvertendi pœna capitis in eos, qui contra commune bonum graviter deliquerint, in istis obligatio esse debet subeundi hujusmodi pœnam sibi juste illatam. Hoc sane est, quod Pufendorfius non vidit: nam quamvis id juris, de quo nunc loquimur, ipse quoque agnoverit in Principibus, tamen *proprie* dici non posse affirmat, reum obligatum esse subire illam pœnam, quæ contra se inflicta fuerit. Nam obligatio, inquit ipse, si *proprie* loqui velimus, ea respicit, ad quæ libenter, & propria voluntate ducimur (2). Verum quæ aliunde tam facere, quam non facere possemus, obligatione semel imposita, facere illa debemus, quamvis voluntas nostra renuat, alioquin adimplendi ea, quæ nobis gravia sunt, nulla unquam obligatione detineremur.

(1) Vide lib. 27. cap. 1. §. 1. & seqq. (2) Vide cit. lib. & cap. §. 4. num. 4.

Est tamen animadvertendum cum S. Thoma (1) quoad rem istam, " Quod nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem; sed quod ipse mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere esset se ipsum occidere ".

§. VI. Laica Potestas in suo Principatu non agit vices Supremæ Ecclesiasticæ potestatis.

Dum viæ mediæ non insistimus, in unum extremorum semper impingimus. Quemadmodum enim nonnulli, quia laicæ potestati ea tribuerunt, quæ illi nullo modo debentur, Eccesiasticam potestatem depressere; ita etiam alii dum quæ sub Ecclesiastica potestate non cadunt, illi subiecta esse tenuerunt, laicam potestatem præter omnem rationem coarctarunt. Hoc sane factum est a nonnullis in re ista, de qua agimus: Voluerunt enim, ut Principes vicaria Summi Pontificis auctoritate fungerentur, dum subjectos sibi populos, quod ad rem politicam spectat, regerent, atque moderarentur (2). Verum enim vero limites Supremæ Ecclesiasticæ potestatis a Jesu Christo habemus constitutos: hac vero de causa quidquid usque modo est illi tributum a nobis; ideo tributum fuit, quia ex verbo Dei vel scripto, vel tradito tribuendum esse constat, nosque etiam palam fecimus. Regnorum autem Principatuumque supremam potestatem Petro ejusque successoribus a Christo collatam, ne levissima quidem conjectura ex Sacris Litteris, vel Traditione colligi potest. Ad hoc accedit perpetuus usus a primis usque Ecclesiæ temporibus, usque ad hanc nostram ætatem constantissime servatus, ex quo compertum habemus, Principes laicos usos fuisse sua potestate, uti propria sibi, quæque ab auctoritate Summi Pontificis non penderet. Tandem si Principes in iis, quæ sunt propria sui

(1) Loco mox citato ad 2. (2) Vide Bellarminum *De Rom. Pontifice* lib. 5. cap. 1.

ſui Principatus, agerent vices Supremæ Eccleſiaſticæ poteſtatis, ab hac poteſtate Principatus ex uno in alium transferri poſſet: qui enim agit vices alterius, eo in munere, in quo agit, ſemper illi ſubjectus eſſe debet: hac autem re nihil abſurdius fingi poteſt. Dicendum igitur eſt, a laica poteſtate in ſuo Principatu vices non agi Supremæ Eccleſiaſticæ poteſtatis,

Illud autem eſt nunc animadvertendum a nobis, Boſſuetium *Diſenſionis &c.* lib.1. ſect.1. cap.2., alias lib.4., falſo putare, eamdem Summo Pontifici in temporalia Regum tribui poteſtatem tum ab illis, qui tuentur, a Principibus in ſuo Principatu geri vices ſupremæ Eccleſiaſticæ poteſtatis, tum ab aliis, qui defendunt, *indirectam* in temporalia Regum penes Summum Pontificem poteſtatem eſſe. Hæ duæ namque ſententiæ toto cœlo inter ſe differunt. Quandoquidem in priori non ſunt Principes revera Domini ſuorum Principatuum, ſed tantum adminiſtratores, quum eorumdem Principatuum poteſtas ſuprema penes Summum Pontificem ſemper ſit; in altera vero ſententia nihil ejuſmodi auctoritatis Summo Pontifici tribuitur, uti nemo non novit.

§. VII. Eccleſiaſtica poteſtas ſubjecta eſt laicæ poteſtati quoad ea omnia, quæ iſtius propria ſunt.

Quæ ſunt ergo Cæſaris, reddenda Cæſari, Chriſtus edixit (1). Apoſtolus *Rom.* cap.13.v.1.& ſeqq. hæc habet: "Omnis „ anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim „ poteſtas, niſi a Deo: quæ autem ſunt,a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit... Ideo enim „ & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum „ ſervientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, „ tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem". S. Petrus in ſua I. epiſtola cap. 2. v.13. & ſeqq. " Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive „ Regi, quaſi præcellenti: ſive Ducibus, quaſi ab eo miſſis „ ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia „ ſic eſt voluntas Dei". Hinc Chriſtus quamvis ad tributum

 ſol-

(1) *Lucæ* cap. 20. v.22.

solvendum non obligaretur; tamen ut omnem scandali occasionem tolleret, illud tam pro se, quam pro Petro, solvi præcepit (1). Quæ vero sunt Cæsaris, ipsi Cæsari non redduntur: quæ debetur erga superiores potestates subjectio non servatur, Deique ordinationi resistitur: cui est exhibendus honor, non exhibetur: neque Regibus, neque Ducibus a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, obedientia præstatur, semel ac civili regimini quoad ea quispiam non pareat, quæ sunt propria ejus, atque ad illud tantum spectant. Nam esse aliqua sane debent, in quibus singulariter Principibus obtemperandum sit, semel ac præceptum habeatur sublimioribus potestatibus subditos nos esse debere, eisque non resistendum: alioquin frustra sane hujusmodi præceptum nobis indictum fuisset. Est igitur omnino compertum ex Sacris Litteris, Ecclesiasticam potestatem subjectam esse potestati laicæ quoad ea omnia, quæ istius propria sunt.

Illud tamen nunc animadvertendum superest, laicæ potestatis propria esse non posse, quæ ab Ecclesia publico judicio ad majorem decorem Divini cultus, atque suorum ministrorum sancita fuerint. Uti enim ab iis non discedamus, de quibus in hoc libro copiose egimus, cap. 1. refutavimus Pufendorfium contendentem rationem quidem *collegii* Ecclesiæ convenire, non vero status, seu reipublicæ, ostendimusque Ecclesiam esse verum statum, seu rempublicam, quæ propterea legislativam potestatem sibi propriam habet, quæ a laico Principatu non pendet, quemadmodum ab eodem derivatur tota auctoritas collegiorum. Cap. 2. Hierarchiam, seu Sacrum Principatum in Ecclesia admitti oportere contra Protestantes multis evincimus, ejusque originem Divinam esse distincte confecimus. Cap. 3. Ecclesiæ dignitatem, atque auctoritatem dignitate, & auctoritate laica præstantiorem esse ostendimus. Cap. 4. hanc Ecclesiam, quæ est verus status, seu Respublica, & legislativam potestatem sibi propriam habet, quæ Hierarchiam, seu Sacrum Principatum in

(1) *Matth.* cap. 17. v. 26.

in se complectitur, quæque est in sua auctoritate, atque potestare superior auctoritate, & potestate laica, ubique gentium, etiam ipsis Principibus invitis, propagari Christum voluisse, ex iis, quæ idem Christus mandavit Apostolis, certissime collegimus. Cap. 5. Grotium, Vossium, Hennigesium, & alios refutavimus falso contendentes jus in Sacra laicæ potestati tribuendum esse. His autem omnibus semel positis, quis inde necessario consequi non videat, laicæ potestatis propria esse nullo modo posse, quæ ab Ecclesia publico judicio ad majorem decorem Divini cultus, suorumque ministrorum sancita fuerint?

§. VIII. Ecclesiasticam potestatem subjectam esse laicæ potestati, quoad ea omnia, quæ istius propria sunt, constat etiam ex auctoritate Patrum priorum seculorum.

S. Justinus *Apologia* 2. num. 17. "Illud etiam (inquit) „ studio nobis est, ut vectigalia, & census iis, quibus hoc „ munus commisistis, primi omnium pendamus, quemad- „ modum ab eo (hoc est Christo) instituti sumus... Proin- „ de nos solum Deum adoramus; vobis autem in rebus aliis „ læti servimus, Reges ac Principes hominum esse agoscen- „ tes, & simul precantes, ut cum Regia potestate sanam „ quoque mentem obtinere comperiamini". Tatianus in *Oratione contra Græcos* num. 4. "Jubet Rex tributa pendere? „ paratus sum solvere. Servire, & Ministrare Dominus? „ servitutem agnosco. Homo enim, ut hominem decet, co- „ lendus est. Solus autem verus Deus metuendus, qui nec „ oculis humanis cerni potest, nec arte comprehendi". Athenagoras in *Legatione pro Christianis* num. 1. illud conqueritur, quod Imperatores non prospicerent etiam Christianis, qui de Imperio *æquissime*, & *sanctissime* sentirent. S. Theophilus lib. 1. *ad Autolycum* num. 11. "Regem igitur potius colam, „ non tamen eum adorans, sed preces per eo fundens. Ve- „ rum autem, & vere existentem Deum adoro, quum Regem „ ab eo factum sciam. Dices igitur mihi, cur Regem non „ adoras? Quia non ideo factus est Rex, ut adoretur, sed ut „ legi-

„ legitimo honore observetur. Neque enim Deus est, sed „ homo a Deo constitutus, non ut adoretur, sed ut juste ju- „ dicet". Tertullianus in *Apologetico* cap. 33. " Sed quid ego „ amplius de religione, ac pietate Christiana in Imperato- „ rem? quem necesse est, ut suscipiamus, ut eum, quem „ Dominus noster elegit: ut merito dixerim, noster est ma- „ gis Cæsar, ut a nostro Deo constitutus: itaque ut meo plus „ ego illi operor in salutem". Unum superaddam S. Joannem Chrysostomum, qui exemplo Davidis Saulem licet sibi infensum, licet multis inquinatum sceleribus, summo semper honore prosequentis, ostendit Principi debitam reverentiam, atque subjectionem semper exhibendam esse, quamvis non sit ille talis, qualis esse deberet. Postquam ergo *Homilia* 1. *De Davide* num. 5. illam præclaram rationem commendavit, quam David cum Saule sese persequente tenuit, ita habet: " Nec pepercit tantum; verum & excusationem " pro eo parat. Vide vero quam prudenter, quam sapienter. „ Siquidem quum vitam Saulis perscrutans nihil invenisset „ boni, ut dicere posset, non sum ab illo læsus, nec ullo „ affectus incommodo: protinus enim his reclamaturi erant „ milites, qui aderant, Regisque malitiam experimento co- „ gnoverant; alia ex parte circumibat, studens probabilem „ invenire excusationem. Id quum non posset nec ab illius „ vita, nec a factis, ad dignitatem illius confugit, dicens: „ *quoniam Christus Domini est*. Quid ais, inquiunt, quod sce- „ lestus, quod sceleribus opertus, ac vitiis innumerabilibus „ refertus, & in nos extrema cogitans? Sed Rex est, sed „ Princeps, sed Principatum in nos suscepit. Neque tamen „ dixit: Rex est, sed, *Christus Domini est*, non ab humano „ honore, sed a cælesti judicio, sumpto honorifico testimo- „ nio. Contemnis, inquit, servum tuum? reverere Domi- „ num. Aspernaris electum, metue eum, qui elegit. Ete- „ nim si vulgares istos præfectos ab Imperatore designatos, „ etiamsi sint improbi, si fures, si prædones, si inju- „ sti, si quodcumque aliud fuerint, timemus, & horre- „ mus, non propter malitiam despicientes eos, sed propter „ di-

„ dignitatem illius, a quo electi sunt, reverentes; multo „ amplius id facere convenit erga eos, quos elegit Deus. „ Nondum, inquit, abdicavit Deus illum Principatu, non- „ dum fecit eum ex Rege privatum. Itaque ne invertamus „ ordinem, neque pugnemus cum Deo “. Quamvis Principes nostri a Deo non sint eo modo electi, quo fuerat Saul; tamen ea, quam habent potestatem, a Deo est, ac propterea illa est semper in eis non minus debito honore, quam subjectione prosequenda, dum eadem quoad ea omnia utuntur, quæ sub laico Principatu continentur.

Idem S. Pater explicans illa verba Apostoli: *reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem; timorem: cui honorem, honorem*, illud primo urget, non modo tributum solvi debere Principibus, sed etiam eis honorem rependi oportere: deinde hoc etiam ab illis servandum esse tradit, qui majora sibi concredita habent, propter quæ futurum est, ut in altera vita supra alios emineant: inquit enim num.2. “ Iisdem adhuc insistit, non „ pecunias modo ipsis pendere jubens, sed honorem, & „ timorem. Et quomodo qui supra dixit: *vis non timere* „ *potestatem, fac bonum*; hic dicit: *reddite timorem*? Inten- „ sum dicit timorem, non timorem ex mala conscientia „ partum, quem supra subindicavit. Nec dixit: date, sed „ reddite, & debita adjecit: neque enim ad gratiam hoc „ facit. Debitum enim est, & nisi præstiteris, ingrati pœ- „ nas lues. Neque putes te vilem fieri, aut nocumentum „ accipere secundum philosophiæ tuæ dignitatem, si, præ- „ sente Principe, surgas, si caput detegas. Nam si tunc „ quum Principes gentiles essent, hoc præcepit, multo „ magis nunc, quum fideles sunt, hoc præstandum est. „ Quod si tu dicas, tibi majora concredita esse, disce non „ adesse nunc tempus. Extraneus enim es, & peregrinus... „ Quum Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis cum „ illo in gloria. Ne quæras igitur in hac fluxa vita retri- „ butionem; sed si cum timore adesse oporteat cum Prin- „ cipe, ne putes indignum hoc esse nobilitate tua. Deus

„ enim

„ enim ita vult, ut Princeps ab illo creatus, suam bonitatem habeat ". Ex his autem omnibus satis de eo constare arbitramur, quod nos modo volumus.

CAPUT VII.

DE EA RATIONE, QUA LAICA POTESTAS QUAM MAXIME UTILIS EST POTESTATI ECCLESIASTICÆ.

§. I. CHristiani Principes etiam ad Dei cultum promovendum uti debent ea potestate, qua præditi sunt.

„ Habent ergo Reges (inquit S. Augustinus *Cont. litter. Petiliani* lib. 2. num. 210.) excepta generis humani „ societate, eo ipso quo sunt Reges, unde sic Domino „ serviant, quomodo non possunt, qui Reges non sunt ". Hinc Patres Concilii VI. Parisiensis (1) hæc primo ex S. Isidoro (1) in medium afferunt: " Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, „ ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non „ essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per „ doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ „ terrorem, sæpe per regnum terrenum cæleste regnum „ proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & „ disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur: ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas principalis imponat ... Cognoscant Principes seculi, Deo „ debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a „ Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & „ disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille „ ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit ". Quapropter est illud quidem proxime cum regia potestate conjunctum, ut communi hujus vitæ bono

(1) Lib. 2. cap. 2. apud Sirmondum tom. 2. collect. Concil. Galliæ.

bono Reges consulant, iisque omnibus prospiciant, quæ ad præsentem felicitatem, atque tranquillitatem suorum subditorum conducunt; tamen recta ratio etiam requirit, ut ea potestate, quæ a Deo est, singulariter in ipsius Dei cultum utantur, atque curent, ut quæ Dei sunt, non solum aliquod detrimentum non accipiant, sed etiam foveantur, atque augeantur. Unde si de eo cultu sermo sit, qui Deo exhiberi debet, de eodem Princeps quam maxime sollicitus sit oportet, atque omnem curam habeat, & quidem singulari ratione " In quantum Dominus, quia non est potestas nisi a „ Deo, ut Apostolus dicit *ad Romanos* 13. cap. unde & vices „ Dei gerit in terris, ut dictum est supra. Propter quod tota „ virtus Domini ex Deo pendet, sicut ejus ministri. Ubi au„ tem est dependentia in dominio, necessaria est superioris „ reverentia, quia per se nihil est, ut in ministris regalium „ curiarum contingit " (1). Negari ergo non potest, quin Principes Christiani etiam ad Dei cultum promovendum uti debeant ea potestate, qua præditi sunt.

§. II. Christiani Principes sua potestate in Dei cultum utuntur, dum quæ sunt Christianæ religionis servari a suis subditis diligentissime curant.

Explicat rem istam totam S. Augustinus epist. 185. num. 19., alias epist. 50. dicens: " Quomodo ergo Reges Domino „ serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, „ religiosa severitate prohibendo, atque plectendo? Aliter „ enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est. „ Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam „ Rex est, servit leges justa præcipientes, & contraria prohi„ bentes, convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Eze„ chias lucos, & templa idolorum, & illa excelsa, quæ con„ tra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo: sicut ser„ vivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum „ Dominum compellendo: sicut servivit Darius, idolum fran„ gendum in potestatem Danielis dando, & inimicos ejus leo-

(1) Ita in cap. 16. lib. 2. Opusculi 20. S. Thomæ *De Regimine Principum*.

„ nibus ingerendo : ficut fervivit Nabuchodonofor , de quo „ jam diximus , omnes in regno fuo pofitos a blafphemando „ Deo lege horribili prohibendo . In hoc ergo ferviunt Do- „ mino Reges, quum ea faciunt ad ferviendum illi, quæ non „ poffunt facere , nifi Reges “ . Et re quidem vera femel ac Chriftiani Principes fua auctoritate , atque poteftate etiam in Dei cultum uti debeant, id fane quam maxime præftant, dum quæ funt Chriftianæ religionis , quam diligentiffime curant. Nam in obfervatione illorum omnium , quæ ad religionem Chriftianam fpectant , totus , quantus eft , Divinus cultus continetur. Dum ergo Chriftiani Principes , quæ funt Chriftianæ religionis a fuis fubditis fervari curant , Deo fingularem cultum fecundum eam poteftatem , qua præditi funt, impendunt.

§. III. Ea etiam de caufa Chriftianis Principibus eft collata poteftas, ut illa in Ecclefiæ utilitatem utantur.

Hac de re eft etiam ex ipfa ratione compertum : quandoquidem putari non debet , Deum magis velle , ut gentes, atque nationes felicitate, & tranquillitate hujus vitæ fruantur, ex eo quod fit, qui illas fub jufto dominio contineat, iisque omnibus profpiciat , quæ ad præfens commune bonum conducere poffunt, quam ut jufte recteque vivant, fuam legem fervent, fuorumque præcepta paftorum, quos ipfe pofuit regere Ecclefiam fuam , fequantur . Immo hoc fane eft, quod Deus potiffimum intendit , atque hac de caufa præcepit , ut de iis præcipue folliciti effemus , quæ vitam nobis æternam comparare poffent. Si ergo iis donis, quæ quifpiam a Deo recepit, in eum potiffimum finem uti debet, qui eft a Deo præintentus fuper alios ; quum nullus fit dubitandi locus , fua Principes poteftate efficere facile poffe , ut fubditi obfequendo Divinæ legi audiant præcepta fuorum paftorum , iifque, prout expedit ad falutem fuarum animarum, morem gerant: quod fane in Ecclefiæ maximam utilitatem cedit ; nemo inde confequi non videt , fua poteftate Principes in hunc quoque finem uti potiffimum debere . Unde Cæleftinus ad Theodofium

sium (1) inquiebat: „ Major vobis fidei causa debet esse, quam „ regni: ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra „ debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. „ Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus, quæ Deo „ sunt chariora, serventur". Et S. Leo Magnus Imperatorem Leonem ita monebat (2): „ Debes incunctanter advertere Regiam „ potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad „ Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene statuta sunt, defendas, & veram pacem „ his, quæ sunt turbata, restituas". S. Gregorius Papa Brunichildem Reginam ita compellabat (3), postquam eam monuit, ut contra simoniacam pravitatem insurgeret: „ Præterea hos, „ quos ab unitate Ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad „ unitatem pro vestra mercede studete revocare concordiæ .... „ Hoc quoque pariter hortamur, ut & ceteros subjectos ve„ stros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, ut ido„ lis non immolent, cultores arborum non existant, de anima„ lium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia per„ venit ad nos, quod multi Christianorum, & ad Ecclesias oc„ currant, & quod dici nefas est, a culturis dæmonum non „ abscedant" (4). Tandem, ut alia multa omittamus, in legibus Ecclesiasticis S. Edwardi Regis lege 14. hæc leguntur (5): „ Rex autem, qui vicarius summi Regis est, ad hoc „ est constitutus, ut regnum terrenum, & populum Domini, „ & super omnia sanctam veneretur Ecclesiam ejus, & regat, „ & ab injuriosis defendat; maleficos ab ea avellat, & de„ struat, & penitus disperdat. Quod nisi fecerit, nec nomen „ Regis in eo constabit: verum, testante Papa Joanne, no„ men Regis perdit". Ipsa ergo tum ratione, tum auctoritate perspectum habemus, ea etiam de causa Christianis Principibus potestatem collatam esse, ut illa in utilitatem Ecclesiæ utantur.

 §. IV.

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 1473. (2) Epist. 129. juxta edit. Cacciarii cap. 3. (3) Epist. lib. 9. indict. 2. epist. 11., alias 5. (4) Vide etiam epist. 110. lib. 9. indict. 2., alias epist. 15., & loca Patrum, quæ Concilium Aquisgranense II. cap. 3. can. 2. collegit apud Sirmondum in collectione Sirmondiana tom. 2. Concil. Galliæ.
(5) Tom. 6. Concil edit. Harduini colum. 988.

§. IV. Piissimos Principes protestatos fuisse legimus, uti se debere sua potestate in utilitatem Ecclesiæ.

Id primo constat ex Epistola Valentiniani ad Theodosium Imperatorem; in qua hæc leguntur (1): " Rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ quum sit conservatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui primatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicare ". Et Galla Placidia eumdem Theodosium suum filium ita deprecatur (2): " Hac itaque gratia tua mansuetudo tantis turbis resistens (iis scilicet, quæ in Synodo Ephesina excitatæ fuerant) veritatem fidei Catholicæ religionis immaculatam servari præcipiat, ut secundum normam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur, in qua primus ille, qui cælestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinavit.... Diligentius autem etiam in hoc providere, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nobis imminui videatur ".

Si autem ad subsequentia tempora descendamus, clariora adhuc hujus rei monumenta in Ecclesiastica historia occurrunt. Rex Childebertus in sua Constitutione an. 554 (3): " Necesse est (inquit), ut plebs, quæ Sacerdotis præcepta non ita, ut oportet, custodit, nostro etiam corrigatur imperio ". Carolus Magnus anno 796. in epistola ad Leonem III. ita habet (4): " Sicut enim cum prædecessore vestræ

" san-

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 35. (2) Cit. tomo colum. 38. (3) Concil. Galliæ Sirmondianæ collectionis tom. 1. pag. 300. (4) *Capitularium Regum Francorum* an. 796. juxta Baluzianam editionem.

„ sanctæ Paternitatis pactum inii; sic cum Beatitudine vestra „ ejusdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus statuere desidero; quatenus Apostolicæ Sanctitatis vestræ, Divina donante gratia Sanctorum advocata precibus, me ubique „ Apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ „ Ecclesiæ Sedes, Deo donante, nostra semper devotione „ defendatur. Nostrum est secundum auxilium Divinæ pietatis sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incursu paganorum, „ & ab infidelium devastatione armis defendere, foris, & intus Catholicæ fidei agnitionem manere “, Ludovicus Pius anno 823. (1): “ Optamus, (inquit) ut tria specialiter capitula & a nobis, & a vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur; id est, ut defensio, vel exaltatio, vel honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & servorum illius congruus maneat, & pax, & justitia in omni „ generalitate populi nostri conservetur “. Regni vero Comites ita monet (2): “ Vobis vero Comitibus dicimus, vosque „ commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam, & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis „ adjutorium suum ministerium agendo præbeatis “. Ludovicus VII. Rex Galliarum anno 1171. ad vindicandam libertatem Episcopi Aniciensis, qui potentia Vicecomitis Podomniacensis opprimebatur, ita decrevit (3): “ Ludovicus Dei gratia „ Francorum Rex omnibus in perpetuum. Digna vox est majestate regnantis, Dei servum, & Ecclesiæ defensorem se „ Principem profiteri. Adeo de Divinæ promissionis, & prudentiæ culmine nostra pendet auctoritas, ut ad honorem, „ laudem, & gloriam ipsius & opera nostra, & ipsorum intentionem operum referamus. Inde est, quod commissum a „ Deo nobis gladium & in defensionem Ecclesiarum, & in „ oppressionem debemus, ac volumus exercere tyramnorum“.

Alia

(1) *Capitulare* an. 423. num. 2. juxta editionem Baluzianam relatum lib. 2. *Capitularium* cap. 2. (2) Citato loco cap. 3. (3) Vide adnotationem Baluzii ad 8. 5. cap. 12. lib. 2. Petri de Marca *De Concord. Sacerd., & Imperii*.

Alia iſtis in rem eamdem ſuperaddere poſſemus; verum de hac re, quæ tum a religione, tum a pietate Principum nullo modo disjungi poteſt, non eſt, cur uberius differamus.

§. V. Sua poteſtate in utilitatem Eccleſiæ Chriſtiani Principes utuntur, quemadmodum etiam ab antiquis temporibus piiſſimos Principes feciſſe legimus, dum curant, ut exequutioni mandentur, quæ ſunt conſtituta Eccleſiaſtico judicio.

Nonnulli fuere, qui putarunt, Chriſtianos Imperatores non in illud quidem ſuam poteſtatem interpoſuiſſe, ut decreta Patrum exequtioni mandarentur, ſed ut ſuum ultimum robur, atque auctoritatem ea reciperent. Horum nos errorem jam refutavimus (1). Nunc ergo illud primo ſingulariter oſtendendum aggredimur, Imperatores in id ſuam auctoritatem impendiſſe, ut decreta Patrum ſuum effectum haberent, atque a Conſtantino exordiamur. Ab hoc ergo poſt latam a Patribus Nicænis ſententiam in Arium, ita conſtitutum fuit, quemadmodum apud Gelaſium Cyzicenum in *Comment. Actorum Concilii Nicæni* par. altera cap. 37. legitur, ut " Si „ quod ſcriptum ab Ario compoſitum reperiatur, igni tradatur, „ ut non modo improba ejus doctrina tollatur, verum etiam ne „ monumentum quidem aliquod ejus relinquatur "; atque etiam pœnam mortis decernit in illos, qui Arii ſcriptum aliquod occultaverint. Hiſce non contentus Conſtantinus, ut qua omni efficacia poſſet, ſtatuta Nicæni Concilii exequutioni mandari ſtuderet, tum ad Alexandrinos, & omnes Orthodoxos, tum ad Eccleſias, & Epiſcopos, qui concilio non interfuerant, litteras dedit, in quibus duo ſane facit: 1. vim obligationis non in ſuam, ſed in auctoritatem Patrum refundit: 2. ſuam auctoritatem interponendo exorat omnes, ut quæ in Nicæno Concilio conſtituta fuerant, amplectantur, atque ſequantur. Nam in priori epiſtola apud eumdem Gelaſium ita habet: " Nam quod trecentis ſanctis „ Epiſcopis viſum eſt, non eſt aliud putandum, quam Filii „ Dei ſententia: præſertim quum in talium, & tam præclarorum virorum mentibus Sacer inſideret Spiritus, qui illis „ Divi-

(1) Lib. 2. cap. 3. §. 5. & ſeqq.

„ Divinam voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrum „ hæsitet, nemo moram interponat, sed omnes lubentibus „ animis ad viam veritatis redite, ut simul ac ipse ad vos „ adventavero, debitas gratias Deo, qui omnia lustrat, „ una vobiscum agam". In altera autem epistola postquam pluribus adstruxit non decere Christianos una cum Judæis convenire in celebranda solemnitate Paschali, in hunc modum concludit. "His itaque Divino judicio a tot tantisque Sanctis Episcopis ad hunc modum constitutis, ea velut dona „ cœlitus emissa, & Divina vere mandata accipite. Nam „ quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur; id „ universum Divinæ voluntati debet attribui. Quamobrem „ vos, ubi omnibus dilectis nostris fratribus ea, quæ ante „ scripta sunt, & jam dictam Catholicæ fidei formulam, & „ sanctissimi diei paschatis observationem denunciaveritis; „ eadem ipsi approbare, & effecta reddere debetis". Eusebius lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 20., hac epistola relata, superaddit: "Hanc epistolam Imperator eodem exemplo scriptam in omnes Provinciasdirexit, ut suæ erga Deum pie„ tatis sinceritatem tanquam in speculo quodam aspiciendam „ legentibus præberet".

Theodosius Imperator, Patrum Ephesinorum accepta legatione, qua certior factus fuit de condemnatione Nestorii, ipsum Nestorium *in perpetuum exilium Petras deportari* jussit (1). Id vero est, de quo eumdem Theodosium Cælestinus rogaverat in hunc modum (2): "Quem igitur universorum ejecit sententia Sacerdotum in prædicatione sacrilega perdu„ rantem, eum vestra clementia ad omni societate removeat, „ ut facultatem aliquos perdendi non habeat".

Valentinianus, atque Marcianus lata in Eutychetem in Synodo Chalcedonensi sententia, contra eos, qui publice disputare contenderent de iis, quæ in eadem Synodo definita fuerant, diversas pœnas statuerunt (3); omnesque nihil hæsitantes voluerunt, ut decretis Synodi Chalcedonensis assen-

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 1670. (2) Cit. tomo colum. 1675. (3) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 662.

sentirentur: " Universi ergo, quæ a sancta Synodo Chalce-
" donensi statuta sunt, custodire debebunt, nihil postea du-
" bitaturi ".

Constantinus Pogonata in publico edicto facta mentione illorum, quæ in VI. Synodo Œcumenica decreta fuerant, ad ea amplectenda, atque tenenda omnes adhortatus fuit, certasque pœnas contradicentibus indixit (1). Idem præstitit etiam Basilius Imperator, eorum habita ratione, quæ in VIII. Synodo Œcumenica decreta fuerant (2): *Capitularium* lib. 6. cap. 321. ita habetur: " Ita unanimes Divinis Apostolicis con-
" stitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini pia Canonum
" decreta violari. Ut nulli fas sit sine status sui periculo vel
" Divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta te-
" merare ". Idem inculcatur etiam lib. 7. cap. 122., & cap. 154.

Ut ergo nunc alia tum antiquiora, tum recentiora hujusmodi exempla omittamus, nonne Constantinus dum scripta Arii comburi jussit, effecitque ut omnes Nicæni Concilii decretis assentirentur, nonne Theodosius dum in Nestorium a Patribus Ephesinis damnatum animadvertit, nonne dum Valentinianus, & Marcianus aliquam ultra disputationem de iis haberi prohibuerunt, quæ in Chalcedonensi Concilio definita fuerant, nonne Constantinus Pogonata, & Basilius Imperator, dum ille VI., iste VIII. Œcumenici Concilii decreta suscipere renuentibus pœnas induxit, nonne dum alii subinde Principes statuere, ut leges Canonicæ servarentur, plurimum utilitatis Ecclesiæ attulerunt? Profecto si id Ecclesiæ utile non est, quo fit, ut leges illius serventur ab omnibus, non video sane, quid illi utile dici possit. Quandoquidem sæpe contingit, ut quod per se Ecclesia non consequeretur, si auctoritatem, atque potestatem Principum pro suarum oservatione legum sibi adjumento habeat, plenissime consequatur, quemadmodum inter alios S. Leo, & S. Gregorius, uterque Magnus, animadverterunt. S. Leo in epi-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1458. (2) Tom. 5. Concil. ejusdem edit. colum. 920.

epiſtola ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum (1) loquens de Priſcillianiſtis, “Merito (inquit) Patres noſtri, ſub quo„ rum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum „ mundum inſtanter egere, ut impius furor ab univerſa Ec„ cleſia pelleretur: quando etiam mundi Principes ita hanc „ ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, ut auctorem ejus „ cum pleriſque diſcipulis legum publicarum enſe proſterne„ rent.... Profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati, „ quæ etſi ſacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ul„ tiones, ſervatis tamen Chriſtianorum Principum conſti„ tutionibus adjuvatur, dum ad ſpirituale nonnunquam re„ currunt remedium, qui timent corporale ſupplicium“. Suam vero ad Marcianum Imperatorem epiſtolam ita auſpicatur (2): “Quam excellenti pietate, & quam glorioſo „ Clementiæ veſtræ ſtudio in integrum nuper fides Chri„ ſtiana revocata ſit, totus mundus agnoſcit, & ſaluti „ ſuæ ſingulare præſidium per vos a Domino eſſe repa„ ratum. Ac ſi quid adverſum tanti operis conſumma„ tionem de contrario ſpiritu ſentitur oboriri, neceſſe „ eſt, ut ad veſtræ revocetur pietatis auxilium, quod „ ad cuſtodiam Catholicæ veritatis Divina Providentia præ„ paravit: ut quum poteſtatis veſtræ ſit ſcandala etiam in lon„ ginquo nata reſecare, multo magis ea, quæ ſub veſtris „ audent oculis ſurgere, non ſinatis creſcere“. Tandem, at alia prætercam, in epiſt. ad Iulianum (3) de ea ratione ugens, qua Monachi Eutycheti adhærentes in ordinem redigi poſſent, inquit: “Unde quum Clementiſſimus Princeps „ toto religioſi cordis affectu Catholicam diligat fidem.... „ agendum eſt apud ipſius clementiam, ut incentores harum „ ſeditionum ab inſanis congregationibus ſeparentur, nec „ tantum Eutyches, & Dioſcorus, ſed etiam quicumque „ ſtudioſius furioſam adjuvat pravitatem, in his conſtituantur „ locis, in quibus nullum cum ſuis ſociis blaſphemiarum „ poſſint habere commercium“. Etiam S. Gregorius lib. 31.

(1) Epiſt. 15. juxta edit. Cacciarii. (2) Juxta eamdem edit. epiſt. 86.
(3) Juxta eamdem edit. epiſt. 85.

Moralium num. 7. ad frangendam audaciam eorum, qui rectæ fidei adversantur, Ecclesiæ Principum potestatem utilem esse affirmat, ut quod per se ipsa Ecclesia non potest, eorum auxilio consequatur "Ad horum (inquit) duritiem dissolvendam nonnunquam Sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerontis hujus, id est terreni Principis opitulationem quærit, ut ipse superjacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas, quas planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit, ac comminuit; quia pravorum potentiumque duritiem, cui Ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate solvit".

Neque est, cur dicatur, auctoritate Divini Verbi, atque ratione solummodo agendum esse cum iis, qui Ecclesiæ definitionibus reluctantur: id quondam sensit etiam S. Augustinus, atque auctoritatem Divini Verbi, simul & rationem contra Donatistas adhibendam censuit. Verum uti constat ex ejus epistola 93. ad Vincentium num. 3., alias epistola 48., ipse quoque deinde putavit, semel ac Ecclesiæ definitio habeatur, atque ab ea explicatum sit, quid sequi, vel non sequi unusquisque debeat, valde profecto utile esse, ut in Ecclesiæ adiutorium contra pervicaces potestas Principum insurgeret, quia hæc duo simul conjugebantur, & doctrina ex parte Ecclesiæ, & terror ex parte Principum: "Si enim terrerentur, (inquit) & non docerentur improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur, & non terrerentur; vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur... Quum vero terrori utili doctrina salutaris adjungitur, ut non solum tenebras erroris lux veritatis expellat, verum etiam malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salute lætamur, benedicentium nobiscum, & gratias agentium Deo, quod, sua pollicitatione completa, quæ Reges terræ Christo servituros esse promisit, sic curavit morbidos, sic sanavit infirmos. (Num. 16.) Vides itaque, ut opinor, non esse considerandum, quod quisque cogitur,

" sed

„ fed quale fit illud, quo cogitur, utrum bonum, an malum: non quo quifque bonus poffit effe invitus; fed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animofitatem, vel ignoratam compellitur cognofcere veritatem, ut timens vel refpuat falfum, de quo contendebat, vel quærat verum, quod nefciebat, & volens teneat jam quod nolebat".

§. VI. Sicuti Principes plurimum Ecclefiæ profunt, dum fua poteftate efficiunt, ut judicia illius fuum effectum habeant; ita etiam dum de caufis Ecclefiafticis judicium fibi fumunt, graviffimorum malorum caufa effe poffunt, indeque recte Ecclefia femper diligentiffime cavit, ne Ecclefiaftici ad laica tribunalia fuas caufas deferrent,

Plura fane exempla in Ecclefiaftica hiftoria occurrunt, quibus omnino compertum eft, gravia mala in Ecclefiam profluxiffe, dum Principes de caufis Ecclefiafticis judicium fibi fumferunt. Duo tantum, & ea quidem antiquiora nos modo commemorabimus, Athanafii unum, Chryfoftomi alterum. Conftantinus ergo quam habebat poteftatem longe prætergreffus præter omnem rationem, Eufebio fuadente, Athanafio præcepit, ut Arianos ad fui communionem reciperet (1). Hoc fane fuit initium omnium malorum, quæ in Athanafii caufa contigerunt. Nam quum Athanafius id facere jure meritoque renuiffet; tunc fane Eufebiani Principem ad fe audiendum facilem femel experti, turpiffimas calumnias contra Athanafium confinxerunt, deque eis illum apud eumdem Principem accufarunt (2), ac tandem ab eo obtinuere, ut Athanafius in exilium in Gallias mitteretur (3). Anne fortaffe in virum Sanctiffimum Conftantinus id pergiffet, fi ftatim ac Ariani ab eo petiere, ut ad feipfos admittendos in fui communionem Athanafium cogeret, iifdem refpondiffet, non ad fe, fed ad Ecclefiam rei iftius judicium pertinere? Initium hoc fane fuit ceterorum malorum, quæ tunc temporis Ecclefia ob hanc caufam fuftinuit. Viri fane Ecclefiaftici Conftan-

(1) Vide Athanafii *Apologiam* 1. *contra Arianos* num. 59.
(2) Cit. *Apologia* num. 60. & feqq. (3) Cit. *Apologia* num. 83.

ſtantinum impulerunt, ut quod non poterat, neque debebat, ſuo ille judicio ſubiiceret: verum ex hoc Conſtantini reatus minui quidem, non tamen omnino excuſari poteſt.

De innocentia S. Joannis Chryſoſtomi nullus remanſiſſet dubitandi locus, impiaque ei adverſantium temeritas non viciſſet, ſi Arcadius Imperator, potiuſquam ſuis familiaribus aſſentiretur, tum legatis S. Innocentii I., tum litteris pii Imperatoris Honorii fidem præbuiſſet, atque paſſus fuiſſet, ut hujuſmodi cauſa in Synodo Œcumenica Orientalium, & Occidentalium diſcuteretur, cui ſe ſiſterent ad ſuam cauſam dicendum Theophilus, Acacius, Severianus, nonnullique alii, qui contra S. Joannem Chryſoſtomum conſpiraverant (1).

Hæc duo axempla ad id, quod volumus oſtendendum, ſolummodo in medium adducimus; ceterum negari non poteſt, non ſolum Orientalem ab Occidentali Eccleſia poſt multas perturbationes diviſam inde quoque fuiſſe, quia Principes rerum Eccleſiaſticarum judicium ſibi tribuerunt, ſed etiam cum gravi detrimento ejus quoque publici boni, quod ſocietatem reſpicit, ſemper contigiſſe, ut laicus Principatus jura Eccleſiaſtica invaſerit.

Nunc de Eccleſiæ ſollicitudine quoad rem iſtam. Anno 341. in Antiocheno Concilio can. 12. hæc decreta fuiſſe legimus (2): « Si quis a proprio Epiſcopo Presbyter, aut Dia- » conus, aut a Synodo fuerit Epiſcopus damnatus, & Impe- » ratoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad majus Epi- » ſcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere » juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſio- » nes, ac judicia præſtolentur. Si vero hæc perpendentes » moleſti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos eſſe, » nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitu- » tionis penitus opperiri dijudicamus «. Anno 397. Concilium Carthaginenſe III. Canone 9. ita hac de re ſtatuit (3): » Item

(1) Hac tota de re coſulatur Palladii Dialogus *De Vita S. Joannis Chryſoſtomi*. (2) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 597.
(3) Cit. tomo colum. 962.

„ Item placuit, ut quisquis Episcoprum, Presbyterorum, & „ Diaconorum, seu clericorum, quum in Ecclesia ei crimen „ fuerit institutum, vel civilis causa fuerit commota, si, re„ licto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari malue„ rit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum „ amittat, & hoc in criminali judicio. In civili perdat, quod „ evicit, si locum suum obtinere voluerit". Concilium Chalcedonense anno 451. can. 9. (1) "Si clericus adversus „ clericum habeat negotium, non relinquat suum Episco„ pum, & ad secularia judicia non occurrat: sed prius ne„ gotium agitetur ad proprium Episcopum; vel certe si fue„ rit judicium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte „ electos audiatur negotium. Si quis vero contra hæc fece„ rit, canonum subjaceat correctionibus". Anno 506. Concilium Agathense can. 8. (2) "Id etiam placuit, ut Clericus, „ si, relicto officio suo, propter districtionem ad secularem „ fortasse confugerit, & is, ad quem recurrerit, solatium „ ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ commu„ nione pellatur". Anno 789. Aquisgranense Concilium can. 28. (3) "Si quis Clericus cum Clerico causam habeat, „ Episcopum suum non deferat, & ad judicia secularia cur„ rat: sed prius apud Episcopum suum examinet causam, aut „ certe cum voluntate ipsius Episcopi causa dicatur, apud „ quos partes utræque voluerint: si quis autem contra hæc „ venire tentaverit. Canonicis interdictis subjaceat". Tandem, ut alia sane multa omittamus, anno 909. Concilium Troslejanum can. 3. (4) "Itemque & Canonum præcipiunt in„ stituta, simulque eorum pedisequa Regum Capitularia, si„ cut in lib. 1. Capitulorum imperialium continetur cap. 28., „ ut Clerici, & Monachi si inter se negotium aliquod ha„ buerint, a suo Episcopo judicentur, non a secularibus. „ Fas enim non est, ut Divini muneris ministri temporalium „ potestatum subdantur arbitrio". Hoc vero est, quod etiam

(1) Cit. tomo 605. (2) Tom. 1. Concil. Galliæ Sirmondianæ collectionis pag. 163. (3) Tom. 2. ejusdem collectionis pag. 141.
(4) Tom. 3. ejusdem collectionis pag. 541.

etiam *Capitularium* lib. 5. cap.17., & cap. 22. repetitum legimus. Quia ergo Præsules Ecclesiarum semper viderunt, quanta mala in Ecclesiam consequutura forent, semel ac Ecclesiastica negotia laicorum judicio, atque potestati subderentur; ideo ne id unquam fieret, lege sæpius repetita sanxere.

CAPUT VIII.

DE EA RATIONE, QUA POTESTAS ECCLESIASTICA LAICÆ POTESTATI UTILIS EST.

§. I. Ecclesiastica potestas est laici Principatus præclarissimum ornamentum, atque decor.

„ Duo siquidem (inquiebat S. Theodorus Studita epist. „ lib. 1. epist. 16. ad Nicephorum Imperatorem) hæc munera „ tribuit Christianis Deus, Sacerdotium, & Imperium, per „ quæ colitur, per quæ ornantur, & gubernantur cælestium „ exemplo terrena". Et S. Gelasius Papa epist. 4. ad Anastasium Imperatorem (1): " Duo quippe sunt, Imperator Augu„ ste, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas „ Sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto gra„ vius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regi„ bus Domino in Divino reddituri sunt examine rationem". Et *Capitularium* lib. 5. cap. 319. " Principaliter itaque totius „ Sanctæ Ecclesiæ Dei corpus in duas eximias personas, in „ Sacerdotalitem videlicet, & Regalem, sicut a Sanctis Patri„ bus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua„ re Gelasius Romanæ Sedis Episcopus ad Anastasium Impera„ torem ita scribit: *Duo quippe sunt &c.* " Quandoquidem Christus suam Ecclesiam in iis omnibus locis extendendam instituit, in quibus laicæ potestates dominarentur, & quidquid auctoritatis in hanc rem contulit Apostolis, laicis Principibus nullo modo communicavit, quin tamen inde laicam potestatem vel minuerit, vel aliquo modo læserit (2). Cum laica ergo

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 893. (2) Hujus lib. cap. 4. §. 1. & seqq.

go potestate etiam Ecclesiasticam Christus simul unitam voluit. Ecclesiastica vero potestas est sane præstantioris dignitatis, atque auctoritatis, quam laica sit (1). Si ergo quando duo simul uniuntur, & unum eorum est inferioris conditionis, alterum superioris, illud ab isto decorem, atque ornamentum accipit; inde profecto consequitur, Ecclesiasticam potestatem ornamento, atque decori esse potestati laicæ.

Talis tamen hæc Ecclesiastica potestas esse debet, qualis a Christo instituta fuit, ut potestati laicæ decori, & ornamento sit. Nam Ecclesiastica potestas est laica longe præcellentior tum ob sui institutionem, tum ob præstantiam regiminis, quod Christus in ea constituit, tum ob illa, quæ eidem subjecit, tum tandem ob sui amplitudinem, atque stabilitatem (2). Hæc vero omnia illa sola Ecclesiastica potestas habere potest, quæ est talis, qualis instituta a Christo fuit. Unde recte S.Gregorius Magnus epist. lib. 6. indict. 14. epist. 6. ad Childebertum Regem scribens ita cum eo congratulatur: "Quanto ce-
„ teros homines Regia dignitas antecedit, tanto ceterarum
„ gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. Esse
„ autem Regem, quia sunt & alii, non mirum est: sed esse
„ Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut
„ enim magnæ lampadis splendor in terræ noctis obscuritate
„ luminis sui claritate fulgescit; ita fidei vestræ claritas inter
„ aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat, ac coruscat.
„ Quidquid autem Reges se ceteri gloriantur habere, habe-
„ tis. Sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam
„ hoc principale bonum non habent, quod habetis".

§. II. Ecclesiastica potestas maximo adjumento est laicæ potestati, si munera illius attendantur.

In eo sunt posita munera Ecclesiasticæ potestatis, ut recta fides servetur in omnibus, prout ab ipso Deo traditum accepimus; morum doctrina Evangelica nullis depravetur erroribus; quæ sunt Divini cultus & non omittantur, & qua par est ratione peragantur; non solum Fideles instructi sint in iis, quæ ad civilem societatem spectant, & quoad ea bene morari

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 1. & seqq. (2) Cit. loco.

morati fiant, sed etiam recte noverint, atque servent cetera omnia, quæ sunt Christianæ religionis.; unus idemque sit cunctorum animus, una fides, una unius ejusdemque observatio legis, qua inter se devinciantur, & arctissimo vinculo quodammodo constringantur. At vero nonne maximo adjumento est laicæ potestati, ut qui ei subjiciuntur, rectam fidem servent, qualem a Deo traditam habemus, & suos mores Evangelii præceptis conforment? quem Deo cultum debent, & deferant, & eo modo, quo par est, deferant? non minus civis, quam Christiani hominis officia perspecta habeant? sint inter se omnes vinculo unius, atque ejusdem religionis interius exteriusque uniti? Est ergo sane Ecclesiastica potestas maximo adjumento laicæ potestati, si ad munera illius attendatur. Hinc S. Fulgentius *De Veritate prædestinat., & grat.* num.38. " Magis enim (inquit) Christianum regitur, ac propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per universam terram consulitur, quam quum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur ".

§. III. Id boni, quod laica potestas a se habere non potest, in eam redundat ab Ecclesiastica potestate.

Hoc argumenti genus præclare prosequutus fuit S. Joannes Chrysostomus in epist. II. *ad Corinthios Homilia* 15. num.4. " At vero (inquit) hic aliud quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod in Ecclesia viget: cujus etiam ipsius mentionem Paulus facit, quum ait (1): *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Primum namque imperium (hoc est, imperium Ecclesiæ) non hoc præcipue curat, ut perpetrata scelera vindicet, sed ut ne omnino quidem perpetrentur. Deinde si perpetrata sint, non ut ægrotantem de medio tollat, sed ut ipsa deleantur ". Clavium enim potestas, qua fit, ut scelera deleantur, in sola Ecclesia est, nullo autem modo apud laicam potestatem; & inde fit, ut Ecclesia sua auctoritate illud quoque efficiat, ut scelera non perpetrentur, quia in remit-

(1) *Hebræor.* cap. 13. v. 17.

remittendis criminibus semel admissis sua erga eos potestate non utitur, qui illa sese admisisse non dolent, & amplius se non admissuros, sibi certo non proposuerunt, sed erga alios, qui & admissa crimina lugent, & nunquam amplius ea se perpetraturos, firmissime constituunt. Sua vero potestate erga istos dum Ecclesia utitur, non ægrotantem, sed morbum de medio tollit. Anne ex hoc non fit, ut etiam laica potestas id boni in suis subditis assequatur, quod per se nullo modo consequi posset?

„ Quantum ergo (ita prosequitur S. Joannes Chrysosto-
„ mus in citata Homilia num. 5.) inter corpus, & animum di-
„ scriminis est, tantum item hoc imperium (Ecclesiæ) ab illo
„ (laico) distat. Ad hæc qui imperio illo fungitur, perspi-
„ cuorum dumtaxat criminum Judex sedet, immo ne horum
„ quidem omnium, sed eorum tantum, quæ comperta
„ sunt". Non ita vero se res habet, si ad Ecclesiæ imperium attendatur: sub isto enim cadunt non solum manifesta, aut ex istis ea tantum, quæ sunt contra commune bonum societatis, sed etiam omnino occulta, etiamsi interius lateant; indeque propterea fit, ut homines ab omni genere criminum attentius sibi caveant, atque utilitati humanæ societatis fit magis prospectum. Sicuti enim habet S. Doctor: " Nam si de tectis, &
„ occultis peccatis contremiscere, cautiorem hominem red-
„ dit, quam de perspicuis tantum in metu esse; atque is,
„ qui de levibus etiam noxis pœnas expetit, ad virtutis stu-
„ dium magis excitat, quam qui gravissima dumtaxat punit;
„ non profecto dubium, quin vita nostra hoc imperio maxi-
„ me fulciatur, & conservetur". Et re quidem vera quisnam unquam ea mala commemorare poterit, & inter ista quidem etiam multa communi bono omnino opposita, quæ ne committerentur, Ecclesiæ potestas semper impedivit, & modo etiam impedit, dum clavibus illius, qui peccarunt, sese submisere, atque submittunt? Tam multa vero, tantaque mala ut impediantur in populis utile non erit humanæ societati? inde maximum bonum laicæ potestati non accrescet?

De hoc eodem argumenti genere agere pergit S. Joan-

nes Chrysostomus, atque ita habet: « Atque illic quidem non
» ultra progreditur is, qui imperat, quam ut, quæ facienda
» sunt, edicat, hic vero precum etiam, & gratiæ subsidium
» adjungit. Quin potius illic ne verbum quidem ullum de
» philosophia habetur, nec sedet quispiam, qui doceat, quid
» sit anima, quid sit mundus, quid ipsi postea futuri, & ad
» quæ hinc migraturi simus, quaque ratione virtutem adipisci
» queamus. Verum de pactis quidem, & contractibus, ac
» pecuniis multa verba funduntur; harum autem rerum nulla
» prorsus cura est. At in Ecclesia sermones omnes hisce de
» rebus institui conspicias: ob eamque causam quidvis eam
» merito nuncuparis, tribunal, medicinæ, & philosophiæ
» scholam, & animæ ludum litterarium, & gymnasium cur-
» suum in cælum ferentium «. Doctrina vero, institutione,
& repetita, atque nunquam interrupta explicatione eorum,
quæ erga Deum, seipsos, & alios servare debent homines,
facile fieri, ut iidem a multis malis avertantur, malorum se-
mel commissorum deformitatem videant, atque horrescant,
atque ad opera virtutis excitentur, sicut ad illa, quæ in pu-
blicam utilitatem cedunt, non est, cur quispiam negare au-
deat. Semper ergo magis magisque constat, id boni, quod
laica potestas a se habere non potest, in eam redundare ab Ec-
clesiastica potestate. « Quanta vero præcepta concordiæ (in-
» quit S. Augustinus epist. 138., alias 5., num. 11.) non hu-
» manis disputationibus exquisita, sed Divina auctoritate
» conscripta in Christi Ecclesiis lectitentur, quis ab illa reli-
» gione alienus ita surdus est, ut ignoret? ..... Sed perversa
» (ipse prosequitur num. 14.) & adversa corda mortalium fe-
» lices res humanas putant, quum tectorum splendor atten-
» ditur, & labes non attenditur animorum, quum theatro-
» rum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum;
» quum gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ
» deridentur; quum ex his, quæ divitibus abundant, luxu-
» riantur histriones, & necessaria vix habent pauperes «.

§. IV. Ecclesiastica potestas est ultimum complementum
laicæ potestatis, si ad eum finem attendatur, ad quem huma-
na societas ultimo respicere debet. Sicu-

Sicuti nullius singularis hominis ultimus finis est vivere recte, atque secundum virtutem; ita etiam consociatæ multitudinis sub imperio unius non est finis ultimus, virtuose vivere, prout ipsum commune bonum societatis requirit, sicut neque etiam imperantis, rempublicam recte sapienterque regere, atque gubernare; sed tum cujusvis singularis hominis, tum consociatæ multitudinis sub imperio unius, tum etiam ipsius supremi imperantis ultimus finis est in Dei fruitione conquiescere. *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (1): & *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (2). *Deus autem omnis gratiæ vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu* (3). " Sed (uti habet S.Thomas Opusculo 20. *De Regimine Principum* lib. 1. cap. 14.) quia finem fruitionis Divinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute Divina, juxta illud Apostoli *Roman.6.v.23. gratia Dei, vita æterna*, perducere ad illum finem, non humani erit, sed Divini regiminis. Ad illum igitur Regem hujusmodi regimen pertinet, qui non est solum homo, sed etiam Deus, scilicet ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui homines Filios Dei faciens in cælestem gloriam introduxit. Hoc igitur est regimen ei traditum, quod non corrumpetur: propter quod non solum Sacerdos, sed Rex in Scripturis Sacris nominatur, dicente Hieremia 23.5. *regnabit Rex, & sapiens erit*. Unde ab eo regale Sacerdotium derivatur; &, quod est amplius, omnes Christifideles, in quantum sunt membra ejus, Reges, & Sacerdotes dicuntur. Hujus ergo regni ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed Sacerdotibus est commissum, & præcipue Summo Sacerdoti, Successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino Jesu Christo. Sic enim ei, ad quem finis ultimi cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi. Quia igitur Sacerdotium gen-

(1) *II. Corinth.* cap. 5. v. 7. (2) *I. Corinth.* cap. 13. v. 12.
(3) *I. Petri* cap. 5. v. 10.

„ gentilium, & totus Divinorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda, quæ omnia ordinabantur ad multitudinis bonum commune, cujus Regi cura incumbit; convenienter Sacerdotes gentilium Regibus ſubdebantur. Sed & quia in Veteri Lege promittebantur bona terrena non a dæmonibus, ſed a Deo vero religioſo cultu exhibenda; inde in Lege Veteri Sacerdotes Regibus leguntur eſſe ſubjecti. Sed in Nova lege eſt Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cæleſtia: unde in Lege Chriſti Reges debent Sacerdotibus eſſe ſubjecti". At vero ultimi complementi nomine id intelligitur, quo fit, ut res unaquæque eam ultimam perfectionem acquirat, ad quam ex ſui natura oportet, ut tendat. Quum ergo ab Eccleſiaſtica poteſtate habeatur, ut tum multitudo conſociata ſub imperio unius, tum ille quoque, qui tenet Principatum multitudinis, & eſt caput illius, ad eum ultimum finem pertingant, ad quem tendere debent; a nemine profecto negari poteſt, hujuſmodi Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe ultimum complementum ipſius laicæ poteſtatis, ſi ad eum finem attendatur, ad quem humana ſocietas ultimo reſpicere debet. Verbis ergo S. Bernardi epiſtola 44. ad Conradum Regem Romanorum num. 1. huic capiti doctrinæ finem imponam: " Nec dulcius, nec amicabilius, ſed nec arctius omnino Regnum Sacerdotiumque conjungi, ſeu complantari in invicem potuerunt, quam ut in perſona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus eſt nobis ex utraque tribu ſecundum carnem Summus & Sacerdos, & Rex. Non ſolum autem, ſed & commiſcuit ea nihilominus, ac confœderavit in ſuo corpore, quod eſt populus Chriſtianus, ipſe caput illius..... Ergo quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. Magis autem quod Divina ſanxit auctoritas, humana ſtudeat adimplere voluntas; & jungant ſe animis, qui ſunt juncti inſtitutis. Invicem ſe foveant, invicem ſe defendant, invicem onera ſua portent".

FINIS TOMI QUARTI, ET ULTIMI.

IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

E

Neque

F

G

Leo

Tri-

FINIS TOMI QUARTI, ET ULTIMI.

ERRA-

				ERRATA	CORRIGE.
Pag.	13	lin.	18	de ea	de eo
	19		22	FIdelium	Fidelium
	93		22	Gregorii XIII.	Gregorii XII.
	101	not.	2	Clemens V.	Alexander V.
	105	lin.	14	conquiſta	conquiſita
	126		26	congregatos	congregatis
	144		33	Clementi V.	Alexandro V.
	205		2	pacis	paucis
	275		10	indifferentiſſimum	indifferentiſmum
	349		18	Hierarchlæ	Hierarchiæ
	363		14	ἀπστολῆς	ἀποστολῆς.